Storia Natur

EMANUELE
11

12.
13
A
29-30

Digitized by Google

12
13
A
94

Digitized by Google

WOLFGANGI FRANZII
SS. Theol. D. & in Acad. Wittebergenſi
Profeſſ. Publ.

HISTORIA ANIMALIUM,

In qva plerorumqve Animalium
præcipuæ proprietates ad uſum
εἰκονολογικὸν breviter accom-
modantur

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum
Commentario & ſupplemento
Obſervationum ex recentiori Hiſtoria na-
turali, ſimilitudinum, Emblematum, Hie-
roglyphicorum, ad uſum oratoriæ tum ci-
vilis tum Eccleſiaſticæ,

Opera

JOHANNIS CYPRIANI,
S. Theol. Licent. & Phyſices Prof. Publ.
in Academia Lipſienſi.

Accedunt Indices omnium generum ne-
ceſſarii, & inter eos Hodego-homileticus
in gratiam Miniſtrorum Verbi & Theo-
logiæ Studioſorum, &c.

Dreſdæ,
Apud MARTINUM GABRIELEM HÜBNERUM,
Bibliopol. Dreſdenſem.
Imprim. Hæredes Melch. Bergenii. 16[illegible]

Digitized by Google

Sereniſſimo & Potentiſſ.

Principi, ac Domino,

DOMINO

JOHANNI GEORGIO,

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ, & Montium Duci, Sacri Romani Imperii Archimarſchallo, Electori, & per territoria Saxonico juregaudentia, aliaque huc pertinentia Vicario, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Miſniæ, Burggravio Magdeburgenſi, Comiti de Marca, & Ravensburg, Domino in Ravenſtein, Domino ſuo clementiſſimo.

Pacem à pacis Angelo magno ſpiritualem & corporalem amplisſimam P.

a 2 *Suavis-*

SUaviſſimus eſt titulus, quo Spiritus Sanctus ipſe hominum piorum ſtudia frequentioribus pariter & penitioribus operum DEI ſeu creaturarũ hujus mundi aſpectabilis conſiderationibus navata in Pſalmo antepenultimo dignari voluit: *Laudate DOMINUM* (inquit) *de cœlis, laudate eum in excelſis, laudate eum omnes angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus, laudate eum Sol & Luna, laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyſſi, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus montes, & omnes colles, ligna fructifera & omnes cedri, beſtiæ & univerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatæ. Reges terræ & omnes populi, Principes & omnes judices terræ, juvenes & virgines, ſeniores cum junioribus, laudent nomen Domini, quoniam exaltatum eſt nomen ejus ſolius.* Singulas nimirum ſacras hiſtorias & Phyſicas contemplationes de creatione ac conſervatione cœlorum, Angelorum, Solis, Lunæ & ſtellarum reliquarum, luminis, draconum, elementorum, meteororum, plan-

plantarum, beſtiarum, hominum, *ſingulos Pſalmos* ſeu *ſingulos hymnos* in DEI honorem conſcriptos indigitat.

Et veriſſimè ſunt iſti ſinguli hymni, ſunt jucundiſſimi Deoq; gratiſſimi hymni, in quibus opera tanta tam potentem *operatorem*, facta talia talem ſapientem *factorem*, vel infinitæ creaturæ infinities bonum CREATOREM multis variisq; documentis acclamant & proclamant. Etſi quidem ſpiritum & intellectum ad contemplandum DEUM cuncta non habent, & per ſe voce & corde ſuo non laudant DEUM, tamen cum ab intelligentibus conſiderantur, per ipſa laudatur DEUS, & cum per ipſa laudatur DEUS, quodam̃odo & ipſa laudant Deum. Omnium in ſuo genere admirabilis varietas & inter ſe conformitas, quodammodo vox eſt eorum confitentium Deum. Cum illa conſideratur & invenitur, ex tua conſideratione clamant, & hac voce tua clamant. Eodem pacto omnia laudant Deum ſive in ſtatu, ſive in motu, cum tu vides & gaudes & attolleris in artificem, dum enim confiteris ei, laudas eum de ipſis, quia melius eo nihil eſt, quicquid fecit, intra illum eſt, quicquid in his placet, min⁹ eſt quàm ipſe.

Utque de brutis animalibus tantùm agam omnium inter ſeſe maximoperè diſcriminata natura, naturæque cui correſpondens ſin-

gularis temperies quodammodo vox eſt eorundem confitentium Deum. *Vox confitentium* DEUM CREATOREM, ſunt animalium diverſiſſimorum diverſæ naturæ, quod non tantùm magnis, nec tantùm mediocribus, nec tantùm parvis hunc mundum compleverit, ſed ex omnibus iſtis creaturis ornatiorem reddiderit, & quod ſingulæ ſpecies ſuam quamque proportionem exactê cuſtodiant, adeò ut nec voraciſſimorum porcorum corpora unquam ad Elephantorum molem & magnitudinem excreſcere, nec anſerum altitudinem columbæ, aranearumve molem pediculi aſſequi valeant. *Vox confitentium* Deum Creatorem ſunt ſingularum ſpecierũ ἰδιοκρασίαι, ſingulares voces, ſingulares ſenſuum intentiones, ſingulares appetitus, ſingulares ſingularium latibulorum amores, ſingulares conceptus, geſtationes, partus, ætates, adeò ut nunquam ullus cucullus, gallorum cantilenas, nec leones grunnitum porcorum, nec equorum hinnitum canes, nec apum mellificandi artem gallinæ æmulari tentent, ut nunquam felis prodat furem nocturnum, nunquam aviculæ noctu cum canibus latrantibus canant, ut nunquam ovibus carnium, hirundinibus frumentorum, equis oſſium, canibus trifoliorum & thymorum obrepant deſideria, ut nunquam leporem aut rhino-

rhinocerotem ad præſepia, ad jugum & ad agros arandos more boum aut equorũ aſſuefacere queas, ſicut nunquam canes & feles dominis & domibus derelictis aprorum aut luporum aut leonum feritatem & in deſertis circumvagandi naturam induent, ut nunquam plus ferocientium leonum, immanium urſorum, crudeliſſimorum tygridum, rabientium pantherorum, infeſtiſſimorum crocodilorum, quàm utilium ovium, cervorum, leporum, boum, equorum, columbarum, ut nec ubique locorum elephanti aut monocerotes aut dracones regulariter reperiantur. Vox confitentium DEUM Creatorem ſunt admirabiles etiam plerarumq; cum aliis naturales conſenſiones vel diſſenſiones, de quibus extant eruditorum opera multa.

Harum igitur rerum omnium pleniſſimam meditationem plurimum prodeſſe, ad ipſam divinæ potentiæ, ſapientiæ & bonitatis gloriam, nemo eſt, qui vel tantillum contradicere auſit: Quod enim de plantis dixit etiam minoribus Stigelius:

Præſentemq; refert quælibet herba DEUM:

Id de his quoque rectiſſimè enunciaveris jam indigitatis conſiderationibus: Præſentemque refert beſtia quæque Deum. Et huc pertinet, quod Deus ipſe apud Jobum, ſuam glorioſam providentiam & infinitam pote-

ſtatem inſcrutabilemq; ſapientiam demonſtraturus ex Phyſicis hiſce pulcherrimis ſcientiis concionem inſtituit, ſeu hymnum ſibi ipſi dulcisſimum compoſuit. *Nunquid* (inquit) *noſti tempus, quo pariunt ibices, & tempus, quo parturiunt cervæ, obſervaſti. Numeraſti menſes, quibus conceptum adimplent & an noſti tempus quo pariunt,* hoc eſt, *tune* conſtituiſti ipſis an ego tempus quamdiu ſingulæ beſtiæ uterum ferre debeant? *Tune* an ego ſingulis deſtinaſti certas anni partes pro generatione & propagatione ſpeciei? tune an ego illas hodie *juvo?* Item: *quis dimiſit onagrum liberum, & vincula onagri quis ſolvit? cujus domum dedi ſolitudinem & tabernacula ejus in terra ſalſuginis, contemnit multitudinẽ & clamorem exactoris non audit, circumſpicit montes paſcuæ ſuæ & virentia quæque perquirit. Nunquid volet Rhinoceros ſervire tibi? aut morabitur ad præſepe tuum? nunquid alligabis Monocerotem ad arandum loro ſuo? aut confringet glebam vallium poſt te? nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos? nunquid credes illi, quod ſementem reddet tibi & aream tuam congreget?* hoc eſt, *quis* ita diſtinxit inter beſtias domeſticas & feras, ut feræ ſtabulis, viceverſa domeſticæ ſylvis perpetuò menſurandis, & percurrendis aſſuefieri nunquam

que-

queant. Ego ut ſingulis ſpeciebus diſtinctas voces, cantus, vociferationes inter ſe ſimillimas ab aliis ſpeciebus maximopere diſcrepantes indidi: ita quoque ſingulis asſignavi certas habitationes, quas ſtrictisſimè ſectantur, *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis Herodii & accipitris, quando derelinquit ova ſua in terra, tu forſan in pulvere calefacies ea? obliviſcitur quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui, fraſtra laboravit, nullo timore cogente. Privavit enim eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit*, hoc eſt: *Quis* niſi ſolus ego Deus ſingulis avibus, ut diverſas magnitudines & modulationes, quas nulla ſpecies alteri præripere vel invidere poteſt, ita, quoq; ſingulis ſpeciebus certos variantium pennarum coloris in eadem inconvertibiles indidi, certos item affectus, ut hæc gaudeat nidificare in ædibus hominum, hæc in altis arboribus, hæc tantum in ſulcis agrorum, hæc in fruticibus, &c. certas item calliditates, ut hæ ſint aliis longè ſimpliciores aut ſagaciores ad fugiendos venatores & hoſtes. *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas gloria narium ejus terror, terram ungula fodit, exultat audacter, in oc-*

curſum pergit armatis, contemnit pavorem, nec cedit gladio, ſuper ipſum ſonabit Pharetra, vibrabit haſta & clypeus fervens & fremens ſorbet terram: nec reputat tubæ ſonare clangorem, ubi audierit buccinam, dicit vah, procul odoratur bellum, exhortationem ducum & ululatũ exercitus? hoc eſt, *nunquid* alius quam ego animalia alia feci animoſiora aliis, ut cogantur aliqua aliis fugâ cedere? *nunquid* alius quàm ego formavi hanc & non aliam vocem equo, quam retinent & uſurpant citra im̃utationem omnem equi omnes in omnibus terrarum orbis partibus per omnes centenarios annos mundi, cum tamen nec artifex poſſit omnibus tubis ex ære factis eundem prorſus uniformem tribuere ſonum? *nunquid* alius præter me quædam animalia etiã bellis adaptat, reliqua tantum ad culinam abjicit, quædam facit, ut agnoſcant DOMINI vocem, quædam refugiant hominis conſpectũ, quis facit niſi ego, ut hæc omnia ordinata & fixa vigeant, in ſingulis ſpeciebus, non uno ſed omnibus annis, durante hoc mundo, non in uno, ſed in omnibus angulis totius terræ. *Nunquid ad Præceptum tuum aquila in arduis* (non in ſtabulis, ut gallina domeſtica) *ponet nidum ſuum, in petris manet, in præruptis ſilicibus, commoratur, atque inacceſſis rupibus, inde contemplatur eſcam, & de longe oculi ejus*

proſpi-

proſpiciunt, pulli lambunt ſangvinem & ubicunque cadaver, ſtatim adeſt, h. e. nunquid alius præter me formavit aves ut quædam volatu ſuo literarum quarundam exprimant characterem vel diſpoſitionem, quædam verò confuſo agmine conglomeratæ circumrotentur, quædam ament ſocietatem, quædam ſolitudinibus gaudeant, quædam ament ali ab hominibus, quædam extremè averſentur hominem, quædam tantùm paſcantur muſcis & prorſus abſtineant frugibus, quædam eligant furtivas cruentas aut cadaveroſas, mucoſas & putridas prædas. *Hactenus verba Jobi.*

Vox ſunt confitentium Dominum Creatorem in omnibus pulcherrimæ membrorum organicorum conformationes, totum ſuum quàm aptiſſimè perficientes, & quidem in diverſarum magnitudinum diverſis diverſæ nimiùm. Etſi verò in minimis non invenire licet omnem illam & multitudinem & varietatem partium, qualem cernimus in vaſtis & immanibus beluis; Interim tamen quia habere ſenſus & quidem ſæpius acriores quàm ipſa majora bruta, deprehenduntur, pro actionibus ſenſuum omnium ſufficientes, ſi non eaſdem, tamen analogas quaſdam partes ipſis paravit Deus. Sæpenumerò enim inter meditandum & ſcribendum in chartis & li-
bri-

briſnoſtris errare conſpicim⁹ beſtiolas adeò parvas, ut fermè ſenſum noſtrum effugiant. At nihilo minus in iſtis oportet eſſe quædam organa pro attrahendo, proque concoquendo alimento, pro ſpiritu vitali diffundendo, in univerſum illud corpuſculum, cujus vigore id cernit, olfacit, progreditur, ſibi cavet. At quis poterit omnia illa membrula deſcribere exactè? In bove nemo non tentare auſit: in pulice quis verò præſumat aut in alio minimorum minimulo. Ex præceptoribus aliquot meis & ex aliis ſæpè in adoleſcentia commemorari ipſe audivi, Italum quendam anatomiam pulicis eruditiſſimè inſtituiſſe, & omnia organula, quantum humana ſuſtinuit induſtria, perſecutum fuiſſe exactiſſimè, & de re iſta omni orationem compoſuiſſe elegantem pariter & doctiſſimã. Hæc ſi nunc temporis in manus meas veniſſet, ſtudioſiſſimè quidem quæſita hinc inde, de verbo ad verbum huic tractatui inſeruiſſem, idq́; non tam propter rei novitatem admirandam multò minus ad inanem riſum, cujus gratia ne unam literulam exararem, non, inquam, propter pulicem ſed, propter Creatorem pulicis, qui nunquam eſt Satan aut venifica, ſed ſemper DOMINUS DEUS Zebaoth, ſicut in pediculis magno ſuo malo Ægyptus experiebatur, adeoq́; unicè in honorem gloriæ divini

nominis

nominis, ut verè pii anſam inde caperent diligenter cogitandi de omni DEI potentia, bonitate & ſapientia tùm in maximis reliquis & mediocribus, tum & in reliquis contemtiſſimis quoque clariſſimè fulgente. Huc etiam pertinent anatomiæ non tantùm in cadaveribus humanis, ſed in quorumvis animalium quadrupedum, volatilium & aquatilium aquilarum, pſittacorum, veſpertilionum, ſtruthiocamelorum, paſſerum, regulorum, murium, &c. magna cum utilitate & magna cum admiratione divinæ bonitatis tentatæ, pictæ, explicatæ, quas paſſim apud recentiores & veteres cernere licet Phyſicos & Medicos, hac in parte de DEI laude præclarè meritos & merentes. Atque ſi de accipitre & Falcone integros magnos libros conſcripſerunt multi periti in honorem & bene placitum principum per accipitres venantium, in quibus docent, quomodo inſtituendus ſit ille, quomodo vocem Domini diſcat agnoſcere, quomodo anim⁹ ipſi addendus, quomodo emittendus, quomodo revocandus, quomodo latens quærendus & inveniendus, de curanda apoplexia falconis, de febri falconis, de deſtillationibus capitis curandis, de vermibus ipſius tollendis, de podagra, de pediculis, de morbis ventriculi curandis: quantò magis piorum & docto-

rum

rum animum gratum comendabit hæc ipſa exercitatio in Dei gloriam in multis animalibus dexterrimè & diligentiſſimè ſuſcepta, carnes etiam diverſiſſimorum animalium à ſe invicem, quoad duritiem, denſitatem & alias qualitates & quoad ſalubritatem, nimium quantum diſcrepant. Quoad externas quoque formas, quantum inter ſe varient ejusdem ſpeciei animalia, obſervatu eſt quàm pulcherrimum. De aliis nihil meminero; tantum de parvis unum admonebo verbum. Extat eruditum opus Ulyſſis Aldrovandi Bononienſis de inſectis. In illo varia recenſentur genera apum, duodecim circiter genera veſparum, centum genera papilionum circiter, omnino inter ſe diverſa, quæ non pauci non obſervanda, non curanda putabant, pauciores etiam obſervant: erucarum genera propemodum quinquaginta, muſcarum genera fermè ſeptuaginta, locuſtarum circiter triginta, ſcarabæorum quadraginta, cantharidum triginta quinque, cimicum viginti, aranearum viginti quinque circiter. Etſi autem fermè à pleriſque omnib⁹ negliguntur & nil quicquam curantur iſta, tamen omnium verè piorum diligentem aliquam inter alia ſtudia meditationem non poſſunt illa non mereri, ut appareat quàm operoſa & negotioſa ſit Dei bonitas & ſapientia in crea-

turis



WOLFGANGUS FRANTZIUS. SS.
THEOL. D. IN ACAD. WITTEB.
PROF. P. NEC NON IBID. TEMPLI
ARCIS PRÆPOS.

J.C. Böcklin. sc.

turis formandis: meditari inquam decet illa, ſicut in hoc Tractatu factum eſt non propter illa ipſa, ſed propter DEUM, tàm noſtrum quàm illorum Creatorem potentem, ſapientem & optimum. Inter terreſtria DEUS ſervat hanc quoque admirandam conſuetudinem, ut unius ſpeciei domeſtica & fera pariter creet, anſeres nimirum cicuratos & anſeres feros, anates domeſticos & anates feros, tauros domeſticos & feros, &c. Nihil dicimus de hoc, quod facit aves quaſdam ſine pedibus quales ſunt cumprimis Paradiſiacæ, & piſces ſine pennis volantes, quales eſſe teſtimoniis ſuis roborarunt ii, quotquot Indicis navigationibus recentibus operam navarunt: Sicut facit volare etiam veſpertiliones citra pennas, & clariſſimè canere inſecta citra manifeſtum oris ductum. De generatione animalium nihil addimus hoc loco, utpote de qua ſæpius in hoc Tractatu fiet mentio unicè ad ſacrarum Scripturarum tenorem attemperata, quam ut doctiſſ. Phil. ritè cognoſcant & examinent, valdè peto. Fabulis fabuloſiora de animalibus ex vento concipientibus & alia ne ſemel uno verbulo attingere placuit.

Vox ſunt confitentium Deum creatorem, potentem, ſapientem, bonum, varii uſus, quos ſuppeditant hominibus, tum ipſa integra &

 viva

viva,tum ipſorum internæ & externæ partes ſive alimentum ſpectes,ſive vecturas,ſive veſtimenta,ſive voluptatem, in vita. Quanquã enim non omnia conducunt tuo palato, nec volunt tuis maſticari dentibus, nec patiuntur ſeſe concoqui intra ventriculi tuli plicaturas, tamen optimè invenient alios, quibus voluptatem vel in eſu vel in re alia parient. Veriſſimum enim eſt,quod *Auguſtinus* habet ſuper Pſ. 148. *Etſi nos non intelligamus, quid quare fiat, demus hoc prudentiæ ipſius, quia non fit ſine cauſſa, & non blaſphemabimus. Cum enim ceperimus diſputare de operibus Dei, quare hoc, quare illud, & non debuit ſic facere, malè fecit hoc, ubi eſt laus Dei? perdidiſti alleluja. Omnino ſic conſidera, quando placas Deo & lauda artificem. Quia ſi intrares in officinam forte* fabri ferrarii *non auderes reprehendere folles, incudes, malleos. Et da imperitum hominem neſcientem quid, quare ſit: & omnia reprehendit. Sed ſi non habeat peritiam artificis, & habeat ſaltem conſiderationem hominis, quid ſibi dicit? Non ſine cauſſa hoc loco folles poſiti ſunt*: artifex novit quare: Etſi ego non novi. *In officina non audet vituperare fabrum, & audet reprehendere in hoc mundo Deum.* Hactenus Auguſtini verba. Omnino propter peccatum poſt lapſum, noſtrorum multorum ſpeculationes haud parum

rum congruunt cum porci phantaſiis in fabula, qui cum de convivio quodam admodum opiparè celebrato inaudiiſſet, mox cœpit interrogare, Ob auch wären Kleyen da geweſen/ num etiam furfure cibati fuiſſent convivæ, furfure nihil præſtantius proponi potuiſſe exiſtimans. Plane ſimili ratione nunc poſt lapſum propter peccatum naturam noſtram tædet verſari circa cõtemplationem animalium brutorum, niſi ea ori & palato voluptatem præſignem, ventriculo & epati nutrimentum exquiſitum ſpondere poſſit, parum attenta ad eos uſus ſine dubio ſapientiſſimós, ad quos in cujusque animalis creatione, creator ipſe divinam ſuam mentem intendit. Poſſem quidem hoc loco excurrere, & non ex meo cerebro, ſed ex graviſſimis auctoribus variis de hac parte mihi cognitis in ſpecie ſpecialiſſima demonſtrare, nec leonum, nec aſinorum, nec canum, nec felium, nec glirium, nec ſerpentum, nec ſimilium animalium ferorum carnes fruſtra divinitus conditas perhiberi poſſe, etiamſi non conterantur omnium noſtrum humanis dentibus & elixentur à noſtris ventriculis, quaſi vel ſaltem piſces tandem ſaturare, & ſaginare illæ nequeant fluviatiles & paluſtres & marinos, quib⁹ piſcib⁹ poſtea ipſi homines utũtur, fruuntur ſuaviſſimo obſonio.

Quin & Leonum uſus in vita maximos eſſe in ſuis (quibus proveniunt non tamen adeò fertiles) terris, ad apros, urſos, onagros, cervos & boves ſilveſtres capiendos, confirmant præter alios Ælianus & Paulus Venetus, qui addunt ſæpè canes in iſtis locis reperiri audaciores ipſis leonibus. Illud de leopardis quoque commemorant alii. Murib9 veſcuntur ſerpentes, his cervi, cervis homines, ſicut araneis gallinæ, & gallinis homines, quanquam contra Dei ordinationem Judæos quoſdam muribus veſci ſolitos ex Eſ. 66. v. 17. conſtat. De muſtelis infra dictum eſt aliquid: Aquilis & accipitribus feruntur in ſuis terris uti magnates ad venationes. Similiterque vultures, milvos & corvos, noctuas & bubones inſtrui poſſe ad venandos lepores & cuniculos, deque ſimiis aſſuefactis apud Indos ad aromatum ramulos decerpendos ex Philoſtrato apud Conradum Geſnerum & alios graviſſimos auctores animadvertimus. Avibus omninò præter paucisſimas ubique vermè locorum fruuntur laudatioribus divites, reliquis pauperiores, aliquibus alia animalia, quanquam certis de cauſis olim Hebræos à valdè multis abſtinere volebat Dominus: à pſittacis carè vendi ſolitis, tamen vix Americani abſtinent. Sed ut dixi, etſi poteram, tamen in his mihi tempero

pero perſequendis prolixius: utinam verò Phyſicus & Medicus aliquis exprofeſſo & doct. de hoc dicto divino (*Vidit DEUS omne quod fecerat, & erat valdè bonum*) prolixam & piam componeret ex artium ſuarum jucundisſimarum penetralibus derivatam orationem. Utique nihil condidit Deus fruſtra, nos verò talia jucunda phyſica & verè pia forſan non ſemper ſatis ſimul conſiderare & expendere allaboramus. Nihil etiam eſt, quod de rabioſis canibus, de mordacibus camelis, de ferocientibus tauris & de aliis aliquis nobis objiciat, quia & pauciora iſta ſunt fera, & tunc contumaciter repugnant, cum noſmet ipſi Deo repugnamus, & non amplius in officio noſtro nos continemus. Quæ etiam noſtræ genti ſunt venenata, ea aliis ſpeciebus præbent epulum plus quam benè ſapidum, ſicut aliqua recenſentur in hoc tractatu exempla. Jucundum etiam eſt, quod venenatas beſtias, providentiæ divinæ nunquam ſatis deprædicata bonitas in terræ cavernas abdidit & conſtituit, ut nunquam ſine metu in conſpectum hominum venire audeant, & ut vix unquam noceant, niſi cum laceſſuntur. Quadrupedes item & immanes rapacesque beſtias partim ſylvarum, partim montium altisſimorum, partim deſertorum adyta in habitare jusſit, & ut homi-

hominem plus revererentur, minusque terrerent, voluit, ut non niſi noctu pabulatum excurrerent juxta Pſ. 104. *Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa reptabunt omnes beſtiæ ſylvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant, & quærant à Deo etiam ſibi. Ortus eſt Sol & recolliguntur, & in ſpeluncis ſuis cubant. Exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam usque ad veſperam.* Quam magnifica igitur ſunt opera tua, Domine, omnia in ſapientia feciſti. Sapientia tua facit hæc à fine usque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter Sap. 8, 1. Sicut etiam hæc & alia omnia ab initio in menſura & numero & pondere diſpoſuiſti Sap. 11, 2. & niſi interceſſiſſent peccata, eandem hodie nobis obedientiam præſtarent, quam olim Adamo & poſtea Noacho, Gen. 2. & 7. *Vox præterea confitentium Deum creatorem* ſunt remedia, quæ ex animalibus homines utilia & admiranda percipiunt, tum ex integris ipſis, tum ex ipſorum partibus, adverſus omnes morbos, quotquot vel totum corpꝰ, vel ſingula membra corporis affligere ſolent, adeò ut nullam vel cogitare liceat corpoream affectionem malam, cui non dico ex animalibus mediocribus, ſed & minimorum minimis, *etiam ex vermibus ſub terra natis & perpetuo deliteſcentibus* petitum antipharmacum conſtare queat,

queat, & quidem ex vermibus, ut annotant doctiſſimi auctores, remedia capere poſſunt quicunque ægri, ſive ſunt peripneumonici, ſive pleuritici, ſive anginam patiantur, ſive laborent tonſillæ, ſive fauces, ſive excrucient vulnera, ſive venena, ſive alvus egeat auxilio, ſive frigidè affectus cerebri & nervorum & articulorum, ſive tuſſis moleſtet, ſive vulnera, ſive pus, ſive fames, ſive dyſenteria, ſive inflammatio, ſive febris, ſive tumor, ſive ſtranguria, ſive calculus, ſive lepra, &c.

Apud Plinium pro morbo comitiali cunndo aliquot benè multæ dantur muſcæ in potu emortuæ, infirmioribus pauciores l. 30. c 16. Et cui cantharidum operationes mirificæ non innotuerunt? tanquam tamen contemtiſſimorum animalculorum, quid animalculorum? imò vix inſectulorum? mellis & ceræ ab apibus uſus in noſtram gentem quâm nimis multi veniunt! invenio & formicas (inquit c. 3, l. jam dictat Plinius) Herculeanas appellatas, quibus triis adjecto ſale exiguo talia vitia (pſoræ lepræ & lentiginis) ſanentur. Et c. 4. l. 28. cimicum alis dictu pudendi imò & faſtidiendi naturam contra aſpidum morſus valere dicit idem Plin. Et Scorpius ipſe tamen multiplices & admirabiles præbet ad ſanandum varias res effe-

 ctus

ctus, ut & aranea, Domino benedicente in uſum noſtrorum cedunt hæc hodie, inque ſtatu integritatis, in uſum aliarum beſtiarum mutuum ceſſiſſent. *Domino iraſcente* hodie nimium multiplicantur feræ, & inſecta hominibus nobis noſtrisque rebus damna inferunt immedicabilia ſæpenumerò.

Sed & præterea vox confitentium Deum ſuum creatorem in omnibus animalibus ſunt, quæ ſingulis non obſcura, ſed clara & iluſtria cernuntur impreſſa, utique non niſi divinitus virtutum & affectuum aliorum ſimulacra Atque ſicut divinitus accidit, quod omnes ſuos labores non ſibi ſed hominum vitæ accommodant: ita quoque Deus voluit iſtas eſſe picturas, quæ nos homines ad virtutem invitarent, & à vitiis dehortarentur. Huc igitur facit illud Salomonis admonitum: *Vade ad formicam, o piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam ejus, quæ ſine exactore præſtat ſedulitatem.* Simili modo innuere vult Sp. Sanctus, eundum nobis eſſe ad apiculam, & animadvertendum, quanta induſtria mellificium exerceat, cujus laborem non inferioris tantùm ſubſelli homines, ſed etiam reges & principes ad delitias & ad tuendam valetudinem transferunt. Alibi per prophetam inquit Dominus: *Milvus in cælo cognovit tempus adventus ſui,*

pop-

populus autem meus non cognovit judicium Domini. Item apud Eſaiam: *Cognovit Bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem non cognovit, & populus meus non conſideravit*. Et ſcripturæ & has imitati orthodoxi ſanctiſſimi patres animis ſimplices & apertos, veritatis ſtudioſos, fraudis inimicos, quique nihil ex occulto, nihil ex inſidiis agendum putant, laudatorum animalium nominibus columbarum turturum, ovium dignantur, laudant & explicant. Quemadmodum verò piis encomia laudabilium animalium, ſcripturæ & pii patres admodum crebrò, communicant, ita improbis, maledicis, fraudulentis, & ad faciendam injuriam præmeditatis immanium beſtiarum cognominationes tribuunt luporum, leonum, canum allatrantium, pardorum furentium, aſpidum & viperarum claudentium aures ſuas, ne exaudiant vocem incantantium. Cæterum quod *Iſidorus Pelusiota epiſt. lib. 2. 135*. annotat, ipſas truculentas beſtias ſæpenumerò longiſſimè ſuperat turpium affectionum ac cupiditatum amator homo. Cum enim *una quælibet immanior beſtia plerumque uno magno vitio ſeſe diffamet*, ibi *unus homo omnium horribilium ferarum vitiis omnibus* cunctis & ſingulis ſeſe conſpurcatum exhibet, quando torvior eſt bove,

 calci-

calcitroſior aſino, ſalacior equo, voracior urſa, iracundior leone, rapacior lupo, ferocior ſcorpio, aſtutior ſerpente, improbior viperis. Superat autem omnem turpitudinem illud, quod non omnium, licet ad imaginem DEI factorum, hominum animi, tamen à vitiis ad virtutes aſſuefieri ſeſe patiuntur, cum tamen ſæpè legamus & videamus leones & beſtias alias feroces ita fuiſſe ab hominibus domitas, ut voluntati ſubjugantis ſenſu quodam & conſuetudine inſervire ſtuderent. Eo magis hoc deteſtandum eſt quod corrigendis & in priſtinum ſtatum reformandis noſtris animis divinitus parata ſit medicina certiſſima, ut meliores eſſe poſſint, cum belluarum naturis ita mutandis nec omnimoda neceſſitas nec parata facilitas adeò conſtet. Et bellè *Aug. de Geneſ. contra Manichæos lib. 1.* illud quod dictum eſt, *habet poteſtatem piſcium maris & volatilium cæli & repentium omnium, quæ repunt ſuper terram,* ſalvo intellectu, quo manifeſtum eſt, omnibus his animantibus hominem ratione dominari, etiam intelligi dicit ſpiritualiter, ut omnes affectiones & motus animi, quos habemus iſtis animalibus ſimiles, ſubditos haberemus & eorum dominaremur per temperantiam & modeſtiam. *De Gen. ad lib. lit. 3.* idem teſtatur & ſibi compertum docet, de

fonte

fonte quodam magno Buttenſium regionũ pleno piſcium. *Solent igitur* (inquit) *homines deſuper intuentes eis aliquid jacere, quod ſibi vel præripiant confluentes, vel inter ſe deripiant concertantes: Et eo paſtu aſſuefacti deambulantibus ſuper oram fontis hominibus ipſi quoque cum eo congregati in natando eunt & redeunt expectantes, ut inde aliquod jacet, quorum præſentiam ſentiunt.* Utinam hanc piſcium memoriâ omni, ſecundum vulgi ſententiam, deſtitutorum æmularentur affectionem homines, atque ſimili modo, conſtantique pietate ad Deum tollere & erigere in inopia diſcerent capita, atque ab iſto expectarent, quæ ad hujus vitæ pertinerent ſuſtentationem, *cum omnino multi ſine mentis oculis vivant*, donis Dei abutantur contumelioſas & ingratas voces adverſus eum emittant, & in hac ſint rigida opinione, terram hodie neceſſario & ſpontè effundere debere, & ſolere plantas & alia, ſicut in prima creatione miraculosè profundebat plantas, & cicadas, & alia animalia. Apes ex inſectorum genere longè tenacius ſuæ politiæ ſtatum in diverſas claſſes diſtributum exornare videmus, atque fit in multis Rebuspublicis & in multis regnis, adeò ut ibi nulla ſit, quæ publicis hominum bonis ſuos labores non conſecret, cum jurato quodam inter ſe

invi-

invicem publicæ concordiæ ſtudio indiſſolubili.

Aranearum labores eruditis operationibus conſpicui, an non unumquemque, rationis particula vel minima conſtantem, ad artes itidem varias inveniendas & exercendas invitabunt? Te hortante aſinus, mulus & eqvus & camelus onera pro lubitu tuo recipiunt, pro lubitu tuo procedunt, pro lubitu tuo impoſitam molem bajulant, pro lubitu ſuo rectores non leniunt, pro lubitu ſuo nihil oneris excutiunt, pro lubitu tuo quieſcunt, pro lubitu tuo vel paleas ſaltem, loco pabuli, allatas non reſpuunt, pro lubitu tuo inflictas plagas citra impatientiæ ſignificationem devorant. Quanto plus igitur pudere decet hominem inobedientiæ erga mandata divina multiplicis, contumaciæ in proſperis, diabolicæ murmurationis in adverſis impientiſſimæ. Frenum legis pati non vis, jugum Chriſti ſuſcipere detrectas, onera Domini portare renuis, inſtar vituli indomiti rectorem Spiritum Sanctum excutere ſatagis. Hoc rectore deſtitutus in barathrũ inferni temet præcipitem peſſundabis. Indignam hanc ſervitutem eſſe arbitraris, ſincero & vero amore Domino ſervire: Jumentorum tuorum erga te obœdientiam rigidè poſtulas: Obſequium ſine contumacia præ-

ſtare

ſtare erubeſcis illi, qui tibi jumentorum ſubjugavit armenta. Tu (*inquit ulterius Theodoretus Oratione 5.*) exultantem audacia eqvum & præſidentem ſibi domas, & ſeſſorem pati doces, & collum in ſublime elatum brevibus lupatis ad pectus animoſum inflectis, eundemque inſtruis inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos, ita quin etiam fingis, formas, & reformas, ut & manum & vocem tuam plùs quam facilimus ſequatur. Tuus ſaltem labor eſt, quid velis & optes, cogitare, utrum venationis & belli miniſter & magno impetu in hoſtem irruere debeat, an eum ex acie refugere velis: tunc enim ille tua juſſa capeſſere, & ut volupe & fas eſt, ut nimirum aut in armatos hoſtes præ te feociat, aut quaſi depoſitâ audaciâ ex perſequentium manibus fugiendo te eripiat. Tuo juſſu, ò homo, Elephantus vel mediocribus collibus ſimilis, tamen tuo imperio & nutui ſubditur, & turres armatorum in aciem portat tuo juſſu. Ecce cogita apud animum tuum, quantæ beſtiæ tibi pareant & obediant, & hoc pacto ſimul eum, à quo tibi hoc dominium traditum eſt perpetuis laudibus celebra. Tu igitur, ô homo, erga Deum tuum obedientiæ, patientiæ, pietatis, honoris, ſtudiis omnibus potius talem temet præbere geſtias.

Vox

Vox denique confitentium DEUM creato
rem, ſunt alia longè plura, quæ naturam ani
malium nobis ob oculos, non tantùm cor
porum, ſed animorum pulcherrimè propo
nunt, quæ fuſiùs perſequi, *inſtituti* ratio no
patitur. Ut igitur ad illud redeam, und
ſum exorſus, utique de his ſingulis & uni
verſis meditationibus jure omni rectiſſime
dixeris, totidem Deo hymnos à doctis & pi
is viris cantari, quot ab ipſis de iisdem libri
orationesque conſcribuntur, præſertim ſ
expreſſè & nominatim tantas res & affecti
ones impreſſionesque naturales non natu
ræ, ſicut Ethnici ignari fecerunt, ſed DEO
ipſi acceptas referendas eſſe monſtraverint
Quanquam enim Naturam rebus in genera
tam ſeu inditam non negamus, tamen cum
ſcripturâ, cumque piis patribus, & cum ipſi
doctis Phyſicis non tàm Naturam, quàm De
um Naturæ dominum hæc & alia animali
talia & non alia condidiſſe, & adhuc hodi
condere, ſervare, diſtinguere rectius aſſere
mus. Omninò igitur de Deo multa agit
& doceat neceſſe eſt, qui in harum rerum d
ſcurſibus, ſeſe ſolertem præbebit. Nec *Th*
odorus Gaza, cum ſic ſcribit in præfation
converſionis ſuper libros Ariſtotelis de an
malibus: ***Per multa de Deo is tractat, qu***
doctrina, rerum conditarum (de animalibu

exqu

exquiſitiſſimâ conditorem ipſum declarat: aliud ſibi vult, quàm quod Pſalmus modò dixit: *Laudate Dominum de cœlis, laudate eum in excelſis, laudate Dominum de terra, dracones & omnes abyſſi, beſtiæ & univerſa pecora, ſerpentes & volucres pennatæ.*

Cum igitur piæ cujusq; mentis induſtriâ meditatione hanc partem hiſtoriæ ab antiquis ſic appellatæ, maximè dignam & gloriæ nominis divini ampliandæ admodum utilem; quin etiam in Scripturis ſacris eandē ſæpius indigitatam, & à multis antiquis orthodoxis patribus non rarò tractatam animadverterem, volui & ego ex ea ipſa Creatori meo laudum aliquos hymnos decantare eo ipſo tempore, quando occaſione ita nunc ferente aliarum diſciplinarum bonarū uſum, Theologiæ præſertim ſtudioſis, demonſtrare ſatagebam. Anni ſunt nec ita pauci, nec ita multi, cum in hac Academia unà cum aliis, ex quibus Clariſſimum & Excellentiſſimū virum Dn. *D. Jacobum Cocum,* Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ Medicum aulicum ſolertiſſimum, cumprimis teſtem & collegam ſuperſtitem nominare poſſum, præcipuarū artium & ſcientiarum fundamenta ſtudioſæ juventuti fideliter, perque annos benè multos propoſui. Quo etiam cum fructu publicorum ſtudiorum, & imprimis gloriæ divi-

næ amplificatione, tum Clariſſ. Dn. *D. Jacobus Cotus*, tum ego in illo graviſſimorum, perque annos plurimos indeſinenter continuatorum laborum curriculo & ſtadio verſati fuerimus; etiamnum à plurimis viris magnis piis, & bonis paſſim, cum nominis noſtri grata recordatione agnoſci non dubitamus. Inter alios temporis iſtius ſudores volui etiam eſſe Tractatum de animalibus hiſtoricum. In illo autem non ego ex profeſſo reſpexi iſta præſertim omnia, quæ de animalium naturis, corporum quantitatib⁹, partibus externis & internis, naturalibus actionibus pro vitæ ipſorum conſervatione, vel ſpeciei propagatione, animantis cujusque voce, ſenſu, alimento, latibulo, motu, ſanitate, morbis, educatione conceptu, partu, ætate, de uſibus quoad remedia & alimenta inde petendis, pro genere humano, de venatione, cicuratione, eruditiſſimè doceri ſolent, ſed tantùm illa, quæ morum regendorum rationem cumprimis ſpectabant, & meæ profeſſionis hominibus, Theologiæ ſtudioſis & Miniſtris verbi commoditatem aliquam præbere, & ad multa oracula Sacrarum literarum rectius enucleanda, nec non ad copiam quandoque rerum in concionibus magis augendam uſurpari poſſe videbantur, ex variis Germanorum & extero-

rum

rum monumentis qualia mihi plurima ab Anatomico & Medico nobiliſſimo Dn. *D. Johanne Jeſſenio*, tunc Profeſſore apud nos bene meritiſſimo liberaliter communicabantur, collegi & congeſſi. Nunquam verò inter dictandum vel per febrim ſomniavi de hoc tractatu aliquando in publicum emittendo, præſertim cum, quæ ex aliis variis optimis & probatiſſimis auctoribus ego inſtar apiculæ collegeram in uſum horæ prælectionis, pro more mihi perpetuum tunc uſitato vix paucis notis conſtarent non integris periodis, unde nec inter dictandum, quod memoriter abſolvebatur, nec verborum aliquem ſelectum, nec periodorum concinnitatem ſectari & ſervare mihi unquam licitum fuit. Interim quia ipſe Tractatus fuit à plurimis paſſim transſcriptus, & pluribus etiam mendis cæpit magis magisque deformari, & verò ut correctior publicaretur, à me per plures petitum; tandem exemplar quoddam aliundè conſecutus, flagitationibus tot bonorum hominum locum dandum putavi, & inter occupationes Theologicas meas multiplices illud emendare, & augere quantum concedebatur, ſtudui.

Cæterum *Sereniſſime & Potentiſſime Princeps Elector, Dn. Clementiſſime*, Sereniſſimæ Celſitudini Veſtræ harum rerum pulcherrima-

rimarum plerarumque, ad quas ego vix digitum in Tractatu hoc intendo, noticiam non vulgarem, quam olim etiam pii Reges imò & pii Patriarchæ in populo DEI à ſe non alienam fuerunt arbitrati, vel ex honeſtis venandi exercitiis, & corporis iſtis recreationibus non poſtremo loco numerandis conſtare cepiſſe, non ambigo. Non autem ritè allegatur, vel pro venationibus vel contra venationes exemplum Nimrodt, qui fuiſſe ſcribitur potens venator coram Domino, cum ibi nequaquam de venationibus ferarum ſermonem eſſe patiatur contextuum neceſſitas, ſed potius de ambitioſa & tyrannica cupiditate plurimis hominibus dominandi ſententiam complectatur Scriptura. Venationibus enim primam originem præbuit ipſiſſima divina Ordinatio, in ſtatu innocentiæ, quando ad Adamum adduxit Deus omnia animalia, ut omnibus nomina ſua componeret, & imponeret, & ſimul juſſit eundem dominari piſcibus maris, ac volatilibus cœli, & omni beſtiæ reptanti ſuper terram. Hoc dominio non tantum in animalia alia, ſed etiam in feras, ſpecialiter ſic cognominatas, poſt Adamum uſos fuiſſe etiam Sanctiſſimos alios patres, demonſtrare difficile non eſt. *Iſmael* (de cujus ſalute æterna nemo jure dubitaverit, non enim ex

cœlo

cœlo fuit rejectus, licet primogenituræ jure frui certis de cauſis non poſſet, quod non prodiiſſet ex corpore Abrahami & Saræ ſimul) *Iſmael* igitur Abrahami cariſſimus filius unus Geneſ. 21. *deſcribitur jaculator Sagittarius.* Quin & Iſaacum alterum filium Abrahami cariſſimum venationibus vacaſſe, & exercitatum fuiſſe, eandemque ſcientiam & exercitationem filio Eſavo & Jacobo commendaſſe, ad oculum patet, primò quia Eſavum venationis magis peritum præ Jacobo magis amabat Geneſ. 25. v. 20. deinde quia in uſum ſolennis epuli inveſtituræ primogeniti, quem ſucceſſorem ſibi jamjam imminente morte publicè conſtituere decreverat, etiam de venatione cibum poſtulabat, denique quia ambo filii ejus in uſum iſtius ſolennitatis Jacobus & Eſau expeditiſſimè poterant venari venationes Geneſ. 27. Nimirum ideo iſti filii amabant & expeditè tractare didicerant has exercitationes corporum, quia viderant easdem gratas fuiſſe patribus, avis & Patriarchis. Niſi enim patribus & avis uſitatas fuiſſe venationes perſpectum habuiſſent, utique neque easdem ipſi vel curaſſent, vel magni feciſſent. Idq; ex alio, pecuariæ videlicet vulgatæ curæ exemplo planum reddi poteſt, cum in Ægypto per Pharaonem fratres ſuos Joſephus

 hoc

hoc ſermone uti docet, homines pecuarii fuerunt ſervi tui à pueritia noſtra usq; nunc & nos & patres noſtri; Adeò filiis Patriarcharum religio quaſi quædam erat, ut ſolent auctores loqui, mentium & corporum ſtudia paterna accuratè æmulari. Sic enim animatus erat Amos, ruſtici divitis, ut non inepte colligitur à noſtratibus, filius, quando vocabatur ad munus prophetandi. Non (inquit) ſum propheta, armentarius ſum, quaſi diceret, paternis ſtudiis me conſecravi, non verò aliis. Quin adegit poſteros filiorum Jacobi ſeu Iſraël neceſſitas quædam ad hoc ſtudium venationis. Capreas quidem & cervos licitè edere intra terram Chanaan poterant Deut. 12. v. 22 ſicut etiam fiebat in aula Salomonis quotidie 1. Reg. 4. v. 22. Leporibus veſci non audebant: Interim igitur una cum lupis, cum urſis, cum leonibus, cũ vulpibus iſti lepores cumprimis & vel in immenſum augebantur, iñuente hoc ipsâ Scripturâ Exod. 23. v. 29. Jud. 14. v. 4. 1. Sam. 17. v. 34. Cant. 2. v. 15. Sed quia tamen vendere licitum erat has feras Ethnicis vicinis. Levit. 27. v. 13. Deut. 41. v. 2. inde ex ipſis piis & ſanctiſſimis in populo Dei viris peritiſſimos & impigros intra terram benedictam venatores extitiſſe, tum quilibet facilè æſtimabit, tum ex Simſonis exemplo trecentas vulpes brevi

brevi tempore capientis dijudicabit, ut nihil dicamus de Davide puero adhuc intrepidè primo urſum & poſtea leonem aggreſſo. Licet enim eidem ſingularis adfuerit gratia poſt unctionem, tamen ſatis ex illo ipſo ſimul hoc quoqve elicitur, pios homines rerum ejusmodi experientiam ſibi uſu comparaſſe & comparatam habuiſſe multiplicem. 1. Sam. cap. 17. Ex illis ipſis conſuetudinibus & occaſionibus ſuæ ſapientiæ deſumſit quoque incrementa aliqua Salomon, ut facilimum ipſi accideret, diſſerere de Animalibus, de volatilibus, de reptilibus deque piſcibus, 1. Reg. 4. v. 33. Non adducere libet alia, verbi cauſa, quando DEUS totam Judaicam terram donat & tradit Nebucadnezaro, quod tunc etiam feras ei tradit & donat his verbis. Jer. 27. v. 6. Nunc ego dedi omnes terras has in manum Nebucadnezar Babel homines & etiam beſtias agri, ut ſerviant ei. Hæc ſunt verba Jehovæ apud Jeremiam Prophetam. Et ex his quantumvis paucis, tamen ſufficienter reſponderi poteſt ad illud, quod habet Hieronymus lib 2. in Micheam c. 5. hiſce verbis: *Quantum ego poſſum in mea recolere memoria, nunquam in bonam partem venatorem legi.* Hactenus verba Hieronymi, quem Nimrodi ferocia, Iſmaelis mater Ægyptia, & quam inde infert vita carnalis

nalis Eſavi, primogenituram vili pendentis protervitas ad illud ſcribendum commovit, ut ex quàm proximè antecedentibus, & quàm proximè conſequentibus ſine labore internoſcitur. Sed cum ita ſeſe hoc habeat, utique Hieronymi dictum non ad venationes in ſeſe conſideratas, verùm ad illos tantum venantes extendi poteſt, qui contemtu Dei & miſericordia erga proximum laborant, & qui ordinariam vocationem prorſus negligunt, utrumque contra verbum DEI. Reliquis enim DEI verbum miniſtrosque ejus amantibus, ut proximi ſubditorumque curam miſericordem & egregiam gerentibus, anathema ullum, nec Hieronymus nec alius ullus jure ſcribere poteſt. Sine dubio autem ſancti Patres in populo DEI olim inter venationes ipſas eandem uſurparunt pietatem, quam in menſis & epulis adhibere ſolitos fuiſſe ex commentariis doctiſſimorum hominum edocemur. Quoties enim in principio anni & poſtea novus aliquis cibus appoſitus ipſis fuit, toties præter ordinarias preces ſingularem ad DEUM tàm diverſarum tàm bonarum creaturarum productorem, oratiunculam in præſentiam omnium convivarum direxerunt:

Agimus tibi gratias, æterne Deus, qui cervos, capreas, bubulos (ita) *agnos ovium, vitulos,*

tulos, &c. (in aliis) *ceraſa, pruna, poma, uvas in uſum hominum præparaſti: Da ut illis in tuum honorem piè & tranquille frui queamus.* Hanc pietatis plenam actionem laudibus nullis ſatis deprædicare poſſumus, & ad eam in hoc Tractatu ego imprimis lectorem deducere allaboro. Poſt hoc pietatis exercitium unicè demonſtrare connitor, quomodo nos homines deteſtari & fugere debeamus vitia illa, quæ in brutis ipſis execramur, & quomodo ſummis ſtudiis æmulari & in vita exprimere debeamus virtutis actiones, quarum ſimulacra in iisdem beſtiis ratione deſtitutis collaudare conſuevimus. Utramque hanc olim à me concinnatam Theologicam rerum iſtarum ſuaviſſimarum meditationem Sereniſſimæ Celſitudini Veſtræ jam ante ſatis perſpectam, tamen eidem Sereniſſimæ Veſtræ Celſitudinis verbum Domini toto corde honorantis, verbique Domini præcones amantis & ſubditorum omnium ac ſingulorum ſalutem temporalem & æternam vehementer & ſitienter exoptantis, judicio humiliter offerre volui, utque eam ſuo benigno vultu haud dedignetur, ſubjectiſſimo affectu rogo.

DEUM verò Zebaoth, æternum Patrem Domini noſtri JeſuChriſti per Spiritum ſanctum ſuſpiriis veneror ardentiſſimis, ut Sereniſſi-

reniſſimæ Celſitudinis Veſtræ annos valde prolonget, efficiatque clementiſſimè ratum, quod tacito conſenſu & communi congratulatione totius Territorii Saxonici hinc inde cives univerſos & ſingulos ſibi certò ſpondere videmus, ut Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ throno & imperio arbor rutæ, vel in immenſam excreſcat arborem, ſub qua requiem ipſi anhelantes ſuaviſſimam captare queant. Vivant, vivant, cum Parente ſuo Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ majeſtate, & cum illuſtriſſima Sereniſſimæ Veſtræ Celſitudinis & Majeſtatis Conjuge tanquam vite in lateribus domus Saxonicæ abundante, & fructificante Matre, Generoſiſſimæ novellæ olivarum, & fiant ſicut ſagittæ in manu potentis, impleatur omne deſiderium & conſilium ipſorum. Fiant columnæ etiam in domo Domini & in ſolio Saxonico. Exaltentur ſalutes illuſtriſſimarum viduarum Electoralium. Effloreſcat etiam corona benedictionis divinæ ſuper Illuſtriſſimum & Auguſtiſſimum Principem, Dominum AUGUSTUM, ejuſdemque Illuſtriſſimam Conjugem, ut tum Sereniſſimæ Celſitudinis Veſtræ tum Illuſtriſſ. Ducis Auguſti Filii & Filiorum quoque Filii usque in ſeculum & ultra SEDEANT SUPER HAC SEDE RUTÆ. Fiat, Fiat, Amen, Amen, Halleluja. Wittebergæ, ipſa die Dominica LÆTARE, Anno Chriſti 1612.

Smæ Cdini Vræ

Subjectiſſ.

Wolfgangus Franzius,
Theol. D.

LECTORI PIO.
P. P. P.

ACcipe jam tandem, amice & benevole Lector, hanc à te diu deſideratam hiſtoriam animalium ſacram; non ex meo cerebro aut ex fabulis vulgi confictam, ſed ex probatiſſimis fideque digniſſimis auctoribus Phyſicis, & Theologis, in uſum non Medicinæ, ſed Theologiæ Studioſorum & multorum Paſtorum Eccleſiarum collectam. Elegans & utile tibi tuisque hoc eveniet exercitii genus, ut pote ab ipſo Spiritu ſancto toties in ſacris literis, & poſtea in eruditiſſimorum Patrum Theologicis monumentis tibi præmonſtratum, ſi tantum illo rectè uti potueris. Nequaquam autem mens mei propoſiti hæc eſt, quaſi velim abducere Concionatorem à textibus Biblicis, τῷ ῥητῷ *& verbis prout ſonant, ſtant & jacent, ſimpliciter & accuratè exponendis, ad quasdam meras allegorizandi conſuetudines, aut etiam revocare illum totum morem, quem ſub Papatu vi-*

c 5 guiſſe

guiſſe & infinitis incommodis anſam præbuiſſe notum eſt, ubi omnes textus ſacri exponebantur hiſtoricè, tropologicè, allegoricè, ſæpè alluſionibus in medium prolatis verè ridiculis, putidis, coactis, alienis, nulliusque utilitatis; Abſit hoc à me, qui nihil magis urgendum cenſeo, & clamo, quàm verborum divinorum ſententiam nativam, & ex illa ſententia verborum dependentes vel effluentes doctrinas, exhortationes, conſolationes, inſtitutiones proponere ſuadeo jubeoque. Hos enim Concionatores textuales, de judicio Divi Lutheri omnium optimos concionatores eſſe & à pueritia audivi, & in uſu ipſe quam maxime veriſſimum eſſe cognovi. De qua ipſa expoſitione & interpretatione ſcripturarum juxta maxime propriam nativam DEI mentem citra omnes violentas alieniſſimasque à mente Spiritui Sancto detorſiones (hodie multis illis etiam uſitatas, qui non tam CONSCRIBUNT ex bene ponderatis Scripturis, quàm ſubitò commentarios & poſtillas ex aliorum tantùm commentariis & poſtillis DESCRIBUNT) ſuo tempore prolixiorem manuductionem publicabo, ita temperatam, ut non tantum ex profeſſo Theologis futuris, ſed & aliis ad dijudicanda ſcripta propria & aliorum facilem,

bre-

breuem & certiſſimam viam demonſtrare queat. Quid igitur (inquies) ex hoc Tractatu ad me commoditatis redibit? Hoc unum (reſpondeo) ut cum QVANDOQVE ad imitationem Magiſtri noſtri & Salvatoris JESU CHRISTI pro plebis captù doctrinam aliquam ſimplici auditorio ita vis penitiſſimè inculcare, ut viſo hoc vel illo animali eandem ſibi ſponte in animum revocare ſæpius, eamque ad uſum imitando traducere queat felicius, ex hoc libello vel ex alio quopiam, modum & occaſionem & copiam talium ſeu parabolarum ſeu ſimilitudinum, citra laborioſam difficultatem reperire poſſis. Habes ducem in hoc ipſo genere docendi Spiritum Sanctum & imprimis Chriſtum Dominum. Unde D. Thomas part. 1. quæſt. 1. artic. 9. Quæ in uno loco traduntur Scripturæ ſub Metaphoris, in aliis locis expreſſius exponuntur. Habes manuductionem ipſorum ſanctiſſimorum Patrum. Et huc pertinet illud Hieronymi in caput 18. Matthæi: quod per ſimplex præceptum teneri ab auditoribus non poteſt, per ſimilitudinem exemplaque habetur. Ingredere igitur cum aliquo (exempli gratia) homine vel virtutis vel vitii vel rei alterius indicem, & mox è regione quod quæ res, quantum hujus noſtri inſtituti ratio pati vo-

ti voluit, invenies. Imò tu ipſe poſthac hiſce vel aliis cognatis aliis parabolis hunc Tractatum augebis. Iterum autem dehortor, ne omnes & ſingulæ totæ conciones perſtrepent hiſce parabolis, ſed ut cum judicio & ſelectu & in tempore adhibeantur. Sæpe omiſſâ animalis ipſius nomenclatione & ſuppreſſis animalis proprietatibus tamen proderit & ſuffecerit aſſcriptas doctrinas pro concione indicare. Dominus benedicat Theologicis ſtudiis tuis, & ſit cum Spiritu tuo. Wittebergæ Dominica Lætare, Anno Chriſti 1612.

Wolfgangus Franzius,
Theol. D.

AUGU-

AUGUSTUS BUCHNERUS
LECTORI BENEVOLO
S.

VIdebor tibi fortaſſis, LECTOR BENEVOLE, alienum negotium agere, dum commendare in præſenti, rogatus licet, & tradere tibi ſuſtineo hunc librum. Ego verò non ago, neque tranſilio lineas, quas mihi officii ratio deſcribit. Quamvis enim Inſcriptio ejus, muneris mei titulo parum reſpondeat, cujus eſt, Poëtas & Oratores interpretari, & utriusque Eloquentiæ munire vias; ſcriptura ipſa tamen omnino convenit, quæ eò ſuſcepta maximè eſt, non ut inſtituat Philoſophum; ſed iis inſerviat, qui Conciones, hoc eſt, Orationes ſacras habendas ad populum copioſius paulò ornatiusque inſtruere volunt. Illuſtris in diſciplinis Rhetorum locus SIMILIUM eſt. Clarior enim ac evidentior fit res, quæ explicatur per ſimilitudinem; nec tam legenda vel audienda proponitur, quam intuenda velut coram & arbitranda ſubjicitur oculis. Accedit, quod aſſimilationes egregiæ non dignitatem modò ac majeſtatem orationi concilient, ſed plurimum etiam jucunditatis ac gratiæ afferant: & faciant adeò, ut cum voluptate aliqua ſubeat animum & ſuaviter occupet ac trahat. Nam & picturæ præclarè elegantes homines delectabilius haud rarò, quam ipſæ res, capiunt, quarum oſtentant imagines; & artificium ac color

ante

ante ipſam habetur naturam. Sed ut à cæteris rebus, quibus abſolvitur rerum orbis; ita ab animantibus quoq; earumque ingeniis, varias pulcherrimasque comparationes ducere licet. Nam quantum exemplorum præbere ſe ibi rimantibus poteſt, unde efficaciſſimos petere ſtimulos, tum ad honeſta capeſſenda, tum ad vitanda turpia liceat? Habent enim & bruta impetus ſuos, quibus & ſe commendent ad laudem, & odio invidiæq; obnoxia ſint. Ac quotusquisque tam ſegnis erit ac ſocors, qui in decôris ac pulchris ſe præteriri à beſtiis æquâ mente ferat, aut in deformibus ac pravis non indignetur ſe iis paria facere? Quare mirum non eſt, ſi præſtantiſſimi ac ſapientiſſimi viri ex loco iſto amplificandas juxta & exornandas orationes ſuas duxerunt. Quorum numero nec tractatores divinarum rerũ, nec illi ipſi eximendi adeò ſunt, qui Codicis ſacri conficiunt corpus, atque afflati cœleſti Spiritu oracula ſancta ediderunt. Videturq; hæc ratio celebrata cumprimis Orienti, & Palæſtinis maxime, ut D. Hieronymus docet, fuiſſe: ut mirum non ſit, ipſum religionis noſtræ conditorem ac ducem tam familiariter parabolis uſum. Sed cum videret ὁ μακαρίτης FRANZIUS eo ingenio ac eruditione omnes non eſſe, quibus pro concionibus ſacris facienda verba veniunt, ut ab ſe reperire ſimilitudines hujus generis poſſent; hoc conſcribendũ ſibi, pro ſingulari

illa

illa voluntate, in promovenda ſacræ Eloquentiæ ſtudia qua erat, putavit opuſculum, quo illis ſecundæ ſortis ingeniis, & aliena indigentibus ope, conſuleret, & velut ſubjiceret corticem, quo innatarent. Qui labor ejus quo fructu conſtiterit publicè, vel iteratæ toties editiones docere poſſunt. Namq; ſi pretium libro bonitas facit: nec temerè quisnā appetit, niſi quod profuturum ſibi aut noverit ipſe, aut aliorum documento didicerit: nec repetitum toties typis opuſculum eſſet præſens, nec in tot exemplaribus ita diſtractum hactenus, ut nulla eorum copia amplius ſupereſſet, ni quantum frugis afferret, abundè probaſſet. Nota ex aliis monumentis præclaris, iisque majoribus, & eruditio excellens FRANZII, & ſingularis induſtria, nec non graviſſimū & accuratū perquam judicium.

Quare non eſt, cur operoſius tibi, LECTOR BENEVOLE, ſive auctorem voluminis, ſive volumen ipſum commendem. Satis ab ſe & auctor librum, & liber auctoris tuebitur nomen. Nam & in parvis operibus artificis lucet praſtantia. Et Myronem non tantum bucula illa nobilis; ſed & cicada locuſtaque, quas poſuit, aſſeruerunt. Habe itaque tibi LECTOR egregium iſtum ac utiliſſimum libellum, & MÆVII noſtri beneficium agnoſce, qui eum non modò ſextum tunc edit, ſed & habiliore, quàm anteà, forma & novo, præter cæteros, moralium, & quæ ad Sacra pertinent, Indice auctum. Ut ſemper, quæ proſunt ac juvant, grata ſint; jucundiora tamen accidere ſolent, quæ commodiorem ſui & uberiorem uſum præbent. Vale.

PSAL. CIV.

OMnia à Te expectant, ut des illis eſcam in tempore.
Dante Te illis, colligent, aperiente Te manum tuam, OMNIA implebuntur bonitate.
Aperiente autem Te faciem, turbabuntur: auferes ſpiritum eorum, & deficient, & in pulverem ſuum revertentur.
Emittes Spiritum tuum, & creabuntur: & renovabis faciem terræ.
Sit gloria DOMINI in ſeculum, & lætabitur DOMINUS in operibus ſuis.

B. Auguſtinus
Epiſtola XIX.

CRedo quod ipſe animi motus, quamdiu rebus adhuc terrenis implicatur, pigrius inflammatur; ſi verò feratur ad SIMILITUDINES corporales, & inde ad Spiritualia, quæ illis SIMILITUDINIBUS figurantur, ipſo quaſi tranſitu vegetatur, & tanquam in facula ignis agitatus incenditur, & ardentiore dilectione rapitur ad requiem & quietem.

TRA-

TRACTATUS
PHYSICI,
DE NATURA
PLERORUMQUE
Animalium brutorum, accommodatus ad uſum præſertim οἰκονολογικόν.

PARS PRIMA.
CAPUT I.
DE ARGUMENTO HUJUS TRACTATUS.

HISTORIA ANIMALIUM brutorum, qvæ ab aliquibus non ſatis commodè dicitur ζωογραφία, quaſi deſcriptio viventium, eſt pars quædam doctrinæ Phyſicæ, qvæ agit de illo genere animatorum, quod brutum appellamus.

Genus igitur eſt pars doctrinæ Phyſicæ. Nam
2 Phyſica, qvæ eſt explicatio naturæ rerum, dividitur in Metaphyſicam, Mathematicam & Phyſicam ſpecialiter ſic dictam. Sed Phyſica, ſpecialiter ſic dicta, complectitur ſeptem rerum naturas, quæ panis quotidiani nomine in quarta petitione Orationis Dominicæ veniunt, 1. Aſtra cœli. 2. Quatuor Elementa. 3. Meteora. 4. Metalla. 5. Plantæ. 6. Bruta. 7. Homines.

Etſi autem aliqui ad Medicos hanc conſiderationem de brutis animalibus devolvere conantur: tamen propria eſt Philoſophorum, à quibus Medici eam in uſum medendi, tanquam in praxi, mutuo ſumunt.

Forma eſt, quod in hiſtoria animalium explicetur illud genus animatorum, quod appellamus brutum. *Docet* igitur *hæc pars Phyſicæ tùm naturam & proprietates, tùm motus & generationem, ἀντιπάθειαν συμπάθειαν, vires, virium inſtrumenta, locum nativum, figuram & uſum ſingulorum animalium brutorum.*

Ut autem videant Studioſi, hanc explicationem non ſolis Medicis conducere, ſed ſingulis & univerſis Literatis, imprimisq; Theologis, Notanda eſt 1. *Dignitas*, 2. *Utilitas* hujus ipſius partis Phyſicæ.

DIGNITATEM igitur artium metiuntur auctores imprimis *ex efficiente cauſa*, & *ex objecto.*

3 *Inventores* hujus doctrinæ & excultores ſingulis ætatibus mundi in Eccleſia & extra Eccleſiam fuerunt homines pientiſſimi, & præſtantiſſimi. Atq; *Gen. 2,20. Adam* ipſe omnibus animalibus ſua convenientia nomina impoſuit, poſtea *Gen. 6,20. & 21. Noah* in arca non tantum ſemper ſpectavit animalia, verùm etiam convenien-

venientia pabula ipſis proponere jubetur. *Gen.30,37.* *Jacobus* Patriarcha Phyſico quodam ſtratagemate efficit, ut oves plures diverſi coloris generentur, qua ratione ipſe diteſcebat. *Gen.36,24.* *Ona* in deſerto invenit mulos. *De reliqvis*, qvi paſtores fuerunt, & pecora curarunt, non opus eſt prolixiùs dicere, & extant hiſtoriæ, Gen. 13,5.7.& 37,2. Exod. 10,9. 1. Sam.16,11. & 17,34. Notandum imprimis illud eſt, quod 1.Reg.4,33. *Salomon* dicitur eſſe locutus de animalibus, & de volatilibus, & de reptilibus, & de piſcibus. *Alexandri Magni* ſtudium etiam memoriâ dignum eſt, qui Ariſtoteli donavit 80. talenta & aliquot millibus hominum in Aſia & Græcia mandavit ut piſcando, venando, &c. ipſum juvarent. Qua ratione factum eſt, ut Philoſophus auream illam hiſtoriam animalium conſcribere potuerit.

UTILITATES hujus doctrinæ ſunt inſignes tres: *1. ad differendum. 2. ad explicandum ſcriptores ſacros & prophanos. 3. ad laudem Dei.* 4

I. *Ad differendum* ita prodeſt hæc doctrina, ut in orationibus & concionibus aliisque colloquiis hinc petatur copia multarum rerum utilium. Imprimis igitur opus eſt notitiâ, ne error committatur. Democritus ridetur ab Ariſtotele, quòd interrogatus, cur canis ſemper incumberet eidem lateri ſeu lapidi, nihil aliud reſpondere potuit, quàm quod canis haberet aliquid ſimile cum lapide. Interdum etiam Virgilius hac in parte aliquid commiſit, ut quum (4. lib. Æneid.) tribuit Africæ cervos, cùm tamen in Africa nulli ſint cervi. Sic alibi (in Georg.) Italiæ tribuit onagros, cùm tamen tales non ſint in Italia, ut disputant.

Sæpè etiam curſu timidos agitabis onagros &c.

Alloquens abſq; dubio incolas Italiæ, quibus præcepta Georgica præſcribere voluit.

II. *Ad explicationem ſacrorum autorum & profanorum* neſcio quid plus poſſit prodeſſe, quàm hæc ipſa pars Phyſicæ.

Sacerdotes *Veteris Teſtamenti* cogebantur ma-
5 gnam habere notitiam victimarum: neq; omnes cibi erant liciti; & *Dan. 7.* beſtiis comparantur Monarchiæ, Chaldaica Leoni & Aquilæ, Perſica Urſo, Græca Pardo, Romana beſtiæ multiplici. In eodem *Daniele cap. 8, 3.* Perſicum Imperium confertur arieti. Sed Græcum capræ, *v. 5.* quia ut in capris eſt alacritas: Ita etiam in Græcia ſumma fuit induſtria. In *Tobiæ libro cap. 2, 10.* extat malum, quod contigit ſeniori à ſtercore hirundinis, & quod fuit ſanatum per jecur piſcis, *cap. 11, 13. 14.* In Teſtamento Jacobi Patriarchæ, *Geneſ. 49* ſimiliter multa occurrunt, ubi dicitur Catulus Leonis, Juda, *v. 9.* Ad prædam, fili mi, aſcendiſti, requieſcens accubuiſti, ut Leo & quaſi leæna, &c. *Item:* Non auferetur ſceptrum de Juda, donec veniat Siloh, & alligabit aſinum, &c. *v. 10.* *Item,* Iſaſchar ſicut aſinus fortis, *v. 14.* *Item* Nephtali cervus emiſſus, *v. 21.* *Item* fiat Dan coluber, *v. 17.* Et ſtatim ab initio, *Geneſ. 3, 15.* Conteret caput ſerpentis. Neceſſe etiam eſt, ex hiſtoria animalium in explicatione hiſtoriæ Jonæ repetere naturam ceti, in cujus ventrem abſorbebatur Propheta.

In *Novo* verò *Teſtamento* plurima ſimiliter occurrunt exempla, ubi *Chriſtus* cõparatur agno, *Joh. 1, 29.*
6 *Spiritus Sanctus* apparet in forma columbæ, *Matt. 3, 16.* jubemur eſſe ſimplices ſicut colũbæ & prudentes ſicut ſerpentes, *Matt. 10, 16.* *Diabolus* cum hæreticis comparatur

ratur

ratur lupo, *c. 7, 15.* ubi cadaver, ibi congregantur aquilæ, *cap. 24, 28.* quoties volui te congregare, ſicut gallina congregat pullos ſuos, *Matth. 23, 37.* Alibi etiam *David* exclamat, ô utinam haberem pennas columbæ, ut fugerem hæc mala, *Pſal. 55, 7.* Ita alibi dicit, ſe eſſe ſicut cuniculum, & ſicut paſſerem in ſolitariis locis. Et *Pſal. 84, 4.* *Ipſa Eccleſia* confertur nido, in quo excluditur paſſer & hirundo. Item alibi *Pſal 103, 5.* exoptat, ut poſſit rejuveneſcere, ſicuti Aquila, &c.

In profanis verò auctoribus ſimilia infinita occurrere, lectio ipſorum quotidiana plus ſatis demonſtrat, & nimis futurum eſſet prolixum, ſi exempla aliqua huc adducere vellemus.

III. Prodeſt hæc ipſa hiſtoria animalium *ad laudem DEI omnipotentis.* Unde *in cantico trium puerorum* rectè dicitur: *Benedicite Domino ros & pruina, benedicite cete & omnia, quæ moventur in aquis, Domino, benedicite omnes volucres cœli Domino, benedicite omnes beſtiæ & pecora Domino.*

Sciendum verò eſt, non ipſa animalia bruta per ſe 7
poſſe decantare laudes Domino, ſed homines ex aſpectu animalium accipere occaſionem, & manuduci ad cantandum laudem Domino. Ipſa verò aſpectio non eſt nuda & ſimplex, ſed complectitur hæc quinque, quorum 1. eſt *varia natura* & multiplex perfectio, pulchritudo, magnitudo, & convenientia inter ſe & cum tota natura. 2. *Utilitas*, quia neque minimorum minimum animal ſua inſigni caret utilitate. 3. *Mirabilis ordo* in generatione & in locis, quæ amant, ſicuti *Jobi* 39. *item 40. item 41.* graviter admonetur. 4. *Summa conſtantia* in ſervitio hominis,

quod facilè poſſent excutere, ſi robur ſuum noſſent, & niſi obſtaret mandatum Dei promulgatum in prima creatione, *Geneſ. 1.* item repetitum poſt diluvium. *Gen. 9, 2.* Dominamini beſtiis terræ, &c. 5. *Obedientia erga Deum* valde admiranda, ut in miraculis. Apud *Herodotum in Euterpe vel lib. 2.* in exercitu Sennacherib, cùm hoſtium fremitus in immenſum creſceret, ita ut de ſalute deſperarent reliqui, unâ nocte mures coria ſcutorum & ſagittarum ita lædunt, ut altero die cum ſumma turpitudine fugien-
8 dum eſſet hoſtibus quanquam animoſiſſimis. Et notiſſima ſunt mala, quæ ab animalibus brutis perpeſſus eſt Pharao, paſſim in Exodo per aliquot ejuſdem capita. Notæ etiam ſunt hiſtoriæ de aſina Bileam, *Num. 22.* de corvo paſcente Prophetam, *1. Reg. 17, 6.* de urſis diſcerpentibus illuſores Prophetæ, *2. Reg. 2, 24.* &c. Atque ita ſatis conſtat eſſe inſignes utilitates hujus Tractatus de Hiſtoria Animalium.

CAPUT. II.

DE DEFINITIONE ANIMALIS IRRATIONALIS.

ANIMAL IRRATIONALE *ſeu brutum eſt corpus perfectè mixtum, vitâ & ſenſu præditum.* Hæc definitio *pro genere* habet corpus: *pro formâ* duo: 1. quod ſit *perfectè mixtum* corpus, ad differentiam meteororum, quæ ſunt imperfectè mixta. 2. quod *præditum ſit vita & ſenſu*, hoc eſt anima *αἰσθητικῇ.* Ergo animal irrationale conſtat ſuo corpore & ſua anima.

DE

DE CORPORE BRUTI.

Corpus bruti eſt ipſa collectio variorum membrorum externorum & internorum, fluidorum (ſanguinis) *& ſolidorum,* (carnis & oſſium:) *ſimilarium & diſſimilarium.* Hic igitur ordine ſingula & varia membra erant enumeranda & explicanda. 9 Verùm eùm corporis humani membra, quæ in libell. Philipp. Melanchth. de anima explicantur, aut conveniant cum membris brutorum, aut ad ea quàm proximè accedant; Idcircò hoc labore nunc ſuperſedemus.

Tantùm autem illud hòc in loco eſt admonendum, *quod imperfectiorum animalium partes non ita exactè congruant cum partibus corporis humani.* Nam multa ſunt animalia, quæ carent ſanguine (ut aranea, formica, &c.) ſed loco ſanguinis habent pinguem, & cruentam quandam humiditatem, quæ eſt analoga ſanguini, hoc eſt, illud præſtat, quod in reliquis præſtat ſanguis, alit corpus, & vehit animam ſenſitivam. Sic piſces non habent oſſa, ſed loco oſſium ſpinam, ſicut cancri cartilagines. In inſectis aliquid intermedium apparet inter carnem & nervum, quod eſt loco oſſium vel ſpinarum vel cartilaginum, & idcircò fiſſilem habent carnem directam in obliquum, ne facilè perirent: aves loco aurium habent meatus auditorios, loco dentium habent roſtrum oſſeum, quod in ſe coactum præſtat illud avibus, quod aliis animalibus præſtant dentes, loco naſi habent foramina narium ante os: Ita etiam vitulus marinus non habet aures, 10
ſed tantum cavernas auditorias. Loco digitorum habent pedes priores, loco manus Elephantus habet proboſcidem, piſces & ſerpentes non habent membra generationis, ſed tantùm meatus quoſdam ſemini dedica-

dicatos, & ova in membranis quibusdam colligunt. Loco capitis Polypi habent alveum. Loco linguæ multa animalia carneum quiddam habent, non extra, ſed intra, ut formicæ. Multa aculeo ſuo externo, fungoſo & cavo ſimul guſtant, & cibum attrahunt, ut muſcæ & apes, & multa teſtàta, (teſtis incluſa.) Piſces carent pulmonibus, quia non opus erat ipſis refrigeratione, cùm ſemper verſentur in aquis: Et quia carent pulmonibus,idcircò etiam carent collo, quia collum prodeſt reſpirationi. Pro calore habent fel copioſius piſces.

In reliquis animalibus hujus providentiæ divinæ alia occurrunt exempla, ut illa animalia,quorũ ſervitio utimur,&quæ ſunt valdè magna,aut nihil habẽt fellis, aut parũ fellis, ne ſcilicet ex caliditate bilis flavæ extimulata ſubinde iraſcerentur homini utenti ipſis.Contra quæ parva ſunt, & quæ non ſunt deſtinata ſervitio
11 hominum,plus habent fellis, quia horũ iram prævertere vel avertere poteſt homo. Etiam de certis præſidiis natura provida proſpexit animalibus. Multa valent cornibus, ſed quibus deſunt cornua, illa vel habent dentes, & quidem prominentes, ut ſues, vel habent ungues, & roſtra, & calcaria, ut aves, (galli) vel habent celeritatem pedum,ut equi & cervi, quibus cornua nimis onuſta parum proderant, vel habent vaſtitatem corporis pro præſidio, ut Cameli. Echinus habet ſpinas. Bonaſis profundit ſuum excrementum, cum verſatur in anguſtiis,& ita profuſio excrementi ipſi eſt pro armis data à natura. Similiter Lolligo infuſcat aquam atramento, & Polypus propter metum ſeſe vertit &aſſumit omnem colorem,hoc eſt, propter ſubtilitatem corporis ejus tranſlucet quilibet

libe t color per ipſum. Præterea cum inſecta valdè
pauca habeant membra, natura ipſis dedit plures pe-
des. Mobiles etiam fecit natura aures in animali-
bus; ut ex perpetuo motu melius poſſint imbibere ſo-
nos, & ſibi cavere à periculis cum non erecta incedant,
ſicut erectus homo viſu percipit imminentia pericula.
Sic multa animalia habent quidem dentes, ſed tamen
non in eodem loco, ſed vel in palato, vel in lingua, ut 12
multi piſces; & quidem cancri duplices habent dentes,
externos ſtatim juxta os, & internos in ipſo ventricu-
lo qui non longè abeſt ab ore. Item cancri cum nõ ha-
beant magnam varietatem viſcerum, illorum loco fi-
ſtula ſtatim à ventre usque ad exitum, quam impro-
priè nominant caudam (Omnis enim piſcis cauda-
tus natat. Sed cancer non natat: Ergo non eſt cau-
datus) ducta reperitur, quæ præſtat cancris illud, quod
aliis animalibus præſtant viſcera. Quæ verò ani-
malia nullos habent dentes, illa tantum vivunt humi-
do alimento. Sunt multa, qvibus non eſt unicus
ventriculus, ſed vel geminus, ut aves: vel quadruplex,
ut illa quadrupeda, quæ ruminant. Hujus rei ratio
eſt, quod talia animalia veſcantur cibis valdè crudis,
qui indigeant multiplici digeſtione, ut imprimis qua-
drupeda, quæ lac progignere debent. Fecit item
natura, vel rectiùs ipſe Deus, admirabilem alternatio-
nem, ut ſemper minora animalia ſint ſapientiora ma-
gnis, ſicut apparet ex mirabili ſtructura nidorum, ex
telis aranearum. Inter ſylveſtria & domeſtica et-
iam apparet illud diſcrimen, quod ſylveſtrium car-
nes ſint magis puræ propter continuum motum exci-
tantem calorem, per quem ſuperfluitates humidæ con-
ſumantur, ſed tamen non ſunt ita ſubtiles, cum dome- 13

ſticorum carnes ſint magis molles, ſed tamen etiam magis impuræ, propter pigritiam, qua calor deliteſcens officio ſuo non fungitur. Præterea licet in omni genere animalium fœmina ſit ferocior, tamen ex divina diſpenſatione omnis fœmina eſt imbecillior in ſuo genere. Et ne quid ad ornatum totius mundi omitteret natura vel Deus, quibusdam animalibus, ut quibusdam avibus, latiorem conceſſit linguam, per quam poſſunt addiſcere & æmulari ſonos ſermonis humani. Per ſe omnia animalia, etſi carent beneficio ſermonis, tamen ſingula in ſuo genere diſtinctas habent voces, & in diſtinctis vocibus diverſitatem quandam ſonorum efficiunt, ad ſui ſenſus mutuam interpretationem, ut loquitur *Ariſtoteles lib. 2. de partibus animalium cap. 17.* Piſces tamen hac in parte infeliciores ſunt, quia non habent explanatam linguam, & citò deglubunt cibos, ne humor impediat ſaporem. Admiranda etiam eſt illa gubernatio, quod ſemper æqualis copia animadvertitur marium & fœminarum, non tantùm inter animalia bruta, verùm etiam inter homines.

14 Hoc etiam conſideratione dignum eſt, quod illa animalia habeant oſſa firmiora, quæ pariunt alia animalia, videlicet quæ devorant carnes, ut delphini, equi, leones, &c. Reliqua enim, quæ vel non pariunt ex ſe animal, ſed tantum ova, vel quæ etiam non devorant carnes, habent minus firma oſſa, ut volucres. Et animalia, quæ paſcuntur carnibus, ſtercora habent vehementer olida; reliqua verò, quæ veſcuntur graminibus, ſtercora habent non tam malè olida. Quibus corpora ſunt minus piloſa, illis cauda data eſt longior; contra, quibus corpus eſt valdè piloſum, caudam habent breviorem. Aves quædam habent aduncum

uncum roſtrum, quæ ſcilicet veſcuntur carne, non etiam fructibus, unde & ſus, fodiens radices, ſimile roſtrum à natura, vel rectiùs, à Deo, accepit. Multi piſces nullam habent veſicam, quia excrementa in pinnas & ſquamas cedunt.

Ex hac commemoratione patet, quænam ſit diverſitas inter corpus humanum, & inter corpora brutorum, cur bruta nec habeant omnia membra, neque habeant ipſa in illis locis, in quibus conſtituuntur in homine: Item, quàm ſapientiſſima fuerit Dei providentia in creandis, & diſponendis membris brutorum.

DE ANIMA BRUTI.

Tria ſunt genera viventium, unde triplicem ani- 15
mam ſtatuunt Phyſici, vegetantem in plantis, ſentientem in brutis, rationalem in hominibus. Omiſsâ primâ & tertiâ, agendum eſt de media.

Initiò igitur ſciendum eſt, ***Animum bruti non eſſe ſpiritum incorporeum,*** qualis eſt noſtra mens inviſibilis, & immortalis, aliàs quoque bruta eſſent immortalia. Nihil igitur aliud eſt anima brutorũ, pro facili Minerva, quàm illud, quod nomen indicat: ſcilicet ἄνεμος, id eſt, ventus, ſeu aër, ſeu halitus, μεριστὸς, ὁρατὸς, mortalis, id eſt, ipſe actus corporis ſanguine viventis. Illud ergò quod in ſanguine bruti apparet, ſentitur tanquam flatus calidus, & ſpirituoſus in ſanguine, eſt ipſiſſima anima bruti, per quem ſpirituoſum & calidum flatum corpus bruti edit omnes ſuas actiones & operationes. Hinc ergò *Levit. 17, 11. 14.* ter dicitur, ***anima omnis carnis eſt in ſanguine.*** Etſi autem in brutis alia ſunt præſtantiora membra; tamen non in illis, ſed in ſanguine fluido conſiſtit anima

nima, quia non poterat caloris vitalis commodius dari alimentum & vehiculum ſeu receptaculum. Similiter *Deut. 10, 23.* dicitur: *Hoc ſolum cave, ne*
16 *ſanguinem comedas Sanguis enim eorum pro anima eſt*, & idcircò non debes animam comedere cum carnibus. *Gen. 9, 4. 5 Carnem cum ſanguine non comedetis.* Cauſſa verò prohibitionis non eſt alia, quàm ut diſcerent hac ratione cavere ſibi homines à cædibus humanis & injuriis. Nam *Gen. 9, 5* ſtatim poſt hanc Legem de ſanguine non edendo, ſequitur Lex prohibens homicidia,

Verum autem eſſe, *quod anima carnis ſit in ſanguine*, duabus rationibus *probatur; 1 quia* partes quorundam animalium præciſæ vivunt, & implantatæ terris ſuccum attrahnnt. quia anima plantarum ſimiliter eſt corpus, ſeu corporeus calor. 2. *quia* diſcurſus ſanguinis manifeſtè producit varietatem adfectuum. Sanguis enim ſpirituoſus in ira fervet, in timore ab externis membris fugit ad interna, ut ita externa palleſcant, in mœſtitia pigreſcit & ſubſiſtit, & quaſi vitium contrahit, in gaudio effunditur ab internis ad externa, unde in lætitia non tantùm vultus humanus rubeſcit, ſed etiam cum grato candore conſpicitur, id quod eſt riſus. Denique in pudore ex improviſo occupat faciem, & prodit commiſſum ſcelus, unde dicitur:

17 *Heu quàm difficile eſt crimen non prodere vultu!*

Quæ verò ſunt in homine, illa quoque per omnia contingunt in brutis. Huc accedit & illud, quod pro diverſo ſanguine, puriore vel impuriore, ſtabili vel inſtabili, fervente vel non fervente, pingui vel non pingui, ipſa animalia alios atq; alios ſortita ſunt mores

res. Hinc enim eſt, quod bos deprehenditur piger & ſtabilis, aſinus ſtolidus, equus fervens non in amore tantùm, verùm etiam in bello, lupus indomitus, Leo audax, vulpes aſtuta & doloſa, canis promtus, & conſervans memoriam beneficiorum & amicitiæ. (A Tartaris bibitur ſanguis equinus, ut eo animoſiores reddantur, & eo magis corroborentur) Idem de reliquis infinitis eſto judicium. Sic ergò in ſanguine ſunt ſenſus, & idcircò illa bruta citò ſeneſcunt, quæ vehementer pingueſcunt. Cùm igitur materia ſeu vehiculum ſenſuum abſumatur, neceſſe eſt ipſos ſenſus flacceſcere & ſequi ſenectutem.

Quæri autem poſſet, *an non ponenda ſit rationalis anima in brutis*, cum miras videamus actiones in multis brutis. Deinde cum *Geneſ. 9, 5.* Deus ipſe vindicare velit ſanguinem hominis in brutis, ſi quando effuderunt ſanguinem humanum, & cum *Exod.* 18
12, 28. bos, qui interfecit hominem, morti adjudicetur, & cum *Levit. 20, 15. 16.* jubeatur comburi animal, cum quo conſuetudinem coitûs homo aliquis habuit.

Sed de miris actionibus brutorum paulò pòſt dicendum erit in hoc ipſo capite. Quod ad comminationes diuinas attinet, non alius illarum eſt ſcopus, quàm ut deterreant hominem propoſita argumentatione à minore ad majus: Si Deus iraſcitur bruto irrationali propter interemptum hominem, multò magis graviſſimè ſuccenſebit rationali animali, quod transgreditur præceptum de non fundendo ſanguine humano.

POSTQUAM in genere dictum eſt de anima brutorum: *Nunc in ſpecie* breviter explicandæ ſunt

facul-

facultates dependentes ab animâ brutorum, quæ ſunt vegetativa, ſenſitiva, appetitiva, & locomotiva. Etſi enim in libello de anima hæ quatuor unà cum ratiocinativa appellantur potentiæ animæ humanæ: tamen propriè loquendo hæ quatuor in homine ſunt potentiæ corporis, quæ tamen ab anima rationali etiam gubernantur, & quia reperiuntur in ipſis brutis, ideò ſunt illis tales facultates, quæ dependent ab animâ brutorum ſic dicta.

19 AD VEGETATIVAM quod ſpectat, complectitur illa nutritionem, generationem & augmentationem.

Nutritionem quod attinet, *multa* ſunt animalia, quæ veſcuntur ſolis carnibus, ut Leo, Tigris, Lupus: *quædam* fermè omnibus rebus promiſcuè veſcuntur, ut canes: *quædam* aluntur graminibus & frugibus, ut equi & cervi. Et *quædam* vivunt ex venationibus aliorum animalium & prædâ, ut Leo, & Lupus: *quædam* verò id, quod poſſunt acquirere, recondunt, ut Erycius & Formica: *quædam* iterum tantùm nocte prædantur, ut Lupi: *quædam* utroque modo, ut feles.

Ergo quod plurima reperiuntur bruta, quæ non videntur eſſe manifeſtè facta propter homines, ea tamen facta ſunt propter utilitatem aliorum brutorum, & ſic mediatè illa ipſa cedunt in uſum hominum. Præterea *ſerpens* etiam ſerpentem mortuum comedit, *aranea* exugit araneam mortuam.

Formica non ſuccos tantùm, verùm etiam carnem rubetæ conſumit relictis denſis partibus, quæ ſunt inſtar oſſium, adeò, ut quaſi anotomiam ejus inſtituat. Plus comedunt quadrupeda, ut plus carnis & lactis poſſint ſuppeditare. *Serpentes* diuturnam famem poſſunt

poſſunt tolerare, ne, ſi fame ſæpius urgerentur, plus 20
ſatis moleſti eſſent hominibus, & reliquis brutis. *Hirundines* interdiu capiunt & devorant veſpas, ſicut *Veſpertiliones* noctu inſidiantur culicibus, ut ita ſint diurni & nocturni aëris expurgatores.

Non parvam extare voluit Deus multitudinem *corvorum* propter duas cauſas, *tùm* ut cadavera putrida citò conſumant, *tùm* ut vermes ſub terra natos è medio tollant, unde magno numero poſt aratrum ſequi conſpiciuntur. *Pici* (Specht) ſimili modo purgant arbores ſuis roſtris, quibus corticem incidunt, hacq; ratione vermes expellunt. *Vultures* ex longinquo olfactu cadavera proſequuntur, neque tamen malum aliquod ex venenoſis cadaveribus contrahunt, ſicut etiam ſturni & cervi à veneno ſaginantur. *Araneæ, Serpentes, Bufones, Culices, Vermes & ſimilia animalia* magno beneficio afficiunt reliquam naturam, quia purgant omnia animalia, eluunt ſordes, attrahunt venenoſas qualitates, ut in uſum hominum ipſa elementa magis uſurpentur pura.

Meliora etiam ſunt, quæ paſcuntur in montibus, quàm quæ in paluſtribus locis, quia herbæ montium
minus ſunt humidæ & noxiæ, atque ſunt herbæ in lo- 21
cis paluſtribus. Et ut omnia magis cedant in uſum hominum, voluit Deus, ut nec multum dormirent bruta, ſed ſubinde etiam noctu cibis uſitatis veſcerentur, & melius augeſcerent. Et ut adhuc uſus ille eſſet commodior, quædam voluit Deus ruminare, ut faciunt boves, oves, capræ, cervi, &c.

Ad generationem brutorum quod attinet, *triplex* illa eſſe dicitur, ita ut *quædam* propagentur ex mutua conſuetudine, vel coitu maris & fœminæ, & hæc dicuntur

cuntur perfectiora: *quædam* verò oriantur ex excrementis. quæ dicuntur viliſſima: *quædam* denique utroque modo propagentur, partim ex coitu, partim ex excrementis (ut mures.)

I. *Ex coitu* producuntur illa, quæ ipſa generant *vel animal*, ut cervi, canes, delphini, viperæ, (vipera dicitur quaſi vivipara, quod producat vivos pullos, quod non faciunt ſerpentes, qui ova pariunt,) *vel ovum*, quod calore externo fovetur, ut excludatur pullus, ut aves, piſces, ſerpentes: *Alia* denique animalia pariunt aliquid, quod nec eſt ſemen, nec ovum, ſed *folliculo concluſum*, quod per multos dies in aqua fovetur à calore Solis, donec tandem inde prodeat ani-
22 mal, quod tamen nec ipſum initio perfecta eſt maſſa, ſed videtur alterius ſpeciei eſſe, & poſt plusculos dies abit in veram illam maſſam.

II. Pediculi, Vermes, Muſcæ, Crabrones, Pulices. & ſimilia imperfectiora animalia non generari dicuntur ex animalibus, ſed *ex excrementis ſtirpium*, unde tot genera vermium per æſtatem conſpiciuntur, quot ſunt genera ſtirpium, *item ex excrementis animantiũ*, ex arena maris, ex terra putri, ex cadaveribus & in ipſis cadaveribus, ſicut multoties in inteſtinis viventium animalium ſimilia quædam generantur, dum ſcilicet calor, qui nunquam eſt otioſus, objectum humidum præparat, immutat, & ſeſe illi inſinuat, ipſiq; ita eſt pro anima. Ita apes generantur ex vitulo fame confecto, & nota eſt hiſtoria de Simſone ænigmatice inquirente ſimilem generationem apum, Judic. 14. De frondibus ilicis generatur vermiculus quidem rubeus, ex quo præparatur color coccineus. Sic etiam generantur crabrones ex ſtercore equino. Sicut igitur

tur talia animalia per accidens ſecundum quosdam producuntur; non verò propriè gignuntur, ita nec rurſus gignunt.

III. Denique *quædam prodeunt modo utroq;, partim* ex coitu, *partim* per accidens, ut mures, locuſtæ, ſcarabæi & ſimilia. Sunt enim quidam mures in navibus, qui generantur ex putridâ materiâ in ſentinâ. 23

Etſi verò hæc ita disputantur, tamen doctioribus judicandum relinquimus, an non omnia producantur ex mutua ſexuum conſuetudine, ita tamen ut pleraque minora pariant ova vel ovis aliqvid ſimile, illudque hinc inde deponant, ut à calore aliquo externo excludatur. Excludi poteſt pullus gallinæ à calore hominis, ſi in ſinu geſtetur diutius. Quid igitur mirum à caloribus inteſtinorum, capitum, alia animalia & vermes formari, ſi adſit utrumque ſimul receptum tale aliquid ſeu ſemen, ſeu ovum, ſeu ſemini & ovo analogum. Hoc autem facilè fieri poſſe, non negabit, qui indeſinenter circumvolitare & circumrepere videt innumera animalcula, vermiculos, &c. An cum mercibus nulli mures in naves pervenerint, quis pro certo aſſeverabit? Hæc igitur peritiores altius expendant. Aves qvas in Scotia ex arboribus creſcere perhibent, Hollandi in navigationibus verſus Chinam viderunt ova excludere & ovis incubare, ergo & illæ, ut aliæ aves, procreantur.

Porrò *quædam ſimul multa gignunt animalia & ſæpiſſimè gignunt*, quorum ſcilicet major eſt uſus in vita, ut lepores, columbæ, &c. *Quædam verò & pauca & rarò gignunt*, quorum ſcilicet minor ſuit neceſſitas ad conſervationem vitæ, ut ſerpentes, viperæ; Quemadmodum præclarè hoc obſervavit Herodotus. 24

Illud etiam annotandum eſt, *in quolibet genere animalium non tantùm eſſe diſtinctos ſexus, verùm etiam ſemper manere diſtinctos*, & nullo pacto, quod multi ſomniant, verbi cauſa, leporem alternatim eſſe marem, alternatim fœminam. Hoc quidem fit, quod in hoc genere animalium plures deprehenduntur Hermaphroditæ, ſed tamen unum & idem individuum non eſt modò mas, modò fœmina.

Alternatim etiam providentiſſimus DEUS voluit *animalia ſtimulari Venere, mares* per hyemem, & matutino tempore: *fœminas* per æſtatem & veſpertino tempore, ne ſi ardor Veneris in utroque ſexu concederet in unum & idem tempus, ambo vires mutuas perderent.

Pariunt autem utilia, & neceſſaria animalia *brevi tempore, oves* quinque menſibus, *cervi* 8. menſibus, *boves* 9. menſibus, *ſues* 60. diebus, ſicut etiam *canes*,
25 *feles*, diebus 50. *Magno tempore* pariunt *illa, quæ* minus inſerviunt quotidiano uſui, ſecundùm communem opinionem, *Elephanti* duobus annis, *leones, lupi, urſi*, tribus annis.

Vivunt etiam iterùm ſecundum communem opinionem alia *diutius*, alia *minus diu, Elephanti 300.* annos, *Cameli 100. equi 50. columbæ 40. pavones 25. boves, canes, porci 10. perdices 17. oves 12. capræ 10. lepores, mures, veſpæ* 6. annos.

Et hæc de vegetativa potentia brutorum breviter fuerunt commemoranda: *reſtat dicendum de ſenſitiva brutorùm*, quia in appetitiva & locomotiva nihil occurrit, quod ab hominum locomotiva & appetitiva magnopere diſcreparet.

Ad

Ad SENSITIVAM igitur potentiam brutorum, hoc eſt, ad quinq; ſenſus externos, & tres internos, ſenſum communem, Φαντασίαν & memoriam quod attinet, hi ipſi nobis ſunt forma interna animalis, & quidem externi plerunque acutiores, quàm in homine, etſi vulgati verſiculi diſtinctionem quandam adhibent:

Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu, nos vincit aranea tactu.

Ideò autem non tantùm externos, ſed etiam inter 26
nos ſenſus brutis natura, id eſt, Deus dedit acutiſſimos, quia denegavit ipſis rationem, unde ſenſus, præſertim interni, ſunt ipſa, ſi ita loqui liceat, rationalitas quædam brutorum. *Per ſenſum communem* enim non tantum comprehendunt imagines omnium objectorum, quæ offeruntur per ſenſus externos, verùm etiam inter illa diſtinguunt. Deinde *per cogitationem ſeu phantaſiam*, tùm in ſomno, tùm aliàs animalia imagines objectorum acceptas recolunt, examinant, & repetunt, altiusq; conſiderant. Denique *per memoriam*, bruta altiùs conſideratas imagines objectorum cerebris, vel illi, quod eſt loco cerebri, firmiſſimè imprimunt, & poſt longum intervallum reminiſcuntur. De quibus tribus ſenſibus internis plura dicentur in explicatione libelli de animâ.

Si veram rationem haberent bruta, utique mortem ipſam effugere conarentur, id quod tamen non faciunt, ſed potius patiuntur ſe ſaginari, nec intelligunt finem. Sicut autem ratione deſtituuntur, & tantùm habent *μίμημα*, id eſt æmulationem, umbram ſeu qualemcunque imaginem rationis: ita *nec in ipſis ſunt veræ virtutes*, ſed tantùm *ſimulacra virtutum*, ima- 27

gines ſeu umbræ pietatis, prudentiæ, ſedulitatis, fidelitatis, & ſimilium virtutum in educatione fœtuum, in extruendis nidis & latibulis, in perveſtigandis alimentis, in ſanandis morbis, in fuga periculorum, in amore ſpeciei, in prognoſticis tempeſtatum edendis, & diſcendis multis operibus mirabilibus, & ſimilibus propè infinitis. Hæc igitur omnia, quæ videntur eſſe effecta rationis, & primâ ſpecie apparent eſſe virtutes, omninò nihil aliud ſunt, quàm opera ſenſuum internorum.

Etſi autem in minimis etiam brutis ſenſus interni reperiantur, & interdum ardentiores, quàm in magnis, ſicut apparet ex telis aranearum artificiosè confectis, & in formicis reponentibus grana in hyemem uſque, tamen in aliquibus tùm majoribus, tùm minoribus deprehenditur modò major, modò minor vis horum ſenſuum, neq; tantùm horum internorum, verùm etiam externorum, adeò ut in quibusdam valdè languidi ſint, & propè extincti eſſe videantur ſenſus externi. *Exempli gratia*, in piſcibus ſtupidiores ſunt nervi, unde nec edunt exenterationis, vulnerationis, & doloris inde orti indicia. Sine tactu planè
28 nullum eſſe poteſt animal, ſed ſine reliquis poterat interdum eſſe. Sic enim talpa, quia ſemper verſatur ſub terra, non videt, tactu tamen maximè valet. Similiter teſtudini, quod debilem habeat viſum, natura, id eſt, DEUS dedit cornua carnea, ſeu præeminentias carneas, quibus viam ſibi poſſit quærere, & ita præſentire atq; præcavere pericula & impedimenta occurrentia, unde ſtatim ſolent cornua contrahere, & in conchas ſe recipere, cum præſentiunt aliquid obſtare. Sed & hæc breviter ſint dicta, de facultate ſenſitiva brutorum.

Quod

Quod ad APPETITIVAM & LOCOMOTIVAM attinet, pleraque ſed ἀναλόγως ſeſe habent, ſicut in homine, ita ut ſenſus externi recipiant objectum externum, illudque deportent ſpiritus ad cerebrum & ad cor, vel ad illud, quod eſt loco cerebri & cordis, ubi ex concurſu ſpirituum formantur affectus, lætitia, dolor, ira, odium, & denique agitatio vel partium corporis, vel totius corporis, ita ut aliqua tantùm natent, aliqua volent, aliqua aliis utantur progreſſionibus. Aves enim cum ſint aëreæ, & abundent pennis, facilimè ſuſtentantur ab aëre. Inter ſerpentes & vermes deprehenditur hæc agitatio, quod contracto & dilatato corpore alia atque alia loca occupent. Sed de his ſatis.

Caput. III. 29

DE DIVISIONIBUS ANIMALIUM IRRATIONALIUM.

VAriæ ſunt diviſiones brutorum non tantùm apud diverſos, verùm etiam apud eoſdem auctores.

I. Quædam dicuntur *animalia ſanguinea, ἔναιμα*, quædam verò *exanguia, ἄναιμα*.

Sanguinea dicuntur, *quæ prædita ſunt ſanguine*, & hæc ſunt majora, & nobiliora non tantùm quoad corpora, verùm etiam quoad virtutes, unde etiam habent pedes, modò duos, modò quatuor, ut perfectius poſſint operari. Excipiuntur tamen pauca quædam bruta aquatica, quæ longè ſunt majora ſanguineis, quia voluit Deus in omni genere animalium, & ſic

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

etiam inter piſces eſſe quiddam excellens, ſeu quendam quaſi Dominum.

Exanguia dicuntur, *quæ carent ſanguine*, ut ſunt omnia inſecta, quæ nec habent tam apparens cor, nec ſemen, nec ſenſus ita perfectos, ſed quiddam analogum cordi, ſemini, &c.

II. Quædam dicuntur *animalia volatilia*, ut aves: quædam *natatilia*, ut piſces: quædam *greſſilia*, ut quadrupeda: quædam *reptilia*, ut ſerpentes, inſecta quædam, &c.

III. Quædam dicuntur *vivipara*, quæ ſcilicet producunt ſeu gignunt vivum animal, ut cervus, vacca, &c. quædam verò dicuntur *ovipara*, quæ non gignunt vivum animal.

IV. Quædam ſunt *aërea*, quæ degunt in aëre, ut aves: quædam *aquea*, ut piſces: quædam *terrea*, ut quadrupeda: quædam ſunt *ἀμφίβια*, quæ poſſunt degere in aquis, & in aëre, ut Caſtor.

V. Quædam animalia *diligunt ſocietatem*, & gregatim incedunt, ut cervi, cameli, &c. quædam verò *fugiunt ſocietatem*, ut aves uncis unguibus, & beſtiæ, quæ vivunt ex raptu, & araneæ prædantes muſcas, &c.

VI. Quædam ſunt *animalia domeſtica*, ut mulus, capra, vacca, canis, &c. quædam verò *ſylveſtria*, ut Elephas, Lepus, Camelus, &c.

Imprimis autem annotandum eſt, ex ſumma ſapientia & benevolentia Dei hoc factum eſſe, ut *alia animalia* ſemper velint vivere inter homines: *alia verò* ſemper fugiant hominis conſpectum & converſationem. Qua de re pulcherrima ſunt verba *apud Jobum cap. 39.* Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula ejus in terra ſalſuginis? Contemnit multitudinem

dinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit. Nunquid volet Rhinoceros ſervire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? Nunquid alligabis Rhinocerota ad arandũ loco tuo, aut confringet glebas vallium poſt te? Nunquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos? Nunquid credes illi, quoniam ſementem reddat tibi, & aream tuam congreget? *Hæc Jobus.* 31

VII. *Quædam animalia habent plurimas partes, quædam verò habent pauciſſimas.* Omnia tamen habent diverſas quaſdam partes, quia anima nunquam eſt, niſi in corpore organico, id eſt, prædito membris & multis & diverſis. Illis autem partibus conſtant quælibet animalia, quæ ad ejus ſuſtentationem ſunt neceſſariæ, ſicut oſſa vel illa, quæ ſunt analoga oſſibus, inſerviunt fulciendis corporibus: carnes conducunt ad impletionem: vaſa cava proſunt ad digeſtionem, ad reſervandum calorem, ad generationem: Caput confert ad ſenſum: pedes, vel alæ, vel brachia ad motum, & ita de reliquis quibuſdam omninò neceſſariis.

IIX. Quædam animalia *habent pedes*, quædam *alas*, quædam *neutrum*. Quæ pedes habent, aut duos habent, aut quatuor, aut octo, vel decem, ut araneæ & ſimilia. *Alas* etiam quædam habent binas, quædam quaternas, ut aliqua inſecta. *Neutrum* habent piſces, quia degunt in craſſo quodam medio. 32

IX. Quædam animalia ſunt facta ad *laborandum*, ut equi, cameli; quædam ad *veſcendum*, ut ſues; quædam ad *utrumq;*, ut boves; quædam ad *cuſtodiam*, ut canes, &c.

X. Quædam ſunt *muta*, ut piſces plerique, quædam *vocalia*, quæ clamant, id quod maximè faciunt imminenti tempore coitus, ſicut apparet in ranis, intra aquas propemodum, ululantibus, item in felibus, item in cervis circa autumnum. Sed has omnes & ſimiles quasdam alias diviſiones complecti videtur hæc tabella:

33 *Animal*
- *Imperfectum.*
- *Perfectum*
  - *Irrationale*
    - *Inſectum*
    - *Integrum*
      - *Aëreum.*
      - *Aquatile.*
      - *Terreſtre.*
      - Ἀμφίβιον.
      - *Aliud*
        - *Quadrupes.*
        - *Avis.*
        - *Piſcis.*
        - *Repens.*
  - *Rationale*

Imperfectum ζωόφυτον dicitur, quod eſt partim planta, partim animal, ut ſpongia & urtica marina, quæ naſcuntur ex terrâ, & ſunt ſicut herbæ, ſed tamen, cum quis accedit ad ea, metuunt & contrahuntur.

Inſectum dicitur, cujus caput reliquo corpori eſt quidem contiguum, ſed non continuum, ut in muſcâ.

Ἀμφίβιον dicitur animal, quod poteſt vivere in duobus elementis, ut rana, caſtor, &c. Reliqua etiam ex ipſis nominibus ſunt ſatis plana.

Etſi autem hæc tabula ordinem hujus doctrinæ ſatis demonſtrat, tamen libet initium facere à magnis

34 animalibus, quorum conſideratio facit reliqua minora magis plana. Et quidem ita temperabimus totam declarationem, ut inprimis monſtretur uſus hujus do-

ctrinæ,

ctrinæ, non in medicando, ſed in perorando, unde multa εἰκονολόγικα admiſcebuntur.

Et hactenus de generalibus: nunc ſequuntur ſpecialia.

Caput IV.
DE ELEPHANTO.

ELEPHANTUS eſt animal vaſtiſſimum, ſed tamen deforme, & valdè prudens, maximum, robuſtiſſimum, manſuetiſſimum, & admodum docile.

De *hoc* autem ideò *primum* dicimus, quia *Jobi 40, 14.* nominatur *principium viarum Dei,* id eſt, principale ſeu primarium quoddam opus Dei.

Magnitudo ejus æſtimari poteſt ex his ſex: *1. Ex nomine.* Cum enim Behema ſignificet beſtiam, Elephantus in loco dicto appellatur Behemoth in numero plurali, quaſi dicas beſtiæ, quod ſit inſtar multarum beſtiarum. *2. Ex caudâ,* de qua dicit Scriptura in loco dicto, quod ſit inſtar Cedri, licet in ea nullum habeat præſidium, ſed potiùs à muſcis maximoperè exagitetur. *3. A potu,* quia Scriptura dicit, ipſum ebi- 39
bere flumina, hoc eſt, valdè multum bibere. *Ariſtoteles lib. 8. cap. 9.* de hiſtoriâ animalium refert, *Elephantum uno paſtu ebibere novem modios Macedonicos: plerumq; autem ebibere ſex vel ſeptem.* Unà igitur die 14. manè, & totidem veſperi poteſt ebibere. *4. Ex dente,* Duos enim habet dentes, qui æquantur 325. ponderibus. *Et Julius Scaliger* vidit unum dentem longiorem viro. Exerc. 204. l. 4. Appellatur autem dens Elephanti Ebur; ex quo in locis vici-

nis Africæ, & Æthiopiæ fiunt poſtes, ſepes, pali in ſtabulis porcorum, ſicut apud Virgilium dicitur in Georg. lib. 3. In foribus pugnam ex auro ſolidoque Elephante. 5. *Ex veſtigio,* cujus diameter viſa fuit trium palmorum, & unius pollicis. 6. *Ex manu ſeu potius nare,* quia habet promuſcidem, ſeu proboſcidem, quæ ipſi data eſt propter hasce cauſas: 1. ut promuſcide apprehendat pabula. 2. ut illa promuſcide hauriat aërem, unde 10. cubitorum longitudine illam poteſt emittere.

Delectatur enim paluſtribus locis, & in aquas ſeſe libentiſſimè immergit eo usque, donec ſaltem aliquid ſuperſit, vel emineat de promuſcide, quo aërem haurire poſſit. Nam propter vaſtitatem citò ex aquis aufugere nequit.

36 *Ejus* enim *proceritas* æſtimatur 16. pedum. Et hoc videtur exprimi *in Job. 40, 16. Sub umbra dormit in ſecreto calami, & in locis humentibus, protegunt umbræ umbram ejus, circumdabunt eum ſalices torrentis.* Etſi enim alii hoc intelligi volunt de vaſtitate corporis, quæ tanta eſt, ut ipſum vix à multis ſalicibus occultari & tegi poſſit: Tamen non incommodè etiam alter ſenſus, quod ſcilicet delectetur paluſtribus locis hoc animal, inde eruitur.

Robur hujus animalis *colligitur ex his ſex argumentis.* 1. quod *Ariſtoteles lib. 9. de hiſtoria animalium* teſtatur, *ipſum poſſe evertere ædificia.* 2. Quod Cteſias ipſe vidit, jubente rectore, Elephantum dentibus ſuis palmam ſummâ cum violentiâ eradicaſſe, & pedibus conculcaſſe. 3. Quod *Ælianus lib. 18. cap. 28.* teſtatur, *ſubvertere ſolitos Elephantos mœnia hoſtium.* Etenim verſus Orientem bella geruntur & abſolvuntur

tur Elephantis. 4. Quod *Job. 40, 13.* dicitur, *oſſa ſicut fiſtulæ aris.* 5. Quod *1. Macc. 6, 37.* refertur, *ſingulos Elephantos geſtare turrim ligneam repletam viris armatis, 32. præter rectorem ſeu gubernatorem.* 6. Quod nunquam poteſt dormire cubando. Cum enim ſemel prolabitur, nunquam poteſt reſurgere.

Etſi verò hoc animal tantæ eſt magnitudinis, & tanti roboris, tamen ex DEI bonitate, ne generi humano & reliquis omnibus brutis infinita inferret bella & damna, factum eſt placidiſſimum, ita ut inter omnia bruta ſit *manſuetiſſimum*, id quod intelligitur ex his ſequentibus: 1. *Ex ipſa Scriptura*, quæ dicit, *in oculis ejus quaſi homo capiet eum, & in funibus perforabit nares ejus*, Job. 40, 19. hoc eſt, etſi beſtia eſt vaſtiſſima, tamen DEUS ita eam manſuefecit, & hominis imperio ſubdidit. 2. *Quod* capti Elephanti citiſſimè *cicurantur.* 37

Sunt autem *varii modi, quibus homines capere ipſos ſolent*, prout vel vivos expetunt, vel mortuos in cibum, ſicut inprimis faciunt Æthiopes, qui juxta locum unius Elephanti cæſi tabernacula extruunt, ibiq; commorantur, donec integrum animal abſumant.

QVI vivos capere volunt, obſervant ſemitas ipſis conſuetas & uſitatas, atq; in illas fraude & aſtutia quadam foveam parant. Itaque in hanc delapſi Elephanti graviſſimè percutiuntur & enecantur, præſertim in locis tenerioribus, adeò ut propemodum incipiant furere in percuſſorem. Verùm deſcendente hoc percuſſore, ſubſtituitur novus venator, qui deplorat ipſorum ſtatum, minatur priori venatori, ſuppeditat gratos cibos, & inprimis ſuccum hordei: Sæ- 38
pius redit, rogat, quomodo valeat, nunquid expetat, nunquid

nunquid velit liberari ex foveâ animal? Huic ergò incipit favere, obtemperare, & in omnibus gratificari, poſteaque de multis & variis rebus ab eo docetur ſeu inſtruitur.

Alius modus eſt, quod in loco, ubi frequenter ſolent eſſe, fovea quædam paratur ampla, continens circumferentiam aliquot ſtadiorum, ita ut unum magnum oppidum poſſit capere ſpatium illud, circa quod eſt facta fovea. Relictus autem eſt anguſtus introitus, qui tandem occluditur, quando ingreſſæ ſunt beſtiæ.

Alius eſt modus, quando Elephanti fœminini generis emittuntur in ſylvas, & jubentur non prius coire cum maribus, niſi reverſi fuerint in ſtabulâ. Redeuntes fœminæ ſecum adducunt mares ex ſylvis in ſtabula, ubi etiam plagis cicurantur. *Cæterum* in Æthiopia diligenter obſervant, quibus arboribus dormituri ſeſe inclinent. Non enim aliter dormiunt, niſi inclinantes ſeſe arboribus. Accedunt ergò & ex altera parte cædunt arborem, rurſusque diſcedunt & delent ſua veſtigia. Veſperi accedens beſtia, ſe-
39 ſeque inclinans, impellit arborem & cum arbore proſternitur.

Sunt alii multi modi, ut quod ſæpè exercitus virorum, teſtè Strabone, egrediuntur, in venationem Elephantorum. *Item*, quod ſæpè manſueti Elephanti geſtantes armatos viros emittuntur contra non manſuetos, ut in illâ pugnâ capiantur. Quomodocunq; verò capiantur, citiſſimè, ut dictum eſt, manſueſiunt.

3. Succeſſu temporis adeò fit *placidum* hoc brutum, ut gaudeat capere cibum ex manu rectoris, ſicut parvulus canis, venientem etiam proboſcide complecta-

plectatur, & patiatur ipſum integrum ſuum caput intra ſuas fauces mittere, & tamdiu apertum teneat os, donec rurſus egeratur caput.

4. *Inſidias* minoribus animalium *nunquam ſtruit*, ſed patitur ea ſecure juxta ſuum locum verſari, & circa ſe vivere.

5. *Parva animalia* occurrentia in grege aliquo Elephantus blandè & manſuetè dimovet, ne per imprudentiam conterantur.

6. *Philoſtratus lib. 2. cap. 5.* refert, *ſe vidiſſe vaſtiſſimum quendam Elephantum, cui inſideret puer 13. annorum, qui beſtiam parvo bacillo ducebat, quocunque vellet*, cùm magnâ omnium ſpectantium admiratione.

7. Carnibus non veſcitur, nec vivit ex præda, ſed 40
contentus eſt herbis, ſicut etiam Scriptura innuit, quaſi bos fœnum comedit.

8. Suaves *cantus* vehementer *amat*.

9. Valdè *formidat inſidias* hominis, præſertim quando catulos habet. Sæpè conſpecto homine ſecedit ad latus, quaſi ipſum fugeret, ne homo conſpecta tàm vaſta beſtia nimium ſibi metuat, mox redit, & conveniente quodam nutu eum ſalutat, modò præcedit eum, modò ſequitur, & ita monſtrat ei veram viam, ſed quandò animadvertit, ſeſe peti venationibus, veſtigium hominis eruit, erutum tradit proximo Elephanto, ut ex olfactu hoſtem deprehendat, citò ergò fit, ut concurrant, & quaſi agmen inſtituant, ut etiam refert *Plin. lib. 8, cap. 4. Docilitas & memoria atque calliditas tanta eſt in hoc genere animalium*, ut, teſte etiam Ariſtotele, *ad hominem quàm proximè accedat, ſitque ſimul omnium mitiſſimum*:

Omnes

Omnes enim diſcit, literas pingere ſua proboſcide, ſaltationes exercere, genua ſubmittere, coronas porrigere, adorare regem, lapidem projicere ad ſcopum, armis uti. Sic Porus Rex, quem Alexander Magnus debellavit, quendam habuit Elephantem, qui juſſus à rectore ſeſe demittere, ſtatim procubuit in genua.
41 Novit nomina ſua, lingvæ patriæ magnam partem intelligit ex quotidiano uſu, & quod juſſus eſt facere, diligenter exequitur, nunquam fallit fidem, vel expectationem gubernatoris. Tranſiturus Elephantus mare non prius conſcendit navem, niſi invitatus rectoris jure jurando de reditu, teſte Plinio.

Mutianus, qui conſulem ter egit Romæ, ipſe vidit Puteolis, cum advecti Elephanti per mare cogerentur egredi ex nave, ſed territi ſpacio pontis procul à continenti porrecti, ut ſeſe longinquitatis æſtimatione fallerent, averſos retrorſum iviſſe.

Plutarchus commemorat de alio quodam Elephanto in Syria, cui gubernator pro integra menſura hordei ſemper dimidiam offerebat, cum igitur præſente Domino rector menſuram integrè compleret, Elephantus proboſcide ſua dimidiam partem ſegregavit, & modeſtè inſpecto Domino furtum ſervi ſeu rectoris pulchrè patefecit.

Idem commemorat de alio quodam, qui Alexandriæ pulchram fœminam amavit, eique inter prætereundum poma attulit, moram juxta eam fecit, proboſcidem corpori blandè admovit. *Athenæus* de alio quodam narrat, qui infantem tenerum & cibo ſaturatum in crura ſua poſitum blandè tractavit. Ex-
42 empla ſimilia multa hiſtoricorum lectiones ſuppeditabunt. In Inſulâ quadam Indiæ Zoilana maximi reperi-

reperiuntur, & qui peregrinas etiam lingvas addiſcunt.

Cum Pompejus ſecundùm eſſet conſul, aliquot introduxit Elephantos in publicum ſpectaculum pugnaturos cum multis ſagittariis. Cum autem ſibimet eſſe inviſam cernerent totam plebem ſpectantem, mirabili quodam geſtu & miſerabili lamentatione eam aſpexerunt, & ita commoverunt, ut plebs ipſa fleret & Pompejo maximè malediceret. Aliàs cum petitur à venatoribus, dicitur confringere dentes, quos habet valdè candidos, & qui dicuntur Ebora.

Etſi autem ex ſuperioribus ſatis conſtat, quanta ſint ſimulachra virtutum in Elephantis, tamen etiam ex ſequentibus illud cognoſci poteſt, & quidem 1. *Clementes ſunt Elephanti*, non tantum erga cætera animalia, & quidem erga minus valida, verùm etiam erga homines in ſpeluncis errantes & erga facinoroſos, quos Elephantis objicere ſolent conculcandos, quod tamen Elephanti non facilè exeqvuntur, niſi vino inebrientur. Ita Bocchus Rex, ſæviturus in triginta vi-
ros, eòs triginta Elephantis ſtipitibus alligatos pro- 43
poſuit, ſed Elephanti non voluerunt ſeſe adjungere illis, à quibus exagitabantur, ut fierent regiæ ſævitiæ miniſtri.

2. *Nunquam ſe nimia ſaturitate obruunt*, & ſi quando plus juſto devorarunt, inediâ & fame ſeſe macerant, ut ſemper ſint apti ad fugas, & ad pugnas repentinas, id quod eſt egregium exemplum temperantiæ & providentiæ.

3. *Nulla exercent adulteria*, non coëunt cum alienis, neque cum ſuis valdè laſcivè coëunt, ſed modeſtè prolis cauſa, & ne quidem ſpectantibus reliquis Elephantis,

phantis, ſed in ſeceſſu, ſeu in occulto, neque prius redeunt ad gregem, niſi laventur, & dum fœmina gerit uterum, mas non modò non deſerit ipſam, ſed mirificè etiam defendit. Biennio autem dicitur gerere uterum & parere in aquis, quia vehementer metuit Draconem. Aliqui referunt Elephantum tantum ſemel parere in vitâ, & ſaltem unum catulum, id quod refutat Scaliger exerc. 204. ſ. 1. quod ſæpè juxta crura Elephantorum plures catuli diſcurrant. Hoc autem tertium caput eſt inſigne exemplum caſtitatis.

4. *Catulos ſuos nunquam deſerunt, ſed conſtantiſſimè tuentur,* & prius relinquerent animam, quam
44 ipſos. Semper autem gregatim incedunt præcedente natu maximo, tranſituri aquas omninò parvulos proboſcide complectuntur, & dentibus portant, & præmittunt reliquos non omninò, ſed paulò majores, ipſi verò adultiores & maximi ſeqvuntur, ſi enim poſſunt tranſire parvi, facilè ſeqvuntur maximi, ſæpè quidem maximi poſſent transire, ſed parvi non poſſent ſequi. Quæ omnia ſunt ſimulachra στοργὰν, & manſuetudinis ac charitatis.

5. *Mortuum ſui generis nunquam prætereunt,* niſi vel terram vel ramum proboſcide ſua offundant, ut ita in ipſis ſit pietas quædam in ſepeliendis mortuis.

6. *Adultos & defeſſos & vulneratos diligenter curant,* permittunt ipſis ſuum cibum, adulantur, ſuccurrunt eis in periculis, & inſtante venatore concurrunt, ut metu periculi abigant ipſum. Cum Hannibal non poſſet eos cogere, ut flumen tranarent, hoc ſtratagemate uſus fuit, quendam juſſit unius Elephanti aures vulnerare, & ſeſe ſtatim per flumen in fugam conjicere. Cum igitur vulneratus Elephantus

tus autorem perſequeretur, unanimiter comites ſeſe ei adjunxerunt reliqui omnes. Vulnerati in venationibus quærunt lachrymas, aloes, vel alias etiam herbas, quas tamen non prius devorant, niſi prius pro more, inter homines viſo, erecto capite, & aliis quibusdam geſtibus eas ſublevent, & ut interpretantur auctores, quaſi auxilium à cœlo petant, quæ ipſa eſſet quædam æmulatio religionis. Aliàs Lunam novam ita ſalutant, ut tunc temporis magno numero confluant, & cum magno amore & quadam reverentia contemplentur. 45

7. *In ipſis deprehenditur etiam quadam gloria cupiditas:* obſervatum enim fuit, quendam paulò hebetiori ſenſu præditum, & tardiorem, cùm ſæpè & ubique malè audiret, atque multoties verberibus caſtigaretur, noctu ad Lunam illa ipſa, quæ juſſus quidem fuerat exprimere, ſed non potuerat, meditantem ex ſeſe & ſæpius molientem. Hinc admonitiones multæ poſſunt peti de obedientia, de diligentia in ſtudiis etiam noctu repetendis. Aliàs *victi ab aliis Elephantis tanto afficiuntur pudore,* ut quando audiunt vincentium voces fugiant, neque illas audire poſſint. Unde iterum petuntur admonitiones de honeſtis æmulationibus, de quibus rectè dicitur: Qui velit ingenio cedere, nullus erit.

8. *Non poſſunt natare, ipſas tamen naves vehementer amant:* Unde *Eraſmus Roterodamus* hanc ſimilitudinem mutuatur: *Quemadmodum,* inquit, Elephanti, *cum natare propter magnitudinem corporis non poſſint, navibus tamen immensè delectantur, & circa illas verſari gaudent: ita plurimi cum ipſi lite-* 46

ras neſciant, inter eruditos tamen libenter & cum ſumma voluptate verſantur. Hæc Eraſmus.

Ex quibus hæc etiam fluit admonitio, ne propter ignorantiam prorſus abjiciamus vel contemnamus bonarum rerum ſtudia, ſed ea in aliis amemus & admirari diſcamus, ne audiamus illud: ***Ars non habet oſorem, niſi ignorantem.***

9. Dicuntur carere felle, hoc eſt, parum habere fellis. Conſtat autem ex 1. lib. Macc. lib. 6, 34. quod
colore ſangvineo uvarum vel alia rubra re in bellis
ſoliti fuerint irritare Elephantos. Valdè enim fer-
vent initio, ita ut, referente Oſorio, in pugna qua-
dam, non tantùm turrim ligneam cum multis militi-
bus in dorſo, verùm etiam dentibus ſtrictos gladios
geſtarint, & hoſtibus ſummam incuſſerint formidi-
nem. Verum enim verò iſte fervor citò evaneſcit,
&, referente eodem Oſorio, cum in illa pugna hoſtes
latera Elephanti ſuis gladiis aperirent, Elephanti
47 doloris impatientes rectores proboſcide deturbarunt
& conculcarunt, & aciem interturbarunt, neque ullis
monitionibus vel ſvaſionibus in ordinem potuerunt
reduci. Dictum enim ſuprà eſt, quantum in ipſis ſit
ingenium, ſicut, referente Svetonio, Sergius Galba
Imperator Romæ admirandi ſpectaculi loco elephan-
tos edidit funambulos, cùm tamen hoc vaſtiſſimum
animal propter ſummam altitudinem per Romanas
portas ingredi non potuerit.

10. Longævitas hujus animalis magna perhibetur eſſe annorum 200. interdum etiam 300. & eo amplius. Cùm Alexander Magnus debellaſſet Regem Indiæ Porum, unum inſignem cœpit Elephantum, qui pro Rege ſuo vehementer pugnaverat, quem ipſe dedica-

vit

vit Soli, & vocavit eum Ajacem, & dimiſit liberum, dentibus inſcripta hac ſententia: Alexander Jovis filius Ajacem Soli. Hic igitur Elephantus poſt 350. annos cum hac ipſa inſcriptione perhibetur fuiſſe inventus. Sed multi pereunt morbis ante illa tempora, ſunt enim multis & curatu difficilibus morbis obnoxii.

II. *Annotandæ ſunt Antipathiæ hujus animalis.* Etſi autem ſunt valdè multæ, tamen inſigniores quaſdam libet commemorare. 48 1. *Elephanti non poſſunt ferre grunnitum porcorum,* cujus exemplum habemus in rebus geſtis Megarenſium. Cum enim Antipater immenſum numerum Elephantorum armatis militibus inſtructiſſimum contra ipſos duxiſſet, ipſi magnum numerum porcorum Elephantis oppoſuêre. Cum igitur in media pugnâ porci vehementer percuſſi valdè grunnirent, totus exercitus Elephantorum in fugam eſt ſubjectus. *Hæc res poteſt eſſe imago doctorum hominum* aut ſapientum, qui calumniis ſæpè moventur, ut dici ſolet, calumnia conturbat cor ſapientis.

2. *Eſt etiam inter Elephantos & Dracones perpetua & naturalis diſcordia,* ac Elephanti quidem magnitudine & mole, ut etiam viribus corporis Dracones longè lateque antecellunt, ſed Dracones interdum illos ſolent circumvenire & vincere. Clam enim prope ſemitas deliteſcunt, ubi Elephanti aſſuetis callibus iter faciunt. Interdum verò arboribus inſident, ex quibus ſciunt Elephantos ſolitos fuiſſe decerpere ramos. Dumque plerumque in ſylvis Elephanti gregatim incedunt, Dracones prioribus præmiſſis tandem poſtremos adoriuntur, ne qui anteceſ-

49 ſerunt ultimis opitulari poſſint. Primò autem nodis pedes illorum alligant, ut illaqueatis cruribus impediant gradiendi facultatem. Deinde quando hoc aſtu implicarunt Elephantos, ſtatim aures illorum involant, quas graviſſimè vulnerant, donec ſangvis magna cum vi & copia prorumpat. Sunt enim Dracones ferventiſſimi, & norunt ſangvinem Elephantorum eſſe frigidiſſimum, unde in æſtu illum avidiſſimè appetere & haurire dicuntur. Etſi autem Elephantes à Draconibus exhauſti paulò poſt in terram concidunt & moriuntur, tamen Dracones non evadunt. Sæpè enim ipſa ruina Elephantorum Draconibus eſt mors præſentiſſima, ut ita victor & victus ſimul pereant. Sæpè Dracones ipſi inebriati ſangvine Elephantorum dirumpuntur.

Hanc ἀντιπάθειαν Eraſmus Roterodamus accommodat ad incertos belli exitus, ubi ſæpenumerò pars utraque perit, damnum infert & viciſſim accipit. *Nos* in Eccleſia poſſumus illam accommodare vel *ad Chriſtum & Satanam* pugnantem contra Chriſtum, *vel ad tyrannidem & crudelitatem impiorum regum* adverſus pios homines.

Ut enim Dracones maximè in fervida æſtate ſitiunt ſangvinem Elephantorum, atque hos ſumma cum
50 fraude necant: *ita* Tyranni furiis agitati ardenter ſitiunt ſangvinem piorum hominum, quos etiam fraude circumveniunt: *Deinde ſicut* Dracones ſæpè cum ipſis Elephantis pereunt: *ita* ſæpenumerò in ipſa perſecutione graves pœnas luunt Tyranni. Hujus jam rei illuſtria exempla eſſent adducenda, ut ex Euſebio de Domitiano, Maximiano, Maxentio & Maximino, quorum crudelitas tanta fuit, ut uno menſe

menſe illorum juſſu 17000. Chriſtianorum interſicerentur; ipſi verò tandem tragicas luerunt pœnas, quia *Domitianus* ſibi mortem conſcivit: *Maximianus* fuit interfectus: *Maxentius* in bello victus cum magna multitudine militum in flumen fugit, & periit. *Maximinus* examina vermium in inguinibus coactus fuit videre, & ita etiam miſerabiliter periit..

Juliani hiſtoria notiſſima eſt Studioſis, qui in ſolitudine ſine comite vagatus telo inopinato petitur, & cum videret vulnus eſſe immedicabile, manu excepit ſangvinem, & in cœlum ſparſit, exclamans: Viciſti Galilæe. Ita verè dictum à Poëta:

Ad generum Cereris ſine cæde & ſangvine pauci
Deſcendunt Reges & ſicca morte Tyranni.

Verùm per Dracones non tantùm intelliguntur Tyranni, verùm etiam hæretici. 51

3. Eſt & illa mirabilis antipathia: *Conſpecto, ut ferunt, ariete, vehementer Elephantus pertimeſcit*, & quando ſolutus eſt in ferociam, tamen eo viſo miteſcit. Hoc ſtratagemate uſi ſunt Romani, & adductis arietibus Regis Epirotarum Elephantos in fugam converterunt. Hujus Antipathiæ allegoria multiplex poteſt eſſe: *ſtudia literarum ſunt quaſi arietes*, quibus miteſcit ferocitas barbarorum, ſicut rectè dicitur: *Didiciſſe fideliter artes emollit mores. Sic venti ad mandatum Domini miteſcebant*, & planè evaneſcebant in hiſtoria Evangelica. *Sic Judæi in paſſione* tantùm audito hoc vento: Ego ſum, reprimebantur, *& Ethnici reliquerunt omnia ſua oracula*, auguria, idola, patefacto Evangelio Chriſti. *Sic peccatores quotidie miteſcunt* accepto impulſu Spiritus Sancti interno.

 4 *Ele-*

4. *Elephantus dicitur extremè odiſſe murem*, extimeſcere ipſum, nunquam capere eum, imò neque alimentum capere, quod videt à mure tangi in præſepio: *Sic* ſæpè excelſos animos fatigat parvus hoſtis.

5. *Mirificè torquetur Elephantus ingeſta cum potu*
52 *hirundine*: *Sic* ſæpè minor itidem magnum facit negotium majori.

6. *Sæpè Elephantus unà cum viridi fronde una veſcitur Chameleonte* latitante in viridi fronde; Moritur autem Elephas, niſi ſtatim accipiat oleaſtrum: *Sic* indulgentes voluptatibus mundi, incidunt in peccata, & in æternum damnarentur, niſi acciperent pacem Chriſti.

7. *Valdè movetur hoc animal viſo igne, & ut ſupra dictum eſt, ſangvine uvarum & mororum. Cauſa* verò *hujus rei*, quòd ruber color movet ſpiritus, qui vehuntur in rubro ſangvine animalis. Agitatus autem ſangvis ipſum etiam corpus commovet, & fit hoc non tantùm in hoc, verùm etiam in aliis brutis. Simile enim movet ſimile. Hinc capturi Elephantos omnem operam perdunt, ſi rubris veſtibus conſpiciantur. Sed de hoc inſigni animali ſatis copiosè eſt dictum. Indicus Elephantus novem cubitorum altitudine, latitudine verò quinque habetur. Aliquando unus ramum arboris detrahit, quem viri viginti quatuor fune trahentes ad humum flectere non potuerunt. Cum cætera pabula deficiunt, radices effodit, quibus paſcatur. Etſi igitur Behema quamvis beſtiam immanem ſignificat, tamen apud Jobum Docti rectè & καθ᾽ ἐξοχὴν ad Elephantum eandem accommodarunt.

CA-

 53

Caput V.
De Camelo.

CAMELUS animal eſt ſatis grande, & altum, calloſum, exili capite, colore ſubfuſco, durâ pelle, valdè caſtum, equis admodum infeſtum.

I. *Et quidem quam grande illud ſit, ipſa Scriptura innuit, Matth. 23, 24.* loquens de illis, qui mandata hominum plus faciebant quam mandatum Dei, *colantes Culicem & Camelum glutientes.* Significat enim iſtos vinum percolare, ne muſcam ſimul imbibant, interim verò Camelum integrum deglutire. Alibi *Matth. 19, 24.* Camelus etiam hanc beſtiam non funem nauticum ſignificat. *Facilius eſt Camelum tranſire per foramen acus, quàm divitem introire in regnum cœlorum.* 2. *Calloſum eſt hoc animal,* hoc eſt, *ut Ariſtoteles inquit, lib. 2. hiſtor. animal. cap. 2.* proprium inter beſtias quadrupedes hoc habet in dorſo, quod dicitur tuber: Hinc etiam *Eſ. 30, 6.* *nominatur ſedens ſuper Gibbum Camelorum.* Reperitur in Arabia & Aſia, & quidem in Arabia nati Cameli duos habent gibbos, dicuntur illi dromedarii, ſed alii tantum unum habent gibbum. 3. *Sunt autem hæc animalia facta ad portanda onera in bello,* & 54
quidem ut fiant velociores Cameli, caſtrantur. Poteſt autem unus valdè vegetus 1000. pondo, alias uſitatè 700. pondo geſtare. 4. *In ſenectute & magnis morbis vehementer decreſcit ejus virtus,* ſed tamen ita, ut adhuc *centum pondo poſſit portare,* unde natum eſt proverbium: *Etiam ſcabioſus Camelus tamen*

C. 4 *portat*

portat plurimorum aſinorum onera : *ſignificatur* multos egregios ſæpè in ſenecta aut morbis aut infortuniis præſtantiores eſſe aliis juvenibus, & tamen benè ſe habentibus. *Deinde* quando onerantur, *ſeſe inclinant*, modo genua levi manus pulſu tangantur. Sic ergo accubantes coram onerantibus ſuis humiliantur. Solent autem anterioribus poplitibus ſeſe inclinare, ut gubernator ſarcinas melius poſſit ipſis imponere. Non tamen plus recipiunt, quàm patitur conſuetum onus, ſeu quàm ferunt vires eorum. 5. *Velociſſimi ſunt Cameli propter amplitudinem paſſuum*, præſertim, ſi qui ſunt parvi & ad gerendas ſarcinas inepti: hi ergo una die conficere dicuntur 25. milliaria Germanica. 6. *Nunquam ultra juſtum ac ſemel conſtitutum iter progrediuntur*. Feſſi in itineribus nullis verberibus atque minis, neque admonitionibus aliis, ſed ſolo ſuavi cantu ducuntur ad iter
55 producendum. 7. *Calidiſſimi ſunt, unde etiam fit, quod ſint macilenti* & latus habeant tenuiſſimum, quod ſcilicet à calore forti benè excoquitur, ſegregatis omnibus inutilibus, & ipſorum lac optimum & ſaluberrimum perhibetur poſt humanum. 8. *Frigoris ſunt admodum impatientes*. 9. *Cibo ſeſe non onerant*, ſed valde exiguo ſunt contenti. 10. *Cum volunt bibere, non accipiunt aquam puram*, ſed ipſam prius turbant pedibus, id quod tamen etiam Elephanti & alia animalia faciunt. 11. *Sitim poſſunt tolerare per quatriduum*, coacti etiam per 15. dies. Aliqui reperiuntur in Lybiâ, qui veſcuntur gramine, & cum gramen rore plerumque madeat, iſti Cameli nil bibunt. 12. *Habent multos ventriculos, quia ſpinoſos amant cibos*, unde etiam lingvam habent carnoſam

ſam & palatum durum, ut igitur cibos duros melius poſſint concoquere, neceſſaria ipſis fuit multitudo ventriculorum, ut ſemper ex uno in alterum dejectus cibus rectiùs excoqueretur. Vice autem verſa non habent ſecundi ordinis dentes, quia plures habet ventriculos, in quibus omnia poſſunt concoquere. 13. ***Coire ſolent*** non in publico & in conſpectu aliorum, ſed ***in ſeceſſu & ſolitudine,*** & in quo loco ſemel coierunt, ibi ſemper ſolent convenire. Tempore autem coitûs vehementer fiunt feroces, & tum temporis 56 neminem admittunt, niſi paſtorem & tamen ægrè. Si tunc accedunt paſtores inclementes, cameli meminerunt verberum, quæ ab ipſis acceperunt, & in ipſos ſæviunt. 14. ***Alieniſſimi ſunt ſua natura ab inceſto coitu:*** nunquam catulus cum matre, aut alius cum ſorore congreditur, nec quidem ſi compellatur. Hujus rei pulchrum recitat experimentum Ariſtoteles, quod cum aliquis Camelus admiſſarius deſideraretur, ad matrem velatam & inſtratam operimentis à curatore adductus fuerit pullus, hic primò conſcendit matrem, ſed mox cum delapſis ſtragulis illam agnoſceret, furore percitus in curatorem irruit, eumque interemit. 15. ***Carent cornibus, nec habent dentes,*** ut dictum, in utraque mandibula. 16. ***Pedes habent*** carnoſos ***ſicut anſeres,*** inde faciunt eis ſotulares & ſæpè abluunt pedes. 17. ***Rabie quoque afficiuntur & podagrâ,*** qua etiam ſæpè necantur. 18. ***Dicuntur nullum habere fel,*** quod ita intelligatur, non quod omni bile deſtituantur, ſed quod fellis humor hinc inde cum ſangvine per venulas confuſus reperiatur. Hinc fit ut ſint patientes, quod non fieret, ſi bilem in uno loco congregatam haberent. 19. ***Dif-***

57 *ficulter poſſunt adſuefieri ad ſaltationes*, unde etiam Proverbium eſt natum: *Tam aptus ad hanc rem, quam Camelus ad ſaltationem.* Julius Cæſar Scaliger recitat modum, quo tamen poſſunt adſuefieri: Pullus includitur hypocauſto ſupra modum æſtuanti. Interim exterius pulſantur tympana: Camelus verò quia nimio æſtu urgetur, pedes licet tardè, tamen ſenſim incipit attollere per impatientiam intenſiſſimi caloris, & ſic poſtea in libero aëre ut cunque pulſatis tympanis iterum ſaltat. 20. *Ferunt & inter Camelos mutuam eſſe Φιλοςοργίαν*, cumque in grege aut ſtabulo unus ex illis ægritudine afficitur, dicuntur reliqui à cibo abſtinere, & mirandis geſtibus ſuam ſympathiam declarare. 21. *Equis admodum infenſi ſunt Cameli*, ut oſtendit memorabilis narratio, quæ extat lib. 1. apud Herodotum in prælio inter Cyrum & Crœſum commiſſo. Cum enim Crœſus excellentem adduceret equitatum, Cyrus tali ſtratagemate uſus illi oppoſuit Camelos, quorum conſpectum & odorem cum non poſſent ferre equi, ſua ſpe excidit Crœſus. 22. *Apud Orientales paſcuntur inter armenta*, ubi jumentorum loco ſerviunt. Hiſtorici teſtantur, ſolitos fuiſſe olim Camelos integros aſſari refertos aliis minutioribus animalibus: ſicut noſtro tempore
58 in electionibus novorum Imperatorum integri boves aſſantur.

His proprietatibus ipſorum commemoratis nunc alia hîc reſtant explicanda. 1. Cujus rei allegoria poſſit eſſe Camelus. 2. Cur Levit. 11. Camelus dicatur immundus, & ab ejus eſu prohibeantur Judæi. 3. Quomodo in Matthæo Johannes Baptiſta dicatur habuiſſe veſtimenta ex pilis Camelorum.

1. *Alle-*

1. *Allegoria multa* ſunt in natura Cameli, quæ ad imaginem *Miniſtrorum Evangelii* optimè & pulcherrimè congruunt. 1. *Camelus & miſerrimum ſanè animal eſt*, & corpus ita habet formatum, ut ſit callibus ſeu tuberibus eminentibus inſignitum, ut appareat natum ad portanda onera & miſerias ferendas: *Sic Doctores Evangelii in mundo ſunt contemti & deſpecti*, quia Chriſtus non elegit ſapientes hujus ſeculi, ſed imbecilles, qui coguntur geſtare alias miſeras conſcientias, & inſuper ſuſtinere ingentes ærumnas. 2. *Sicut naturale eſt diſſidium inter equos & Camelos*, ita tamen, ut equi fugiant Camelos: *ita rariſſima eſt concordia equitum*, hoc eſt, impiorum magnatum in hoc mundo, qui profectò tanquam ſuperbi Caballi & animis & corporis inceſſu & ornatu externo atque ſplendido luxuriant, cum Doctoribus ſeu Miniſtris 59
Eccleſiæ humiliter in omni re ſeſe gerentibus, qui deſtinati ſunt ad geſtanda onera ſua, & tamen illi ipſi ſuperbi magnates coguntur tandem cedere Miniſtris & Doctoribus Evangelii, tanquam Tyranni Chriſti. 3. *Quemadmodum lac Camelinum optimum & dulciſſimum eſt* poſt lac hominis: *ita doctrina Evangelii*, quam Miniſtri & Doctores circumferunt, quæque prodit ex ſinu æterni Patris, per Filium, de pace & remiſſione peccatorum ſuaviſſima eſt & jucundiſſima, mentes conſternatas efficaciter conſolatur, in omnibus afflictionibus plurimum juvat & erigit. 4. *Sicut inter Camelos maxima eſt* φιλοστοργία præſertim erga laborantes ſeu ægrotos: *ita inter Miniſtros Evangelii debet eſſe mutuum ſtudium* ferendæ ac nutriendæ concordiæ, ne ſibimetipſis invicem miſerias, ærumnam & calamitates, quibus alioqui ſunt oppreſſi,

ſi, augeant & cumulent, ſed alii laborum malis affici-
antur. 5. *Sicut in Camelis omnia ad caſtitatis ſtu-*
dium ſunt compoſita, quemadmodum inter proprie-
tates relatum eſt: *ita* non tantùm in genere omnes
homines, verùm etiam *imprimis Miniſtri verbi vere-*
cundiæ & cognati ſangvinis rationem habere debent,
neque ſe polluere promiſcua & inprimis inceſta con-
60 ſuetudine. 6. *Sicut Cameli exiguo cibi ſunt con-*
tenti, ſitim poſſunt ferre diutiſſimè, & bibituri prius
aquam conturbant: *ita miniſtri in uſu rerum exter-*
narum ſint moderati, non dediti avaritiæ, turpis lu-
cri cupidi, uſurarii, ſed mediocribus facultatibus &
ſtipendiis contenti, iisque rectè utantur non ad lu-
ſum, ſed ad uſus neceſſarios, & ſciant ſe in hac vita
tantum debere habere panem doloris, & aquam la-
chrymarum. *Poſſet tamen hæc conculcatio Came-*
lorum in vituperium accipi: quia *quemadmodum*
Cameli non puram, ſed *conturbatam aquam bibunt:*
ita multi nihil laudant, niſi quod ſubtili & propemo-
dum barbaro genere dicendi involutum proponitur.
7. *Quemadmodum Cameli,* ſi vel modicè ſuper ge-
nua percutiantur, *ſtatim ſeſe ſubmittunt, ita miniſtri*
Euangelii onera & difficultates ſui muneris patien-
ter in ſe recipere debent. 8. *Sicut Cameli ultra ſo-*
litum ſpatium non progrediuntur, neque recipiunt
aliquid ſupra ſuas vires: *ita* iisdem virtutibus ſtu-
dere *debent miniſtri, non ſectari peregrina* & interim
negligere propria, non exoptare majora, unde na-
tus apologus de *Camelo petente cornua à Jove,* qui
iratus ipſi etiam aures ademit. Camelus appetens
cornua amiſit & aures, hoc eſt, ſectantes peregrina
61 non poſſunt ſatis tueri propria. 9. *Sicut Cameli*
ſunt

ſunt ineptiſſimi ad ſaltationes: *ita* quoque *miniſtri verbi* voluptates ac ineptias ſuſpenſo naſo debent ridere. 10. *Sicut multos ventres habent Cameli* propter meliorem concoctionem: *ita quoque miniſtri verbi* ea, quæ pro concionibus volunt proferre, prius diligenter debent iterum atque iterum meditari, corrigere & elaborare, ne, quicquid in buccam ipſis venerit, effutiant, & imbecillibus præbeant ſcandala, potius eadem de iiſdem benè, quàm nova ſine fructu exponant. 11. *Sicut Cameli bilem non habent* congregatam ſed confuſam, & per venulas diſperſam: *ita Miniſtri* ad iram debent eſſe tardiſſimi. Similia membra collationum Studioſi ipſi excogitent. Sufficiat enim ſaltem digitum intendere, & obſervetur illud, ne ineptæ collationes inſtituantur, neque ex ſingulis proprietatibus eliciatur allegoria, ſed tantùm ex illis, quæ pulchram habent convenientiam.

II. *Levit. 11. de Camelo*, dicitur: *Non comedetis de Camelo, quia ruminat quidem, ſed ungulam non diffindit*, immundus erit vobis. Licebat enim tantùm illa comedere animalia, quæ habebant has duas proprietates: 1. Quæ ruminant, hoc eſt, ingeſtum cibum retractum remandunt. 2. Quæ dividunt ungulam. Cum igitur Camelus ruminet quidem, ſed 62 non dividat ungulam, factum eſt, ut ipſo veſci non liceret. Non caro ipſa per ſe eſt immunda & noxia, quia non dicitur immundus eſſe Camelus, neque immundus erit omnibus, ſed tantùm immundus erit vobis, Judæis ſcilicet. Sicut alias, ſi quid tangerent illi ſimile, immundos eos reddebat usque ad veſperam, non in perpetuum. Cum igitur ſua natura, &

ſuo

ſuo loco & tempore & modo omnia ſint bona, per quos prohibitos cibos aliud quippiam indicavit Deus, ut ruminantia eſſent indicium puritatis, ſicut dividentia ungulam indicium modeſtiæ. Quæ enim animalia ruminant, illa puris cibis veſcuntur, ſed quæ non ruminant, ut plurimum veſcuntur ſordibus & ſtercoribus. Et quæ diffiſſas habent ungulas, minus ſunt ferocia, ut continua ungvis ſit indicium magnæ ferocitatis. *Ergò uſus animalium ruminantium & dividentium ungulam ſignificabat, Judæos debere diligenter repetere* & meditari cœleſtem *doctrinam,* illam non deglutire ſine omni profectu: *Deinde ipſos debere eſſe alienos ab omni ferocia* & impudentia, id eſt, debere eſſe puros internè & externè. Sic ergò prohibitio eſus certorum animalium faciebat ad fugiendas illorum proprietates quas-
63 dam: Hoc *quod Lutherus etiam in Servo Arbitrio* pulchra Metaphora ſumpta, docet, quomodo Patres ſint legendi, mox ab initio illius ſcripti: *Eligendi,* inquit, *Patres, ubi ex ſpiritu loqvuntur, relinquendi, ubi carnem ſaperent. Hoc enim Chriſtiani lectoris, & animalis mundi habentis diffiſſas ungulas & ruminantis. Nunc verò poſthabito judicio omnia confuſa voramus.* Et in hanc ſententiam pulcherrimè diſſerit *Lactantius lib. 4. cap. 18. de carne ſuilla prohibita.*

Concludit autem ille locum illum de carne ſuilla hoc Epiphonemate. *Sic univerſa præcepta Judaicæ Legis ad exhibendam juſtitiam ſpectant, quoniam per ambages data ſunt, ut per carnalium figuram ſpiritualia noſcerentur.* Imò hoc ipſum in ſacrificiis fuiſſe ſpectatum, pulcherrimè demonſtrat doctiſſimus

Galati-

Galatinus de rebus arcanis Judæorum lib. 11. cap. 9. his verbis: *Ea quæ ſacrificantur, partim vitia & vitiorum mortificationem, partim virtutes & alia ſignificabant. Primogeniti namque ovium agni, quos Abel Domino offerre cœpit: atq; agnus Paſchalis Meſſiæ paſſionem ipſiusque pro hominum peccatis immolationem figurabant. Hirci enim & capræ quædamq; aliæ non niſi vitia atque peccati carnisque mortificationem per pœnitentiam deſignabant. In hirco enim & capra uniuscujusque peccatoris fœtens ac luxurioſa* 64
plenaque verbis impuris petulantia ſignificabatur, ut ſimiliter in tauro ſuperbia, in vitulo laſcivia, in hœdo & paſſere clamor & inconſtantia. Contra in ove ſimplicitas præſignabatur atque manſuetudo, in agno innocentia, in bove furioſa præliatio, in turture caſtitas, in columbis, quæ gregatim volant & felle carent, charitas. Hæc Galatinus. Sed & ſatis de hoc ſecundo capite conſiderationis. Illud fuerit fortaſſe ſpectatum ſpecialiter in Camelo, ne externis, craſſis & magnis peccatis Judæi ſuam vocationem deformaret.

III. *De veſtitu* Johannis Baptiſtæ. Matth. 3, 4. *Ipſe ſuum Johannes habebat veſtimentum de Pilis Camelorum, & Zonam pelliceam circa lumbos ſuos.* Quæſtio ergo oritur gemina 1. De Materia ipſius veſtis. 2. De Forma externa. *De Materia* ideò quæritur, quod Camelus partim ſignificat animal, partim verò funem nauticum, qui fit ex lino craſſo. Ergo I. *aliqui exiſtimant, materiam veſtis Johannis pilos hujus Cameli,* ſicut & fiunt noſtra cilicia ex pilis caprarum. Talis autem veſtitus olim erat ſignum pœnitentiæ, & ſic non malè quadravit veſtis ad ipſam vocatio-

65 vocationem Johannis, qui erat præco pœnitentiæ: *Philippus* exiſtimare ſolitus fuit, veſtem illam fuiſſe factam partim ex pilis hujus animalis, partim ex lino, ſicut ſolent eſſe veſtimenta noſtra ſubſerica, & undulata, qualibus mixtis Judæi non audebant uti, ut habetur *Deut. 22. 11.* II. Sic etiam non malè quadraſſet veſtis ad officium Johannis, qui debebat prædicare abolitionem Legis, & converſionem gentium, atque Judæorum ad unum Dominum, & ut ſignificaretur, Sacerdotium Novi Teſtamenti non conſiſtere in veſtitu. 2. *Alii vero exiſtimant tunicam Johannis contextam fuiſſe ex lino craſſo*, ut eſt noſtra canabis, ſicut etiam utuntur quamplurimi homines. Idque etiam Monachi Johannæi voluerunt imitari, *Veriſimilior autem eſt ſententia* κατ' ῥητὸν, *quod ex pilis Camelorum ſolis facta fuerit.* Deinde *de forma*, ideo quæritur, quod Elias, quem poſtea expreſſit Johannes in ſuo officio, 2. Reg. 1, 8. *dicitur fuiſſe vir piloſus, & geſtaſſe veſtem pelliceam*, qui poſſet muniri contra vehementiam aëris, quia plerumq; verſabatur ſub dio & in deſerto. Similem igitur veſtem veſti Eliæ geſtavit Johannes. Malè autem *pictores noſtri* Johannem camelinæ cuti involutum, quaſi Satyrum quendam exprimunt. Etſi verò Heb.
66 13, 37. *dicuntur veteres Sancti fuiſſe circumvagati in melotis caprinis pellibus*, tamen hoc non de forma, ſed de vilitate materiæ intelligendum eſſe expreſſo Eliæ exemplo convincimur. Sed & ſatis de Camelo.

CAPUT

Caput VI.
De Leone.

Leo præcipuum quoddam eſt animal ferociſſimum & intractabile, multis tamen & egregiis ſimulachris virtutum conſpicuum. Itaque de ipſo annotandæ ſunt duplices *proprietates: quædam* magis propriæ *corporis, quædam* magis propriæ *animæ:* denique videndæ ſunt ſimilitudines. *Quod ad corporis magis proprias affectiones attinet.* 1. *Oſſa Leonis tam ſunt ſolida,* ut vix aliquam cavitatem habere deprehendantur, habent tamen exilem admodum. Hinc etiam fit, ut in collo tam ſit rigidus, ut multi putarint, collum non conſtare vertebris: ſed adeò continuum eſſe. 2. *Tanta eſt in ipſo fortitudo* & tantum robur, ut uno actu totum σκέλετον (compagem oſſium) vivi hominis poſſit frangere. Hinc ergò dicitur Jud. 14, 18. *Quid eſt fortius Leone?* & Proverb. 30, 30. *Fortiſſimum animal Leo:* & huc reſpiciunt Proverbia: *Radere vel ſtimulare Leonem.* 67
Gen. 24, 9. *Judas acquieſcens accubuiſti ut Leo & quaſi Leana irata.* Et quidem his verbis regni Judaici promittitur tanta firmitas, ut neceſſariò omnium hoſtium inſultus contemnere potuerit. Licet etiam ſæpenumerò fuerit infirmatum, tamen radices usque ad ipſum Chriſtum natum retinuit. Sic Num. 49, 9. *Accubans dormivit ut Leo, & quaſi Leana, quam nemo ſuſcitare audebit.* 3. *Omnium animalium ut Rex, ita calidisſimum eſt Leo,* quod citiſſimè concoquit prædam. *Solet autem eſſe avidisſimum & voracisſimum,* & prædas dentibus non benè com-

 minuit.

minuit, *ſed ſine maſticatione*, devoratas iterum evomit & rurſus recipit. 4. *Propter ſummam caliditatem generat multum bilis*, & propter abundantiam bilis fermè ſemper corripitur febri quartana, præſertim in æſtate. 5. *Aliquando nimis ſaturatus cogitur diebus duobus aut tribus abſtinere*, & tantum alternatim paſcere propter cauſſam, quæ ſequitur in ſextâ proprietate. Et poſteà majori cum conatu propter majorem famem inhiat prædis. 6. *Stercus etiam habet ſiccisſimum*, & iſtud cum ſumma difficultate vix poteſt egerere. *Urinam ejicit levato pede*, ſicut ſolent facere canes, qvemadmodum enim ſtercus, ita
68 quoque urina peſſimè prodit. 7. *Palpebras habet brevisſimas, & tamen oculos maximos*, qui à culicibus acerbiſſimè torquentur, adeò ut ſeſe aquis interdum cogatur immergere. 8. *Dormit etiam apertis oculis, & parum dormit*, & inter dormiendum ſæpè videtur agitare caudam, ut ſciant homines ipſum parum nec profundè dormire. 9. *Quidam Leones habent jubas*, & ſunt ferociſſimi, *quidam nullas habent jubas*, & habentur pro minus generoſis, unde in America ſunt quidam timidi Leones, qui fugiunt conſpectum hominum. *Hæc ſunt præcipua in corporibus Leonum, nunc ſeqvuntur illa, quæ magis pertinent ad animam.*

1. *Leo admodum eſt generoſus & ſuperbus, vehemens & crudelis, & præter modum iracundus.* Sicut enim equi crinibus, ita Leones caudis ſuis præbent indicia animæ. Irati enim Leones terram ſuis caudis percutiunt; ſed mox deferveſcente ira caudis iisdem dorſa ſua verberant. 2. *Neminem lædunt, neque etiam iraſcuntur niſi in maxima fame, & viſi prius fuerint*

fuerint læſi; hominem enim & inprimis infantulum, niſi extrema & cogente neceſſitate, nec perdunt, nec inſeqvuntur. Illud enim ſit potiſſimum in magna ipſorum ſenectute, ubi feras non amplius poſſunt aſſequi. Idcirco cum temporis circa urbes oberrant prædandi gratia: *Julius Camillus* (Gallus) in ſuo Theatro *recitat exemplum de ſeipſo, quod grandis Leo ipſi pepercerit*, & cauſam refert in Symbolum Solis, de quo Mathematici & Aſtrologi diſputant quaſi Leo Solaris ſit, & ita ſolaribus ſciat parcere, & diſtinguat nobilem ſangvinem ab ignobili, quæ tamen non eſt vera cauſa. 3. *Proſtratis & ſimulantibus ſe eſſe mortuos, etiam parcunt, captivos & ſupplices non lædunt.* Quidam amiculo tecta manu Leonis lingvam comprehendit & beſtiam perdidit. *Aliàs etiam mirabile eſt*, quod cum ferrum poſſint frangere, *lignis tamen parcant*, tanquam infirmioribus, unde non niſi in ligneis cancellis includuntur. 4. *Sæpè in campis dicuntur ſeſe occultare*, ne homines ipſis conſpectis nimium terreſiant. 5. *In venationibus, cum alii ipſis inſidiantur, nuſpiam ſeſe occultant, neque etiam cum magno conatu fugiunt*, neque ſalientes fugiunt, quod hoc ipſum turpe eſſet futurum ipſis; ſed gradatim incedunt, ſæpè etiam conſiſtunt, & in conſpectu venatorum ſeſe præparant ad defenſionem. Ubi autem virgultum quoddam intercedit, ibi velociſſimè currunt, ut citius redeant in conſpectum venatorum, ne putentur ſeſe ex metu abſcondere. Ita ergò omnibus malitioſis carent dolis, & ſunt alieni à ſuſpicionibus, nec aliquem aſpiciunt limis oculis, nec etiam ipſi limis oculis volunt aſpici. 6. Etſi venatores ipſos non fugiunt, *tamen nec te-*

69 70

merè ſeipſos volunt præcipitare in pericula. Idcircò ambulantes ſolent ſuis caudis tegere veſtigia pedum, ne pateant venatoribus. 7. *Quando ſaturis eſt fugiendum, ejiciunt cibos ex ventriculo per vomitum* & ungvibus extrahunt eos, ut ſint leviores ad fugam, id quod etiam faciunt, quando dolorem in ventriculo percipiunt propter cibum minus commodè ingeſtum. 8. *Leænæ ſæpisſimè quando habent catulos, pro iis tanta cum vehementia pugnant, ut etiam vitam pro eis linquant.* Refert Ælianus de Urſa quadam in quodam monte Thraciæ Pangæo, *quæ ingreſſa fuerat luſtrum Leonis, & abſentibus parentibus valdè laſerat catulos. In ipſo actu ex præda revertuntur parentes Leo & Leæna, ibi ſtatim in altisſimam arborem aſcendit urſa præ metu, interim Leæna exibat ad radicem arboris, ſed Leo diſcurrit per ſylvas, & forte fortuna offendit lignatorem, cui præ metu excidit ſecuris ex manibus. Apprehendit autem Leo lignatorem, invitum veſte trahit: & primum ducit in luſtrum, & oſtendit læſos catulos, mox ſignis quibus-*
71 *dam & geſtibus monet lignatorem, ut præſcindat arborem, quo facto, mediam dilanavit urſam, & tandem lignatorem per priorem viam ad ſuum locum reduxit.* 9. *In maxima multitudine diligenter obſervant, à quibus vulnerantur*, & cum non posſunt evadere, tandem in illos irruunt, illosque ſolos proſternunt. Hoc etiam mirabile eſt, quod illos, à quibus non vulnerantur, ſed ſolummodò infeſtantur, & quorum tela aberrant, non proſternunt, nec ungve lædunt, multò minus dilaniant, ſed ſolummodò percutiunt & terrent. 10. *Etſi ex præcedentibus conſtat, quod gratitudinis ſint ſtudioſi,* tamen illud etiam patet

tet ex hiſtoria de ſervo Androdo, cui pepercit Romæ
Leo, idcircò, quod olim in ſylvis diſcurrenti exemiſ-
ſet ſpinam ex pede, neque enim ſemper Leones im-
petum in quævis objecta facere ſolent.

2. *Et ſunt potisſimi ſex modi, in quibus parcunt
hæc ſævisſima animalia.* 1. *Si quis poſſet ipſorum
oculos levi ſaltem pallio operire: & recitat Plinius
multa exempla*, quæ contigerunt Romæ. 2. *Si ſint
tantum paſti & benè ſaturati*: & refert Ariſt. lib.
9. de hiſtor. animal. c. 44. *quod tunc temporis, cum
benè ſaturati ſunt, propemodum ſint humani & man-
ſueti, & familiares atque tractabiles.* 3. *Quando
ſunt cicurati domeſticâ conſuetudine*, unde Leones
ita *manſuefecit Antonius*, ut currum traherent. Quid
quod *Hanno Carthaginenſis* eosdem manſuefecit, ut
loco aſinorum ſarcinas portarent, & quod magis eſt, 72
quod *Antonius Caracalla* eosdem ita aſſuefecerit, ut
etiam os ipſius lamberent, & ſub prandio ſederent in
ſcamnis juxta menſam, & inſtar domeſtici catuli no-
ctu cum ipſo dormirent in eodem lecto. 4. *Si be-
neficiis affecti fuerint*, ut patet ex *hiſtoria de Andro-
do:* item rectores ipſorum poſſunt eos tutò tractare,
impunè etiam verberare. 5. *Si quis coram ipſo pro-
ſtratus* & fermè quaſi mortuus jacuerit. 6. *Si mi-
raculosè cohibeantur ipſorum ora*, quemadmodum
conſtat ex hiſtoria Danielis 9, 11. *imprimis ſolent ab-
ſtinere à Camelis*, modò poſſint alias habere prædas,
unde apud *Herodotum Xerxes* prodigii loco habuit,
& accepit pro ſigno infelicis pugnæ, quando in ipſius
exercitu Leo diſcerpſit Camelum. 7. *Aut in ſpecu-
bus, quas vehementer amant, aut in altisſimis monti-
bus ſe abſcondunt*, corpusque contrahunt, ſeſe incur-

vant, & quaſi ſedent, ſpiritumque retrahunt, donec videant prætercurrentem prædam, ut in illam faciliori & majore cum impetu irruant. Hûc reſpexit Pſal.
73 10, 8. 9. 10. *in quo David fermè omnes Leonis geſtus exprimit*, & ad ſuos inimicos accommodat, ut etiam Pſ. 17, 13. Etiamſi interdum prædæ ſeu animalia ab ipſis longiſſimè abſunt, ita, ut evadere poſſint, tamen ſuo terribili rugitu ita conſternatas reddunt feras, ut conſiſtant tanquam victimæ, & fiant prædæ Leonum. Hinc eſt, quod Scriptura paſſim, cum de hoſtibus eſt ſermo, ſimilitudines deprômit à rugitu Leonum. 8. *Cum accedunt ad feras, ſuis caudis eas circumſcribunt*, ut miſera animalcula extra caudas non fugiant. Unde Amos Propheta cap. 3, 4. *Nunquid rugiet Leo in ſaltu, niſi habuerit prædam.* 9. *Et dentibus & ungvibus*, poſtquam inſiluerunt, prædas *crudeliter laniant*, comminuunt omnia oſſa, ſubigunt carnem. Poſtquam hoc fecerunt, ſanguinem primò lambunt, poſtea verò devorant reliquas partes. 10. *Quando vident appropinquare ſibi hoſtem, ſtatim relinqvunt prædam, & aut in fugam conjiciunt, aut proſternunt eum, & poſtea* primum redeunt ad prædam. 11. *De præda tamen aliquid relinqvunt aliis beſtiis.* 12. *Quicquid tangunt aut vulnerant, ex illo effluit niger cruor.* Adeps tamen ipſorum medetur morſibus omnium animalium, adeò ut ſit occulta quædam antipathia inter adipem mortuorum Leo-
74 num, & inter reliqua animalia. 13. *In locis aſperis ſuos ungves contrahunt*, & intra carnem ſuam abſcondunt, ne hebetentur. 14. *Nunquam Leo paſcitur cum Leana*, nedum cum alio quopiam animali, ſed verſatur in ſolitudinibus & deſertis. 15. *Leana ſicut*

cut præter modum eſt ferox, ita etiam eſt valdè libidinoſa, & ſemper geſtit in coitum, adeò ut etiam miſceatur cum aliis Leonibus, item cum Pardo & Hyæna. 16. *In iis locis, ubi multi ſunt Leones*, & capti ſuſpenduntur, *reliqui fugiunt*. 17. *Non capiuntur, niſi in foveis*, in quibus impoſiti ſunt agni tunc temporis, cum maximè fameſcunt. 18. *Quando Leænæ* pugnant pro ſuis fœtibus, *oculos ſolent defigere in terram*, ne venabulis terreantur. 19. *Quando moriuntur*, neque quicquam amplius ſeſe poſſunt defendere, *Humum mordent*. 20. *Odio proſeqvuntur* ſeu antipathias quasdam exercent erga multa.

1. *Vehementer exhorreſcunt ſtrepitus rotarum*. 2. Vehementer timent *ignem*. 3. *Criſtam galli* itidem exhorreſcunt. 4. Cantum verò *galli* nullo modo poſſunt ferre. 5. Similiter *larvis* poſſunt converti in fugam. 6. Ante omnia verò oderunt *ſimias*, quæ ſunt verſutiſſimæ, cum Leones à verſutia ſint alieniſſimi, quando ægrotant, ſangvine ſimiarum ſanantur. Etiam *lupos non poſſunt ferre*, ſed capitale 75 cum ipſis exercent odium. Verum enim verò hæc ita apud Veteres commemorantur. Philippus verò Camerarius in ſucciſivis monet, recentioribus exemplis nos edoceri poſſe, quod Leo non modò non timeat, ſed, ſi poſſit, invadat, & rapiat gallum cum gallinis.

Tandem & hoc annotandum eſt, *in Scriptura quatuor potiſſimum inveniri nomina, quibus denotantur* Leones. 1. *Cum dicuntur Catuli*, qui nondum poſſunt excurrere ad prædam: etſi autem crudele hoc eſt animal, tamen propter στοργὰς divinitus inſitas catulis ſuis offert neceſſaria alimenta, donec prædatum

excurrere poſſint. Et hoc beneficium celebrat Job. 39, 1. *Nunquid rapies Leoni prædam & animam catulorum implebis, quando cubant in antris & in ſpecubus inſidiantur.* 2. *Kepher* dicuntur *aucti ætate*, nondum tamen integrâ ætate, qui maximè ſunt famelici, prædæ cupidiſſimi, ſæviſſimi. Semper enim ferociores ſunt catuli ætate adulta, quàm veteli. Hinc Scriptura, ut Pſal. 34, 11. *Catulos Leonum vocat filios divitum*, qui ſunt maximè feroces, uſurarii, violenti & confidunt ſuis viribus, omnia ad ſe rapientes. Hinc Æſchilus: Catulos Leonum (rapaces)
76 in Republ. non eſſe alendos. 3. *Ari, cum jam ſunt robuſti* & fortes & conſtanti ætate, à verbo *Arab*, id eſt, diſcerpſit, quia tunc obvia quævis diſcerpunt, & quando Scriptura vocat Leones, intelligit ipſos potentes conſtitutos in imperiis, Tyrannos dominantes. *In ſenecta dicuntur Levi*, quod tunc decreſcat virtus, & quod non amplius valeant curſu, ſed abdant ſeſe in ſpecubus aut in arbuſto, procumbunt in pedes, ſimulant ſomnia, nulla movent membra, & feras prætereuntes adoriuntur; ſicuti feles inſidiantur avibus & muribus. Si tamen magis ſeneſcunt, ita ut planè non valeant curſibus; ſæpè in homines ſæviunt ex impulſu maximæ famis, aut tandem etiam à junioribus aluntur ex mirabili prædeſtinatione divina, ſemper tamen ſenecta Leænæ dicitur præſtantior juventute hinnulorum. Dicuntur autem magnam ſenectutem aſſequi, quia reperti fuerunt dentes maximè eroſi, qui fecerunt indicium plurimorum annorum, cum aliàs oſſa eorum ſint duriſſima.

3. ***Cum in Leone partim generoſitas & magnitudo animi***

animi ſit eximia, partim verò immanis truculentia, & inprimis iracundia: *idcircò diverſæ imagines* partim in bonam partem, partim in malam hinc depromi poſſunt. Etſi autem valdè multæ ſunt illæ, tamen 77
libet ſaltem præcipuas commemorare, quæ imprimis Sacræ Scripturæ placuerunt. *In bonam partem pertinent illæ imagines, quando Judæi, Chriſtus, Apoſtoli, univerſi & ſapientes dicuntur Leones.* Geneſ. 49, 9. *Reges inde dicuntur Leones, quos nemo auſus fuit ſuſcitare. Quemadmodum enim Leones quoad oſſa ſunt fortiſſimi,* & quoad fortitudinem animi potentiſſimi: *ita quoque regnum Judaicum,* ex divina providentia ita fuit firmatum, ut licet undique hoſtibus eſſet circumſeptum, tamen nullus hoſtium poſſet illud evertere. *Deinde ſicut Leo propter ingens robur corporis non ſuperbit,* & nihil occultè ex inſidiis agit, ſed omnia aperto Marte aggreditur. *Sic cum in Judaico regno* tum in aliis regnis benè conſtitutis plus valuit & valere debet virtus & juſtitia, quam fraus & dolus. *Et ut Leo præcipuè inimicus* eſt Lupis: *ita imperia politica* ideò divinitùs ſtatuant ſe eſſe armata robore & potentia, ut è medio tollant ſeditioſos, quemadmodum David gloriatur ſe hoc facere, Pſal. 101, 7. *Contrà, ſicut Leo dicitur parcere ſupplicibus,* ut habet vulgatus verſiculus:

Parcere ſubjectis ſcit nobilis ira Leonum.

Ita gubernatores Politici in veniam debent eſſe promptiores, quàm in fervore juſtitiæ: & notandus eſt 78
verſus Virgilii:

Parcere ſubjectis & debellare ſuperbos.

Et *ſicut* Leones *parum dormiunt: ita maximè vigi-*

D5 *lantes*

lantes decet eſſe pios gubernatores. Sicut etiam
apud Homerum notus eſt verſiculus:

ὀ χρὴ παννύχιον εὕδειν κεχρήμενον ἄνδρα.

*Non decet tota nocte ſtertere principem, cui populus
curæ eſt.* Et hoc ſibi voluit, quod vetuſtas Principibus
attribuit inſignia Leonum, ut erga miſeros
ſint clementes, ſed erga maleficos ſint ſævi, & inprimis
erga hoſtes, unde etiam Salomon Proverb. 19,
12. & cap. 20, 2. iram Principum confert cum ira
Leonum. *Sicut etiam ſæpè Leones cicurantur* &
verſantur in domibus: *ita ſæpè magni viri* lucro aulicis
inſervire pompis coguntur, & gravia alia relinquere
negotia.

2. Joel. 2, 10. prædicitur de Deo, *quod ſit futurus
JEHOVA, qui rugiet & dabit vocem ſuam, quam audiet
cœlum & terra.* Similiter in quinto cap. verſ.
5. Apocalypſeos *dicitur CHRISTUS* Leo *de tribu
Juda, qui obtinuit.* Nam ex ſuperioribus conſtat,
quod Gen. 49, 9. *tota politia Judaica dicitur* Leo &
catulus Leonis, propter ſummam firmitatem illius
imperii, quod neceſſariò duravit usque ad ipſum
79 Chriſtum, & quod fuit in omnibus Imperiis mundi
tunc temporis celeberrimum. *Etſi* autem diverſis
temporibus multos habuit inſignes Judices & Reges
potentia & ſapientia celebres, *tamen* Chriſtus *κατ᾽
ἐξοχὴν* ſolus dicitur Leo, id eſt, omnium, quicunque
fuerunt, Regum Judæ potentiſſimus, ſapientiſſimus
& præſtantiſſimus. Id quod multis collationibus
debet oſtendi, qui *modò uno verbo proſtraverit
hoſtes in horto, vicerit Diabolum,* & alia fecerit
miracula,

miracula, *quomodo* etiam pro nobis ſatisfecerit, *quomodo* paſcat proſtratis ſeu pœnitentibus, *quomodo* averſetur libidinoſas Leænas, hoc eſt, impios colludentes cum Diabolo. *Sicut* autem Leo ſuo rugitu ſtare facit animalia: *ita* quoque Chriſtus ſua voce effecit, ne gentes amplius aberrarent à ſuis viis, ſed ut ad ipſum converterentur.

3. Mich. 5, 8. *Inde die illa Jacobi erit in medio populorum ſicut* Leo *inter animalia, ſicut Catulus* Leonis *inter pecora gregum, qui ſi tranſierit & conculcaverit & rapuerit, nemo eruet.* Hic igitur Judæi reduces ex Babylonica captivitate, & cumprimis horum poſteri Apoſtoli, ſicut omnes pii Doctores, conferuntur cum Leonibus. *Sicut enim* Leones *ſeſe præparant ad captandas prædas,* ſedent, vigilant,
&c. *ita Apoſtoli* omnia ſunt facti omnibus, ut poſ- 80
ſint aptiores fieri ad prædandas gentes. Et 2. *ſicut* Leones *ſuo rugitu conſiſtere faciunt prædam,* eamq; rapiunt & comminuunt: *ita Doctores* non vi corporali, ſed voce Evangelii excitante pœnitentiam ad ſe convertere debent. 3. *Sicut* Leones *non patiuntur ſibi prædam extorqueri: ita Apoſtoli* ſummam adhibuerunt diligentiam, & Eccleſias à ſe plantatas ſæpiùs viſitarunt, ne ab hoſtibus abducerentur. Plurima membra collationis quilibet poterit inſtituere.

4. Proverb. 28, 1. Juſti comparantur cum Leonibus. *Juſti inſtar* Leonum *confidunt.* 1. *Sicut ergo* Leo *robuſtiſſimum* eſt animal, & nihil extimiſcit ex animalibus reliquis: *ita vera Eccleſia,* hoc eſt, omnes pii & juſti armati ſunt robore ſpirituali Leonis robuſtiſſimi Chriſti, cujus gratia vincere & ſuperare poſſunt omnia certamina, pericula, omnes caſus & inſidias.

ſidias. 2. *Sicut Leo quocunque loco* à ſomno fuerit oppreſſus, in illo dormit: *ita juſtus* paratus ad omnem fortunam ferendam in quocunque loco, ita ut rectè dicatur in verſiculo:

Omne ſolum forti patria eſt ceu piſcibus æquor.

81 3. *Sicut & Leones ſunt alieni à dolis & inſidiis,* neque volunt aſpici limis oculis, non occultantur in venationibus: *ita pii & juſti* apertè profitentur, quod ſentiunt: oderunt converſationes pravorum, neque ſubterfugiunt pericula pro confeſſione. 4. *Sicut* & Leones oderunt Simias & Lupos: *ita* veri Chriſtiani oderunt adulatores & Tyrannos, ſimul etiam omnes rapaces. *Pindarus* ſapientem hominem dicit eſſe ſimilem frementibus Leonibus in ferendis laboribus, ſed vulpibus in excogitandis conſiliis.

In malam partem mutuò ſumuntur ſimilitudines ab hoc animali, dum Sacra Scriptura primam Monarchiam Tyrannos & hypocritas Diabolumque confert Leonibus. Dan. 7, 4. *Monarchia* Aſſyriaca, vel Chaldaica, vel Babylonica, vel Medica confertur cum Leone & Aquila ſimul. *Ideò autem Leoni comparatur,* 1. quia *ſicut Leo eſt ferociſſimus: ita Reges* plerique iſtius Monarchiæ fuerunt ſæviſſimi & ſimul tamen potentiſſimi, ut Nimroth, Salmanaſſer, Sennacherib, uterque Nebuchodonoſor, Xerxes & reliqui. 2. Et *ſicut Leo præcipuum eſt animal: ita Reges* Aſſyrici prope infinitas occuparunt terras: ſicut etiam ipſa Sacra Scriptura demonſtrat. 3. Deinde *ſicut*
82 *Leæna præter modum eſt libidinoſa,* & ſemper geſtit in coitum: *ita populi Monarchiæ* Chaldaicæ plerique Reges fuerunt deliciis dediti, libidinibus, ventri, unde

unde etiam tandem & Sardanapalus regnum amiſit Chaldäicum, quod nimis eſſet mulieroſus, & ſemper verſaretur in Gynecæo.

2. Pſalm. 22,14. *Chriſtus ipſe conqueritur, quod ſui hoſtes ſint Leones:* ita autem vocat Tyrannos, ſicut Pontifices nominat tauros, Doctores & ſcribas canes. Et Proverb. 28,15. *ut Leo rugiens, & urſus eſuriens:* Ita Princeps impius ſuper populum. *Sicut* enim Leo famelicus & iracundus nulli parcit: *ita* impii Principes in innocentes ſæviunt, omnes dilaniant, & ita deglutiunt oves. Ariſtoteles Tyrannos etiam vocat Leones, ſed timidiores Doctores comparat leporibus: unde Apologus, quod lepores concionentur Leonibus, & metuant, ne ab iis diſcerpantur, quod veriſſimè dicitur in concionatores & conſiliarios, qui non audent monere apertè magnos Principes. Sæpè tamen, ut in veteri Apologo habetur, Principes non ſunt Leones, ſed timidi tantùm lepores, qui exagitantur à Leonibus, id eſt, potentibus & ferocibus ſubditis, à quibus etiam devorantur.

3. Apud Eccleſiaſt. 4,35. dicitur: *Ne ſis Leo in domo tua.* Quibus verbis admonentur Patres- 83
familias, ut ſint mites & moderati; & in iracundia ſibimetipſis temperent, nihil dilanient, non adverſentur aut turbent ſocietatem conjugalem, ſicut Leo maximè eſt iracundus & ſævus, & Leænæ nunquam iraſcitur. Etſi enim Paterfamilias in ſervum habet imperium δεσποτικὸν, tamen debet *conjugem gubernare* πολιτικῶς, ſicut Conſul piis civem admonitionibus: *& liberos* βασιλικῶς, ſicut Rex præeſt ſubditis. 4. Denique *ſicut Diabolus: ita quoque organa*

gana ejus, omnes impii & hypocritæ paſſim dicuntur Leones. Etſi enim Judæi in Evangelio ex contemptu vocant Satanam Beelzebub, id eſt, dominum muſcarum, extenuandi gratia: tamen Petrus 1. Petr. 5, 8. rectius eum confert Leoni rugienti. 1. *Sicut enim Leo per triduum poteſt ferre famem, ſed tamen poſtea vehementer eſurit,* & cum ſummo furore, & maxima iracundia diſcurrit: *ita* verbis non ſatis poteſt exponi, quantus ſit furor Diaboli graſſantis in genere humano, & impellentis homines ad varia ſcelera. 2. *Deinde ſicut* Leo *intentus ad prædam ſit & immitis.* & ſicut tegit veſtigia inter obambulandum, ne deprehendatur: *ita Diabolus* omnes captat occaſiones, ut
84 ebrietate vel aliis modis hominem trahat in ſuam naſſam. 3. *Præterea ſicut* Leo *non partem aliquam vulnerat,* ſed integram ſubſtantiam dilaniat: *ita Diabolus* hominem corpore & anima perdit. 4. Item *ſicut* Leones *ſæviſſimi ſiunt in ſenecta,* ita ut tunc temporis oberrent circa oppida, & in homines quoque impetum faciant: *ita hoc* præſertim tempore ultimo, cum ſentit Diabolus appropinquare judicium ſuum, ſævitſimè graſſatur in omnibus ſtatibus. 5. Item *ſicut* Leo non frangit lignum, ſed ferrum: *ita Diabolus* imprimis illos aggreditur, qui videntur ſibi benè ſtare: unde rectè dicitur: *Qui ſtat, videat ne cadat. Conſolationis tamen etiam loco* nobis aliquid *proponitur in ipſa hiſtoria* Leonis. 6. *Sicut enim* Leo juxta relationem Veterum *non poteſt ferre cantum galli: ita Diabolus* vincitur ſola voce Evangelii, nullis externis & corporalibus armis. 7. Et *ſicut gallus imbecille* eſt animal, & tantum confidit in ſuo cantu: *ita pii toti* à promiſſionibus Chriſti dependere

pendere debent. Exempla martyrum Leonibus objectorum, ut & fabulas & apologos de Leone non contemnendos, & moralium doctrinarum plenos ipſos videant & huc aſſcribant Studioſi. Sed de his omnibus ſatis.

Caput VII. 85

De Urso.

URSUS quaſi ab urgendo dictus, quod valdè urgeat ſeu premat, *eſt animal grande ſeu robuſtum, non tamen vehementer ferox, magis perfidum, & pernicioſum, informe, quod inprimis amat mella.* Proprietates ejus ſuut præcipuè *hæ ſequentes.*

1. Etſi, ut dictum eſt, non eſt adeò ferox, & inprimis non eſt ferocior Leone, tamen *tanta fortitudine eſt præditus, ut uno tactu totum dorſum hominis poſſit excoriare.*

2. Etſi reliquo corpore eſt ſatis robuſtus, *tamen caput habet admodum infirmum*, unde aut averſum deſcendit de arbore aut neceſſitate urgente, cum deſilit de arbore, prioribus pedibus illud ſolet diligenter cuſtodire. Alii, *teſte Plinio*, ſæpè Romæ in arena mortui fuerunt & exanimati urſi, modo leviter impegiſſent in caput.

3. Cum urſi & urſæ ſobolis procreandæ cauſa convenerunt, *poſt coitum ſeorſim abeunt, neque iterum conveniunt, ſed latent*, unde rariſſimè etiam capitur urſa gravida. Hybernis enim menſibus graviſſimo

ſomno

Digitized by Google

ſomno per multos dies opprimuntur, ita ut vix exci-
86 tari poſſint, & tunc temporis maximè pingueſiunt. *Excitati à ſomno ſugunt priores pedes cum murmure.* Nam anteriores pedes ipſorum ſunt dulciores, quia & inceſſu & apprehenſione rerum ſæpius agitantur, & agitati adeò boni redduntur. Hoc igitur ſuo dulci ſucco anteriorum pedum mirificè delectantur urſi & fiunt pingves, quanquam juxta tenorem Pſ. 104, 20. *credibilius ſit etiam noctu urſum progredi*, & vel radices vel herbas, vel alia captare, ſicut radices quandoque eruere & decerpere viſus fuit. 4. *Dicitur hoc animal fœmininum eſſe libidinoſiſſimum*, gignere fœtus informes poſt coitum, adeò informes, ut videatur eſſe tantum nuda caro, ſine oculis, ſine pilis, majorque quam eſt mus, minor quàm eſt felis, quam carnem informem poſtmodum lambendo componat & efformet. Hinc *Virgilius* dicebat ſe componere verſus, *ſicuti urſæ gignunt catulos lambendo*, id eſt, difficulter. *Julius tamen Scaliger* Exerc. 6. ſect. 15. p. 24. contrarium probat, *& refert in Alpibus captam quandam gravidam urſam, quæ diſſecta habuerit fœtus per omnia membra integros.* Et rectè alii obſervarunt & annotarunt, craſſiſſimis ſecundinis catulos includi, quas ſecundinas nonniſi lambendo, & quidem nonniſi per longum tempus revellere poſſit. 5.
87 *Fœtus ſuos vehementer amat urſa*, applicat eos pectori, ſæpè ipſis incumbit, ſicuti volucres ſuis pullis, & ita eos fovet. 6. *Sæviſſimæ tunc urſæ, cum catulos habent*, & præſertim ſi ipſis eripiuntur, unde Prov. 17, 12. dicitur: *Satius eſt occurrere urſæ orbatæ, quàm ſtulto in ſtultitiâ ſua.* Et Hoſ. 13, 8. *Occurram eis ſicut urſus orbatus*, &c. 2. Sam. 17, 8. *Conſiliarii Davidis*

vidis comparantur ejusmodi urſis. 7. *Semper amant latebras*, quas, ſi non poſſunt habere, ex frondibus ſibi comparant, adeò firmas, ut pluvia penetrare nequeat. 8. *Vehementer delectantur melle*, unde odore ſolent inveſtigare favos apum in concavis arboribus, ſæpè tamen numerò non mellis gratia hoc faciunt, ſed ut compuncti aculeis apum liberentur à gravedine capitis, cum qua non raro conflictantur. 9. *Miro autem modo aſcendere poſſunt in altiſſimas arbores*, ubi ungvibus ſuis aperiunt rimam, intra quam ſciunt latere favos apum. 10. *Omnia promiſcuè comedunt*, poma, pira, nuces, cancros, carnes, & quidam etiam putres, id quod ipſis cedit in vituperium: Unde Ovid.

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe Leoni,
Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.
At lupus & turpes inſtant morientibus urſi,
Et quæcunque minor nobilitate fera eſt.

Comedunt etiam interdum formicas, quando ex ni- 88
mia repletione ſentiunt dolores ventriculi. Nam poſt eſum formicarum vomunt, & ita ſanantur. Valdè ſolent eſſe iracundi & vindictæ cupidiſſimi, & ſingulos, à quibus ſaltem tanguntur, perſequi ſtudent. Itaque ſi eos lædat ſecundus, ſtatim prætermiſſo primo ſecundum aggrediuntur, & ita de tertio & quarto, &c. Et licet quandoque cicurentur, ſaltent, ludant, circumeundo volvant rotas, & ſic aquas è puteis trahant, aut ſaxa per trochleas ſupra altos muros trahant, tamen ipſi non eſt fidendum. Sæpe enim perfidiam ipſorum ſibi noxiam nimis ſtultè deploravit urſi Dominus. 11. *Tota die circumeunt ad ſtipitem*, hoc eſt, vix uno gradu procedunt & recedunt, illud-

que intervallum ſemper repetunt juxta ſtipitem, ubi vinculis alligantur. 12. *Muſica vehementer delectantur.* Refert *Paulus Diaconus, & Olaus Magnus*, in Septentrionalibus terris magnam eſſe copiam urſorum, *ſæpe paſtores ab urſis circumventos continuò ludere paſtorali tibia tamdiu, donec urgente fame ſponte diſcedant urſi & quærant pabula. Poſtea autem paſtor cornu adeò edit horrendum ſonum, quare timentes urſi non redeunt.* 13. *Sunt urſi ſolertes* & parati ad omnem nequitiam diſcendam, unde ſæpè
89 duobus pedibus ingrediuntur, erecti conſiſtunt, exercent ſaltationes & alia multa: ita nihil eſt tàm ferox, quod doctrina & inſtitutione non poſſit miteſcere. Sindrigal Princeps Littaviæ habuit urſam, quam ita manſuefecit, ut ſingulis diebus manè ex ſylvis veniret in urbem, & pulſaret ipſius ædes, atque expectaret ante ædes, donec cibum acciperet, ſicut mendicus, poſteaque rediret in ſylvas. 14. Aliàs ſolent venari equos & vaccas, atque mirabili quadam affectione ſentiunt gravidas, iisque plurimum inſidiantur. 15. *Urſa reſupinata ſerpere ſolet vel ad fœtus ſuos*, vel aliàs ad latebras, in quibus eſt paritura, ne veſtigia quædam ipſius prodant venatori catulos. 16. Quando videt venatorem urgere & inſtare, *pullos ſeu catulos partim ore accipit, partim dorſo ſuo portat in proximam arborem.* 17. *Hoc animal imprimis obnoxium ophthalmiæ*, id eſt, ægritudinibus oculorum. Et reperitur fermè ubique locorum excepta Africa & Numidia, unde Virgilio vitio verſum, quod Africæ urſos attribuit. Alii tamen etiam Africam ſine urſis eſſe negant. 18. *Aquam non lambit* ſicut canis, *neque ſorbet* ſicut alia quædam animalia, *ſed morſu*

ſu vorat. 19. *Capitur* quando ſtruuntur ipſi inſi-
diæ *per mella*: ita etiam fit, ut ſectans mellis odorem, 90
tandem incidat in foveam, item ſunt alii modi multi
venationum. 20. *Naſo percuſſo* vel vulnerato tan-
quam parte tenerrima plurimum *irritatur*, unde
ortum eſt proverbium: *Ne tentes naſum urſi.* 21.
Etiam capitale exercet disſidium cum equis: Et ſi-
cut in aliis animalibus diſſidium poſt mortem etiam
durat: ita urſi in ſolitudinibus (ut fertur) conver-
tuntur in fugam tantùm ſonitu tympani confecti ex
pelle equina. Sed de his proprietatibus ſatis.

Nunc videndum eſt, *quarum rerum imagines in
his contineantur.* Et quidem *ipſa Sacra Scriptura
urſum applicavit Monarchiæ Perſicæ*, non incommo-
dè Philoſophis nos comparare poſſumus. 1. Da-
niel. 7. *ſecunda Monarchia Perſica aſſimilatur ur-
ſæ.* *Multi* autem exiſtimant hoc ideò factum eſſe,
quod *ſicut urſus excoriat hominem, ita Reges Perſici*
admodum fuerunt crudeles in ſuppliciis repoſcendis
à maleficis, id quod tamen nuſpiam legitur in hiſto-
riis. Etſi enim Cambyſes iniquo judici detraxit cu-
tem, tamen illud ſupplicium juſtum fuit. *Deinde
alii exiſtimant innui ſimplicem & tenuiſſimum vi-
ctum* vetuſtiſſimorum Perſarum, qui tantùm ſole-
bant edere panem, neque quicquam adjungere, niſi
naſturtii parum, ſicuti urſus hybernis menſibus re- 91
quirit. De quo tenui victu veterum Perſarum le-
gatur Xenophon lib. 8. παιδείας Cyri. Sed ne-
que hæc accommodatio aptè locum habere poteſt.
Sunt igitur tres partes ſimilitudinis inter urſos &
Monarchiam Perſicam. 1. *Quemadmodum urſæ*

maximoperè delectantur melle, illudque odoribus ſuis perveſtigant: *Ita Perſæ delitiis fuère dediti*, luxus & ſuperbiæ ſtudioſi, ſicut dalectabantur multis bellariis, amabant externos veſtitus & quidem pictos, ſolebant habere aureas menſas, aureos & argenteos lectos. Acceſſit etiam libido, unde Cambyſes ſtupravit proprias ſorores: & apud Herodot. lib. 5. ipſi fatentur, *moris eſſe in ipſorum conviviis introducere concubinas*, &c. Apud ipſos etiam primæ partes concedebantur militi proximè illi, qui ſtrenuus eſſet in amore, nec non etiam plures haberet liberos. Hoc etiam patet ex lib. 1. Herodoti, quod niſi ebrii inſtituere ſolebant deliberationes.

(2.) *Sicuti urſi ſæpiſſimè laborant ægritudinibus oculorum: ita quoque Perſæ non fuerunt perſpicaces in bellis*, nullam calluerunt militarem prudentiam. Etſi enim apud Herodot. lib. 7. Xe xes contra Græ-
92 cos eduxit millies millenos, tamen tantus exercitus parvam illam ditionem Græcorum non potuit ſubjugare. Aliàs etiam nunquam ultra Helleſpontum feliciter pugnarunt Perſæ, ſicuti Romani ultra Euphratem, Tandem etiam immenſus exercitus Darii Regis Perſici facili negotio fuit ſuperatus ab Alexandro Magno, ſicut legent Studioſi apud Curtium.

(3.) *Sicuti urſi capita habent infirma*, adeò ut ſæpè Romæ infracto colapho fuerint exanimati: *ita Perſæ deliciis & luxu ita fuerunt enervati*, ut omni robore deſtituerentur, neque hoſtibus ſuis aptè poſſent reſiſtere.

Huc etiam pertinet, quod Herodotus refert lib. 3. ſe vidiſſe poſt prælium aliquod commiſſum capita Ægyptio-

Ægyptiorum & Perſarum, & quidem Ægyptiaca fuiſſe duriſſima, ſed Perſica admodum mollia. Sequitur enim ex delicato victu enervatio virium corporis.

2. *Urſi multas habent proprietates,* quæ non malè poſſunt accommodari ad vitam Philoſophicam & Scholaſticam. (1.) *Quemadmodum urſi informes edere dicuntur fœtus,* vel certè non admodum magnos: *ita quoque eruditi opera primùm conficiunt imperfectiora* & ea ſucceſſu temporis elaborant. (2.) *Deinde ſicut urſæ vehementer amant ſuos catulos, ita eruditi plus amant fœtus ingeniorum, quàm alia* 93
quævis. (3.) *Et ſicut urſæ citò poſſunt conſcendere in arbores: ita eruditi* etiam illa, quæ in cœlo ſunt, perquirunt. (4.) *Atque ſicut urſi non ſunt libidinoſi,* & poſtquam ſemel coiverunt, poſtea non amplius conveniunt: *ita Docti & Philoſophi* non vacant amoribus. (5.) *Atque ſicut urſi amant ſolitudines: ita Philoſophica vita* quærit ſeceſſus, & odit ſtrepitus. (6.) *Sicut etiam urſi tota die circumeunt* ad ſtipitem, ubi alligantur: *ita quoque* Docti in Muſæis ſuis perpetuo labore defatigantur, palleſcunt, conſeneſcunt & libris immorantur. (7.) *Sicut item urſi amant mella: ita Docti* non poſſunt eſſe contenti crudis atque vulgaribus cibis. (8.) Sed *ſicut urſi mordent* cum bibunt, h. e. morſu devorant aquam: *ita Philoſophi & Docti non ſunt occupati in corpore curando,* ſed quaſi obiter edunt & bibunt, & interim ſemper ſunt ſolliciti de Muſis. (9.) *Sicut item urſi amant Muſicam: ita* quoque Philoſophi. (10.) *Sicut urſi admodum ſunt iracundi,* & de ſingulis ex-

 lis ex-

lis expetunt vindictam: *ita eodem vitio laborant Philoſophi* & Docti, ſicut dicitur:

Et faciles motus mens generoſa capit.

(11) *Sicut item urſæ ſunt deformes,* habent capita infirma, & plerumque laborant ex oculis: *ita quoq;*
94 *noſter ordo eſt deſpectus,* & propter labores capitis cum multis conflictatur ægritudinibus. (12) *Sicut pelve ardente excæcantur: ita quoque literati* perpetuum habent bellum cum potentibus, & ſæpè ſplendore mundi ſeducuntur. Sed & de his ſatis.

Sunt quædam genera urſorum alborum amphibia, quæ tàm in aqua, quàm in terra verſantur, ut Albertus annotavit. Heliogabalus noctu immittebat urſos & ſimilia in cubile, ubi amicos ebrios à ſe factos quieſcere juſſerat. De mutatione hominum in urſos nihil opus eſt dicere. Phyſicè illud nunquam fit. Ethicè verò ſæpiſſimè, quod nimirum multi imitantur mores ut porcorum, ita urſorum.

CAPUT. VIII.
DE PARDO.

PARDUS, qui etiam aliàs appellatur *lupus Canarius*, ein Pantherthier / item Panther/ cujus fœmina appellatur Pardalis, ſeu Panthera, eſt animal Aſiaticum, magnitudine vituli quoad mares, vel canis venatici mediocris quoad fœminam, ferociſſimum, aſtutum, habens pellem variis maculis pictam.

1. *Præter modum hoc animal eſt ferox,* & cum poteſt,

poteſt ſummo cum impetu ruit in oculos hominum, ſicut inter alios annotavit *D. Baſilius*, his verbis: *Vidi ego* (inquit) *partim audivi* (res certa eſt) *inter animalia hominibus inimiciſſima Pardalim, quandoq; in ſtadiis hominis oculos præ ira invadere. Qui feræ deludere furorem quærunt, hominis imaginem ei ex charta oſtendunt: illam ſtatim furibunda concerpit atque dilaniat, hoc argumento ſatis oſtendens, quanta ſit ejus adverſus hominem inimicitia. Sic item Diabolus, quo ſit erga Deum odio, in imagine Dei oſtendit, quando Deum ipſum attingere neqvit: Sic & contra nos bellum ipſius ſatis oſtendit, Dei eſſe illum adverſarium, & omnia Deum petere.* Hactenus Baſilius. 95

Et Oſ. 13, 7. *Dominus minatur, ſe velle ita punire Judæos, & ita in ipſos irruere ſicut Pardus.*

2. Sicut ferociſſimum eſt, neque unquam miteſcit: *ita quoque mirabili celeritate eſt præditum & non invadit, ſed cum ſaltu ruit in prædam.* Refert enim *Oſorius* lib. 9. de rebus Portugallicis, *quod Rex Portugalliæ Romam ad Papam miſerit Pantheram nonnihil manſuefactam, quæ inſidebat Perſico equo auratis tegumentis inſtrato, quem regebat Perſicus Venator. Itaque in ſylvas adducta mirabili celeritate in apros & cervos inſiluit, eosque ſtatim jugulavit.* Et hoc ſibi vult, quod Deus Habac. 1, 8. dicit, *ſe adducturum Chaldæos, quorum equi ſint leviores Pardis.* 96

3. *Pellem admodum pulchram & variatam maculis*, ſeu quaſi oculatam habet, quia ac ſi eſſet plena oculis, ita undulatim aſperſis lunulis, vel maculis nigris in mare, ſubalbis in fœmina conſpicua illa.

Huc reſpexit Jer. 13, 23. *Nunquid mutabit Pardus varietates ſuas.*

4. *Aſtutiſſimum hoc eſt animal, & venatur reliqua omnia animalia,* caput quidem habet admodum deforme, quod metuunt animalia (ſicut omnia animalia ſæva ſunt feli ſimilia) ſed reliqvum corpus eſt ſuave & jucundum. Itaque caput ſuum occultat, ut ſolummodo corpus reliqvum extet. Accurrunt igitur omnis generis animalia capta pulchritudine corporis, in quæ ipſa ſommo cum impetu irruit. Huc ſpectat, quod Jerem. 5, 6. dicitur: *Sicut Pardus vigilabit ſuper nos, ſicut Leo percutiet, ſicut Lupus vaſtabit.* Sæpè enim ſimulat ſe eſſe mortuum, aut reſolutum in ſomnum, aut alio modo ſe abſcondit in perniciem reliquarum beſtiarum.

5. *Nullum ex omnibus animantibus tàm gratum & fragrantem ex ſeſe perhibetur emittere odorem corporis, exhalantem unà cum ſpiritu oris, atque hoc*
97 *ipſum animal.* Et hac ipſa ratione decipit reliqua animalia, quæ ſuo ſuavi odore ad ſe allicit. Legatur quæſt. 4. ſect. 23. in Problem. Ariſtotelis, *ubi de cauſa ſollicitè quærit, cur reliqua animalia minus benè oleant excepta Panthera.* Videntur autem eruditi rationem depromere ex loco, nempe Aſia, quæ eſt fervida regio, & in omni bono odore neceſſe eſt abundare caliditatem & ſiccitatem. Poſſet tamen de hac re non immeritò dubitari, vel ſaltem certior requiri hiſtoria.

6. *Quando edit venenum, poſtea quærit ſtercus humanum,* quo devorato manet tutum & incolume adverſus noxam veneni.

8. Tres *quandoque dies continuos dicitur dormire,*

re, & excitatum à ſomno vehementer clamare, & melius olere, unde tunc quoque catervatim feras ad ſe allicit, ſed de hoc eadem ſit judicandi ἐποχὴ atque de præcedente.

9. *Utcunque ſit ferociſſimum, eſt animal tamen gratitudinis ſtudioſiſſimum.* Teſtibus enim hiſtoricis, illum, qui illius catulos liberaverat, ex erroribus ſylvarum in viam reduxit. Et *Ælianus* ſcribit, *Pardum à teneris conſueviſſe cum hædo*: tandemque hædum à domino ſtudioſè laniatum, & Pardo ad edendum fuiſſe propoſitum, Pardumque penitus ab hoc ſuo contubernali abſtinuiſſe perpetuò, cum homines quandoque ſuos neceſſarios & conſangvineos ſpontè 98
excrucient & devorent.

10. *Moritur quando tangit carnes venenoſas.*

11. *Diſſidium habet naturale cum tribus*:

1. *Cum Draconibus*, ſed & aliàs familiare eſt omnibus animantibus excepto Dracone, cujus nec vocem nec odorem poteſt ferre. 2. *Cum Hyæna* tantùm dicitur exercero odium etiam poſt mortem. ita ut Hyæna irruat in hominem, qui ſaltem corium Pardi habet. Et ſi ſuſpendantur pelles hyænæ & pardi in una domo, dicuntur decidere pili ex pardi pelle. 3. *Cum gallo*, cujus offam non poteſt ferre, præſertim ſi fuerit incoctum allium. Veſcentes igitur offa galli nec tangere quidem dicitur.

12. *Panthera fœmina non eſt tam ſæva atque Pardus maſculus.* Cor enim ipſa habet magnum, & ita neceſſariò eſt timidior, & quando malefica eſt, propter metum hoc facit.

13. *Pardus maſculus admodum eſt libidinoſus*, &

coit non tantùm cum Pantheris, verùm etiam cum Leænis.

14. *Suaviorem cutem habet Panthera quàm Pardus.*

15. Quanquam ſagax & aſtutum, animoſum & audax, robore & celeritate maxima præditum ſit hoc
99 animal, *tamen facilimè vino inebriatum opprimitur.* Cum enim vini ſit avidiſſimum, venator in fonte, ex quo prima luce bibere ſolet, aut in alio loco vicino vinum ſuave & odoratum fundit. Cum igitur Pardi ſitientes ad fontem accedunt, aut aliàs odore vini ex antris eliciuntur, hauſto vino accenduntur & diſcurrunt, unàque ludunt tum Pardi tum Pantheræ, ut ſic corpora Venere ſomnoque reſolvantur. Hac ratione ſine difficultate opprimuntur & capiuntur.

Hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus animalis Aſiatici: *nunc videndum eſt, cujus rei imagines in hoc animali contineantur.* Etſi ad plurima hæ proprietates ſe ſinunt accommodari, ut ad feroces, àd Diabolum, &c. tamen illuſtre eſt, quod Sacra Scriptura, *tùm totam tertiam Monarchiam Græcam, tùm inprimis Alexandrum Magnum, præcipuum membrum Græcæ Monarchiæ, Pardo vel Pantheræ comparat. Illius comparationis hæc poſſunt eſſe capita præcipua, juxta Pererium & alios.*

1. *Quemadmodum Pardalis eſt magnitudine canis venatici prædita,* nec æqualis Elephanto, aut Leoni: *ita Alexandri Màgni* Imperium habebat tenue principium. Nam valdè exiguo apparatu & parvo cum exercitu 40000. totum Orientem debellavit, com-
100 meatum, non niſi ad 30. dies ſufficientem ſecum detulit, & pro ſtipendiis militum vix 40. talenta unâ accepit.

accepit. 2, *Sicut Pardalis eſt animal velociſſimum: Ita quoque Alexander Magnus* breviſſimo temporis ſpacio, nempè 12. annis totum Imperium eſt conſecutus. Nam 20. anno ætatis ſuſcepit Imperium Patris, & 33. mortuus eſt, quæ ætas in plerisque ſolet eſſe expers omnis conſilii, omnis experientiæ, autoritatis, patientiæ. His igitur 12. annis quantum ſit Imperium conſecutus, caput tertium collationis monſtrabit. Ipſe enim interrogatus, qua ratione tantas res tam brevi temporis ſpacio tam feliciter confeciſſet, reſpondit, μηδὲν ἀναβαλλόμενος, id eſt, ſine omni mora, vel nihil cunctatus. Vix autem dici poteſt, quàm igneum habuerit Ingenium, unde Apelles ipſum pinxit tanquam geſtantem fulmen, cujus maxima eſt celeritas, & mater Olympias gravida ſomniabat fulmen decidere in uterum ipſius, & inde magnum excitari ignem. Septendecim diebus extruxit nobiliſſimam urbem Alexandriam ad Tanaim, tribus ſaltem præliis victor totam Aſiam cœpit, exædificavit ſeptuaginta civitates, & ut *Hieronymus* rectè inquit: *Victoriis potius quàm præliis totum orbem percurrit.* Rectè autem dicitur in Daniele c. 7. v. 6. *ipſi datam fuiſſe iſtam poteſtatem, quod & ipſe agnovit.* Nam cum veniret Hieroſo- 101
lymam, & haberet obvium Pontificem maximum, in genua procidit, illumque honoravit. *Interrogatus autem cur ita ſe humiliaſſet, reſpondit, ſe non hominem, ſed Deum honoraſſe*, nocte enim præcedente Deum tali forma ei apparuiſſe, & certas victorias totius mundi promiſiſſe. 3. *Quemadmodum Pardus omnia venatur animalia: ita ſumma fuit amplitudo Imperii Alexandri*, de quo dicitur in Daniele, *quod impera-*

tigonus in Aſia, Seleucus in Syria, Ptolomæus in
Ægypto. 5. *Sicut Pardus animal eſt ferociſſimum
& ſæviſſimum: ita Alexander nullum hoſtem adiit,
quem non vicerit,* nullam urbem obſedit, quam non
expugnarit, ſæpè inermes ipſius milites cum armatis
hoſtibus congreſſi, tamen victoriam reportarunt,
ſæpè ipſe ſolus pugnavit, ſolus mœnia conſcendit. 6. 103
Sicut callidiſſimum hoc eſt animal: ita Alexander
ſua ſagacitate etiam ſapientiſſimos ſenes vincebat:
non tantùm autem in ipſo erat incredibilis vigor in-
genii, ſumma celeritas ingenii, verùm etiam alios
doctos & magnos Viros plurimùm amabat. 7.
*Quemadmodum in Pardo variæ ſunt maculæ, ſed ta-
men jucundæ: ita in Alexandro Magno conjunctæ
fuerunt plurimæ virtutes,* quæ in aliis ſummis viris,
vix fuere ſingulæ, erat *fortis* ut Achilles, *caſtus* ut
Agamemnon, *pius* ut Diomedes, *magnanimus* ut Cy-
rus, *ſagax* ut Themiſtocles, *peritiſſimus* ſicut pater
Philippus; ſed quæcunque dici potuerunt de ipſo,
longè ſunt minora & inferiora, quàm ut laus ejus
ſumma requireret. 8. *Sicut Pardus animal eſt ira-
cundum & non niſi vino capitur: ita quoque Ale-
xander Magnus & avidiſſimus erat vini,* & in ebrie-
tate multa committebat deteſtanda. Sæpe tantum
bibebat, ut totum triduum dormiret, inſtituebat
certamina potationum, & victoribus diſtribuebat
præmia: in ebrietate ſua fit maritus fœminæ cujus-
dam, accendit nobiliſſimam urbem Orientis Perſepo-
lin, in ebrietate interfecit Clitum familiariſſimum ſu-
um, &c. Poſtea tantum doluit, ut parum abeſſet,
quin ſibi ipſi mortem conſciſceret. Uni convivio 104
adhibuit novem millia convivarum & ſingulis dona-
vit

ut fallat incautos. 4. *Sicut item Pardus cum ſumma vehementia & ſaltu ruit in prædam: ita quoque Diabolus* non cum aliqua prigitia, ſed *ſicut Leo* vigilans & rugiens *rapit ad ſe impios.* 5. *Sicut idem Pardus nunquam mutat ſuas maculas: ita quoque Diabolus* nunquam deponit animum fallendi. Imò cum tot annorum uſu factus ſit ipſe callidior, nunc circa finem mundi ideò magis ſævit, quo minus videt reſtare temporis ad judicium. Orandus eſt Filius Dei, ut ipſe hanc immaniſſimam beluam coerceat & confundat. Sed de hoc ſatis.

Caput IX. 106

DE TIGRIDE.

Quemadmodum *Ariſtoteles* lib. 9. de hiſtor. animal. cap. 29. teſtatur, *in Aſia eſſe ferociores beſtias, ſed in Europa fortiores, in Africa verò magis multiformes*: id inprimis hæc beſtia ſæviſſima & Aſiatica teſtari poteſt. Quod *ad nomen* attinet, lingva Armenica ſignificat ſagittam, unde etiam fluvius hoc nomine appellatus fuit, quod ejus ſumma ſit velocitas. 1. *Generatur hoc animal inprimis in Hircania,* unde Virgilius vocat Hircanas tigres, 2. Æneid. 2. *Quoad magnitudinem ſimile eſt equo ſatis grandi.* 3. *Eſt autem velociſſima beſtia,* imò ſtupendæ celeritatis, unde etiam nomen ſagittæ accepit. 4. Et quemadmodum velociſſima eſt, *ita etiam fortiſſima,* & inde dicunt eſſe fortiorem Elephanto. 5. *Etiam variis maculis conſpicua & diſtincta*

ſtincta eſt ipſius cutis, ſicut Pardorum, & tantum præſtare perhibetur pulchritudine inter alias feras quantum inter volucres Pavo. 6. *Odoratu adeò valet,* ut vix primas concedat hac in parte alteri animali cuidam. 7. Cum igitur tàm ſit velox & præter modum ſæva, *difficulter poteſt capi;* præſertim quando adolevit. His ergo utuntur ſtratagematis
107 venatores. Diligenter perſpiciunt, & luſtrum ejus & tempus partus, & quo tempore excurrat prædatum. Tunc celerrimo vecti equo, omnes ipſius catulos auferunt, & quanta poſſunt velocitate fugiunt. Beſtia rediens à præda, odore inveſtigat, quonam verſus aufugerit venator cum catulis, & cum ſtupenda celeritate ipſum inſequitur. Cum igitur animadvertit venator ipſam non procul abeſſe, unum projicit catulum in viam. Hunc ipſa reportat in luſtrum ſuum, & rediens ſecundum catulum projectum à venatore etiam reportat in antrum. Sic ergo ſpacium relinquit venatori, qui tamen vix unum tandem retinere poteſt. *Aut alio utitur ſtratagemate venator,* ſi omnes cupit fœtus habere, magnum ponit ſpeculum, & unum addit catulum, mater igitur inſecuta venatorem, cum accedit ad ſpeculum, miratur & laborat circa ſuam umbram, & conatur catulos extrahere ex ſpeculo. Interim igitur reliquos catulos ſecum poteſt deferre venator in navim. Secuta mater in littore vehementer fremit & ſævit.

8. *Patres non ſunt ſolliciti de fœtu, ſed fugiunt viſo venatore.* Matres autem diligenter curant ſobolem usque ad mortem.

9. Apud quosdam hodie populos Praſios dicun-
108 tur reperiri *Trigides duplici Leonum magnitudine, & habere*

habere aculeos in cauda, quos tanquam aculeos ejiciant in obvios quosvis.

10. Admodum *impatiens eſt* hæc beſtia captivitatis.

11. *Non poteſt ferre ſonitum tympanorum*, ſed in rabiem agitur; & ſeipſum diſcerpit.

12. Utcunque autem admodum ſit ſæva, tamen *Auguſtus Cæſar Tigridem manſuefactam Romæ oſtendit in cavea*, & Aurelianus Cæſar præter alia ſpectatiſſima Tigrides, Alces, Camelopardales in triumphali ſua pompa oſtendit.

Et hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus beſtiæ,
quam *cum nemine poſſumus melius conferre*, quàm
cum Turcica barbarie: 1. *Sicut igitur Tigris eſt for-
tisſimum animal*: *ita quoque maxima eſt poten-
tia Turcica*, & 2. ſicut hæc eſt *velocisſima* beſtia:
ita Turci non longa inſtituunt conſilia, & in ipſis
bellis ſine omni mora, quod propoſuerunt, conſici-
unt. 3. Et *ſicut odoratu maximè valet* hæc beſtia:
ita prudentia militaris in Turcis longè ſuperat calli-
ditatem reliquarum gentium. 4. *Sicut* item in Ti-
gride *cutis reperitur maculoſa*: *ita quoque in Tur-
cis* multæ virtutes, ſed conjunctæ tamen cum maxi-
mis vitiis deprehendi poſſunt; Nam preces quoti-
dianas cum magna religione & cum majori attentio- 109
ne recitant adhibitis inclinationibus, variis ſeſſioni-
bus, variis item præcedentibus lotionibus: 1. Toti-
us corporis: 2. Verendorum: 3. Quinque ſenſuum,
quibus ſeſe præparant ad preces. Etiam extra pre-
ces tamen mundiciei in edendo, & aliis rebus ſunt
ſtudioſi, non tolerant impura animalia in cœnaculis,
item in caſtris ipſis ſeorſim peculiaria habent tento-

 riola,

toriola, in quibus ſunt latrinæ additis multis ſcrobi-
bus, imò quotidiè novis exſtructis ſcrobibus, & inje-
cta arena, ne ex fœtore ſtercorum inficiatur aër. A-
lias in macellis propter mundum uſum profundas
habent foſſas, in quas pecorum excrementa & inteſti-
na abjiciunt. Ludentes lucri cauſa graviter puni-
unt, ſicut etiam, qui negligunt ſacra, magna ignomi-
nia afficiunt, & ſi quis tribus diebus Veneris non in-
terfuit ſacris, excommunicatur. Item cum ſumma
reverentia meminerunt ſui & Dei, & tollunt fruſta
chartarum, nec in alios uſus convertunt, ſed vel com-
burunt vel in rimas abſcondunt, ſi in terra viderint
jacentia, quia ſuſpicantur nomen Dei vel Mahometis
eſſe inſcriptum. Orantes vertunt ſeſe ad Meridiem,
ſed cum opus naturæ exercent, ſedulò cavent, ne faci-
em ad mundum locum illum vertant. In Templis
110 diſcalceati ſunt, ſicut etiam ſub cibo, atqve his & ſimi-
libus multis longè ſunt excellentiores Chriſtianis.
Etſi etiam artes non magnoperè curant, imò etiam
nomina ipſarum ignorant: tamen linguarum ſunt
Studioſi, & unumquemque tot viris æqualem ducunt,
quot callet linguas, cum linguarum videant eſſe ſum-
mam utilitatem. Contrà verò non minoribus vitiis
ſunt obnoxii, & inprimis ſævi, & crudeles & injuſti.
Nam & ipſi Imperatores ſuos fratres ſub initium ſuſ-
cepti imperii è medio tollunt, & uxorem familias
non curant, imò captivas ducunt; ut ita omnem Im-
perii ſocietatem reliquis fratribus adimant. Hoſtes
non aliter habent atque beſtias, quos vendunt, capti-
vos detinent, miſerabiliter torquent, omnibus ſpoli-
ant opibus, domos egregias extruere prohibent, au-
ferunt ipſis ſæpè oculos, & candenti ære excœcant,
multos

multos vivos ſecant, aut excoriant, aut aliis modis multis excruciant. Licet etiam Regibus ſuis, dum adhuc ſunt in vivis, maximos habeant honores & magnam præſtent obedientiam, tamen mortuis nihil non ignominiæ inferunt, ſeditiones excitant, diripiunt æraria. Sed nimis eſſet prolixum & ab hoc inſtituto alienum, hæc præciſè & tragicè proſequi. 5. *Quemadmodum item Tigrides non poſſunt ferre tym-* 111
pana, ita Turci adimunt bonas artes, eloquentiam, Phyſicam, picturam, imprimis Muſicam, quia ſciunt, animos hominum flecti ad moderationem. 6. Quemadmodum denique *Tigrides* licèt ſint ſæviſſimæ, *tamen poſſunt manſuefieri: ita Turcæ,* ſi modò rectè inſtituantur, reddi ſolent humaniſſimi.

Porrò illud, *quod de difficultate capiendi fœtus Tigridis dictum eſt, Eraſmus Roterodamus accommodat ad avaros* & uſurarios hoc modo: *Qui rapit fœtus Tigridis, bene ſecum agi putat,* ſi aliquos accipiat: *Sic qui alienam invadit poſſeſſionem,* etiamſi cogatur reddere, lucrum facit, ſi vel portionem aliquam retineat. Poſſunt etiam Studioſi Tigridis proprietates accommodare aliis rebus, ſicut Tigrides pinguntur juxta Bacchum, quod ebrioſi reddantur ferociores.

CAPUT X.
DE ALCE.

ALCE animal eſt *præcipuè Septentrionale, ita ut magnus numerus talium reperiatur in ſylvis Boruſſiæ,* ſicut etiam in Illyria. Ariſtoteles de

hoc nihil habet, ſicut nec Plinius, nec figuram, vel naturam ejus deſcribit, ſed tantum ponit nomen. 2.
112 *Altius & majus eſt cervo*, addo etiam hirſutius, & habet fermè ſimilem pilum vel potius aſininum, ut colligit rectè Scaliger, unde Helvetii nominant ſylveſtrem Aſinum; alii equicervum, & eſt ei ſimilis Machlis beſtia velociſſima in Moſcovia. Hujus etiam fecit mentionem Julius Cæſar in Commentario de bello Gallico lib. 6. *ubi deſcribit ſylvam Herciniam, quam ait ſeſe longiſſimè extendere verſus Septentrionem, & in ea reperiri Alcen & Machlin.* 3. *Simile eſt capris*, quoad externam figuram & pellem, ſed tamen quia tota penè forma eſt cervi, & ipſum animal eſt altius equis, equicervus videri poſſet. 4. *Frontis ipſius latitudo eſt magna* intendens ſeſe ad duos palmos. 5. *Labra ſuperiora habet grandia.* 6. *Crura habet aut ſine nodis aut ſine nimis mobilibus articulis.* 7. *Cornua habet, ſed magis porrecta in tergum*, in primo egreſſu valdè exilia & rotunda, ſed in receſſu valdè lata, ex quibus fiunt globuli, cochlearia, & ſellæ. 8. *Ungulis pedum hujus animalis ſingularis quædam vis divinitus eſt inſita*, quia medentur paroxiſmis Epilepticis infantulorum, unde magno precio emuntur, & auro & argento includuntur. Agyrtæ pro iis vendunt ungulas boum, ſed facilis
113 differentia, quia ungulæ boum raſæ fœtent. 9. *Vocem edit ut ipſe ex animali audivi, admodum flebilem & miſerabilem*, adeò, ut ſi non conſpiceretur, exiſtimaretur eſſe infans. Et hinc invenit nomen & dicitur apud Germanos Elend/ id eſt, miſerum. 10. *Cicurari ſolet ad uſum equitandi*, & jungi vehiculis, an den Schlitten/ Tanta eſt autem celeritas, ut uno die

die plus conficiat, quàm eqvus fermè tridui ſpacio, imprimis ſuper glaciem, imprimis apud Sarmatas, ubi plus conficit uno die, quam aliis diebus multis ſuper ipſam terram. II. *In paſcendo ſemper retrocedit*, ne ſi in priora tenderet & ſemper intentum eſſet paſcuis, inſidiis circumveniretur.

Hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus animalis, *quarum pleraque poſſunt applicari ad Chriſtianos.* 1. *Quemadmodum enim Alce crura habet ſine nodis* & ſine articulis, & ita cum prociderunt, non poſſunt facilè exurgere: *ita Chriſtiani ſunt alieni à dolis*, & in hac vita non habent ſplendidas ſedes, non ſunt armati externa potentia, & cum incidunt in periculum, ſeipſos nequeunt liberare. 2. Item *Quemadmodum hæc animalia in paſcendo retrocedunt*, ne in priora tendentia involvantur: *Ita Chriſtiani maximopere cavent*, ne rerum terrenarum curis irretiantur. 3. Item *ſicut celerius hæc animalia currunt* 114
ſuper glaciem, quam ſuper terram: *ita quoque Eccleſia plus proficit* & magis creſcit ſub ærumnis quàm alio tempore. 4. Item *ſicut Alce flebilem habet vocem*: *Ita quoque ſtatus Eccleſiæ* plerumque eſt flebilis, 5. *Sicut autem ungula pedum hujus animalis medetur epilepſiæ: ita quoque converſationes cum Chriſtianis medentur omnis generis vitiis* tanquam morbis animi. Plura poſſunt inſtitui capita collationum pro lubitu cujusque. *In genere etiam ad conſiliarios & negotiatores & omnes homines* in ſingulis functionibus hæ proprietates non ineptè applicabuntur, *ut ſcilicet ſinguli in paſcendo ſint prudentes, in curſibus veloces, conſilia ſua celent.* Magna enim virtus eſt reperire bonum conſilium, delibe-

rata citò perſequi, quia in nulla re prodeſt mora,niſi in ira, denique ſilentio premere arcana cordis ſui.

CAPUT XI.

DE MONOCEROTE ET RHINOCEROTE.

INitiò duo ſunt expedienda: *Utrum in rerum natura ſit Unicornis.* 2. *Utrum Monoceros & Rhinoceros ſint unum & idem.* *Quod ad primum at-*
115 *tinet, doctiſſimi aliqui viri negarunt* eſſe in rerum natura Unicornem, quem putarunt aſinum Indicum eſſe, ſicut tales quoſdam aſinos Indicos & uno cornu præditos reperiri teſtantur probati autores. *Verùm cum Sacra Scriptura eruditas imagines pasſim ex natura Monocerotis ſumptas uſurpet*, & tum ad pios,tum ad impios, tum ad ipſum Chriſtum accommodet cum ſingulari doctrina & conſolatione, neceſſe eſt in rerum natura eſſe unicornu. *Huc accedit*, quod graviſſimus Author *Julius Cæſar Scaliger* in ſuis exercitationibus contra Cardanum citat *teſtimonium amici ſui cujusdam, qui vidit Unicornem.* *Ad ſecundum* quod attinet, apud Hebræos eſt vocabulum Rheem רְאֵם quod ſignificat Unicornem & ſimul Rhinocerotem, ſicut & alterum Rum רום utrumque ſimul denotat.

Hinc factum eſt, *quod multi* Monocerotem & Rhinocerotem *pro uno & eodem animali acceperunt.* *Verùm Julius Cæſar Scaliger* in Exercitationibus tùm proprio

proprio ſuo tùm amici ſui fide digni teſtimonio confirmat, *aliud eſſe Monocerotem, aliud Rhinocerotem;* Et quidem *Monocerotem habere unum cornu in media fronte, ſed Rhinocerotem habere geminum cornu,* unum in fronte puſillum, alterum in nare robuſtiſſimum, à quo ſecundo etiam nomen ſuum accepit. Cum verò in lingva ſancta idem animal unum habet 116
nomen, libuit uno capite explicare utrumque, ut utriusque proprietates conjunctim applicare illis rebus ab ipſa Scriptura applicatas. *Monoceros ſeu unicornis eſt animal magnitudine equi,* & quidem reliquo corpore valdè ſimile equo, *habens barbam hircinam, caput cervi, cervicem jubatam, pedes Elephanti, caudam ſuis, unum cornu nigrum media fronte duorum cubitorum magnitudine;* ſed *Rhinoceros* etiam eſt grande animal, & fermè *tàm altum, quam longum, ſed brevia crura habens & duo cornua, ut dictum,* imprimis in nare. Propter magnitudinem vel altitudinem utrumque habet idem nomen ab Hebraico themate *Ram,* quod ſignificat altus fuit, ſubblimis fuit, exaltatus eſt, &c. Porrò *Rhinocerotis cornu admodum eſt durum,* & ab ipſo vehementer acuitur, & limatur ad ſaxa, quoties ſeſe præparat ad certamen. *Naturale* enim *eſt odium inter Elephantum & Rhinocerotem,* ita ut invicem certent, & quidem in ipſa pugna Rhinoceros unicè dat operam, ut alvum Elephanti, tanquam partem molliorem petat, ſicut etiam tandem vincit Elephantum, contra quem ſuo cornu, quod in nari habet, audaciſſimè pugnat. *Tergum* 117
etiam habet ſcutulatum, & quaſi variis clypeis munitum, unde etiam æſtimari poteſt fortitudo hujus beſtiæ. *Hæc bellua* (Philippus Camerarius ex Jo-

vio in capite 25. lib. 1. ſuccif. inquit de Rhinocerote) *paulò humilior eſt Elephanto, ſi altitudinem ſpectes, ſed longitudine prope par, noſtratis bubali formam referens*: nam ungulas habet biſulcas, verum tergore buxei coloris, eòque ab impenetrabili duritie duplicato, tanquam perpetuo thorace protegitur, armaturque pedali oſſeo cornu ſupra nares eminente, quo ferire ſub utero atque transfodere Elephantum, peculiarem hoſtem ſuum ſolet, ſi tamen injectæ ad collum & ocyſſimè ſtrangulantis proboſcidis vim effugiat. Nam in congreſſu perpetuæ ſimultati aut parta victoria aut certè decora morte ſatisfacit. Hæc mera ἀντιπάθεια iſtarum belluarum apparuit, qvum Emmanuel Rex Portugalliæ Rhinocerotem Romam mittere conſtituiſſet, qui tamen in naufragio, cum eſſet compeditus, & ad miraculum usque natando evadere conatus fuiſſet, in Liguſtricis ſcopulis periit. Ferunt hanc Rhinocorotem (pergit ibidem Jovius) qvum ab Oceano Ulixponenſi in portu exponeretur, aſpectu atque odore ſuo Elephantum, qui tum
318 erat in regia, usque adeò truculenter terruiſſe, ut Elephas ipſo naturæ miraculo præcipuus hoſtis, concepto incredibili pavore ſeptum cornu ferreis ingentibus clathris permunitum, humerorum & capitis præcipiti impulſu perruperit, & in longam ſe proripiens fugam, terribilique barritu edito ſtridens & furens cuncta obvia proſtraverit.

Ad *Monocerotem* quod ſpectat, 1. *habet & ipſe cornu bicubitale, intus candidum & ſplendidum, ſed foris nigrum propter corticem, quo tegitur.* Hoc autem cornu non eſt cavum aut leve inſtar aliorum cornuum, nec planum & æquabile, ſed vel ferreâ limâ

aſpe-

aſperius, in multas ſpiras revolutum & in mucrone quovis telo acutius, ita ut quicquid petat, facilè ſuo ictu perterebret. 2. *Deinde utcunque ſævum hoc ſit animal,* tamen ſexum fœmineum veneratur; & ad fœminas accedit, & juxta eas in ſomnum reſolvitur, & ita delapſum ſæpè capitur, & ligatur, donec tandem cornu ejus reſecetur, Juvenem igitur robuſtum veſtibus virginis induunt, & aromatibus conſpergunt & conſtituunt in vicino aliquo loco, unde odor cum aëre perveniat in nares beſtiæ. Interim ergo dum ipſi venatores occultantur, accedit beſtia ad juvenem, qui odoratis & amplis manicis oculos ipſius tegit, ut venatoribus liceat accurrere. 119

3. *Robore corporis Monoceros eſt propemodum inexpugnabilis, & maximè valet pedum celeritate,* & tanta in eo eſt ferocia, ut deſertiſſimas regiones, & montes altiſſimos incolat, & ſicut Job. 39, 12. monet: *nullis vel vinculis vel beneficiis aut arte cicurari poſſit,* cum tamen Leones, & Tigrides, & Pardi cicurentur.

4. *Cornu Monocerotis eximiam ac ſingularem habet vim, & facultatem reſiſtendi venenis.* Imò aqua etiamſi veneno quodam corrupta, ſi hoc cornu attingatur, ſalutaris dicitur fieri. Et olim divites & Principes ex hoc cornu pocula conficere, aut certè partem aliquam poculis inſerere ſolebant, & nunc quoque plerique Medici ejus uſum in medicamentis mirificè commendant. *Hactenus recitata eſt præcipua ſumma deſcriptionis, quæ de Monocerote & Rhinocerote traditur: nunc imagines breviter ſunt addendæ.*

I. Et quidem Nazianzenus oratione 13. habita

poſt reditum, *Monoceroti* comparat *Philoſophum*.
1. Quemadmodum enim *Monoceros amat ſolitudi-*
nes: ita quoque ſtudiis literarum tractandis conſe-
120 *crati unicè exoptant gratos ſeceſſus.* 2. Et quem-
admodum Monoceros *altiſſimos montes amat: ita*
quoque Philoſophi debent deſpicere res terrenas. 3.
Et *ſicut* Monoceros *gaudet libertate,* neque poteſt
duci ſub præ ſepe: *ita quoque Philoſophus* non de-
bet eſſe ſervum pecus, habitare in alterius cerebro,
& in aliorum gratiam recipere & mutare ſententias.

II. Nemini ignota eſt imago illa, quæ in Pſalm.
22, 22. extat, *ubi Chriſtus hoſtibus ſæviſſimis undiq;*
cinctus flebiles querelas inſtituit de ipſorum ferocia,
eosque Leonibus & Unicornibus comparat. Sic
enim inquit: *Salva me Domine ex ore Leonis, & à*
cornibus Unicornium humilitatem meam. Hac ima-
gine principaliter *ob oculos proponitur ferocia &*
crudelitas illorum, qui crucifixerunt Chriſtum. Ve-
rùm aptisſimè poteſt accommodari ad omnes hoſtes
Evangelii, qui confiſi ſuæ potentiæ & robori, crude-
liſſimè perſeqvuntur Eccleſiam. 1. *Sicut* igitur U-
nicornis eſt *animal ſæviſſimum: ita hoſtes Chriſti*
ſunt ferociſſimi. 2. Et *ſicut* hoc animal eſt *robu-*
ſtiſſimum: ita quoque hoſtium potentia longè ſuperat
potentiam Eccleſiæ. 3. Et *ſicut* Monoceros non
patitur ſeſe facilè vivum capi, neque etiam poteſt
manſuefieri, ſicut ex capite 39. Jobi conſtat: *ita ho-*
121 *ſtes nullis* neque divinis neque humanis beneficiis
placari & mitigari atque converti volunt. 4. Et
ſicut Monoceros *in ſolitudinibus degit,* & fugit com-
mercia reliquorum animalium: *ita quoque hoſtes*
ad

ad Eccleſiæ ſocietatem ſeſe adduci non patiuntur, ſed ſummo odio Dei & Eccleſiæ graſſantur adverſus Chriſtum, & adverſus membra Chriſti.

III. In aliis locis *Eccleſia & Politica & Judaica comparatur cum Unicornibus.* Nam Num. 23, 22. ſic dicitur: *Deus eduxit illum de Ægypto, cujus fortitudo ſimilis eſt Rhinocerotis.* Et hæc ipſa verba repetuntur Num. 24, 8. Item Deut. 33, 17. *familia Joſeph comparatur cum cornibus Rhinocerotis.* Et Pſal. 75, 69. Item 92. *petit & optat exaltari ſuum regnum, ſicut cornu unicornium.* In genere tamen poteſt hæc eſſe *imago Eccleſiæ* piorum & regnorum ſanctorum, quæ unquam fuerunt, aut futura ſunt. Abſque dubio autem *cornu* ſignificat *potentiam* & fortitudinem, item *defenſionem* & præcipuum decus, item *veram Dei agnitionem, fidem,* invocationem, præſentiam & auxilium Dei. 1. Quemadmodum igitur *unicornis inſigne habet cornu,* quo ſe poteſt defendere adverſus omnes inſidias & injurias: *ita quoque Eccleſiæ ſalus & decus conſiſtit in agnitione Dei,* invocatione, præſentia Filii Dei. 2. Et quemadmodum 122 *cornu unicornis reſiſtit venenis: Ita quoque agnitio* & invocatio Dei reſiſtit omnibus vitiis. 3. Sicut autem *unicornem venatores inprimis propter cornu inſectantur: ita certum eſt, Eccleſiam in hac vita pati afflictiones,* odia & mortem propter cornu ſuum, hoc eſt, propter veram agnitionem & invocationem Dei. 4. Verùm ſicut *unicornis non patitur ſe facilè capi vivum,* neque eripi ſibi ſuum cornu: *ita Eccleſia ſummam debet adhibere conſtantiam* inter ipſa pericula & certamina, ne amittat ſuum cornu, hoc eſt, agnitionem & invocationem veram. Hæc capita colla-

collationum uberius poterunt tractari, & addi poteſt narratio, quæ extat in quadam oratione lib. 3. Declam. Philippi, *ubi dicit, ſe vidiſſe picturam Eccleſiæ ſub imagine unicornis ſtantis, ubi tantum dimidio appareret; mox verò toto corpore conſpiceretur, circa quem fuerunt variæ beſtiarum formæ, Pardi, Elephanti, obſtrepentes Unicorni, qui tamen intrepidus & rectus conſiſtit inter reliquas ſæviſſimas beſtias.* Additur igitur ibi, ſic Eccleſiam interdum eſſe illuſtriorem, interdum obſcuriorem, & ſemper habere hoſtes in hoc mundo, quos tamen omnes vincit.

Obiter & hoc notetur, *regna terrarum appellari in*
123 *genere cornua. Sicut enim cornu* non eſt aliqua utilis pars corporis, *ſed pro defenſione corporis data: Ita niſi regna* defendant corpus Eccleſiæ, nihil aliud ſunt niſi excrementitia cornua.

IV. Etiam *ipſe Chriſtus vel regnum ejus jucundisſimè comparabitur cum cornu unicornis.* Licet enim expreſsè non habeatur in textu Biblico; quia tamen Bileam in Numeris benedicturus Iſraeli ſimilitudinem capit ab Unicorne, & Iſrael icgrediens in Ægypto, fuit imago Chriſti exulantis in Ægypto indeque revocati, non ineptè collationes inſtituere poſſumus. 1. Quemadmodum igitur Unicornis eſt *animal fortitudinis inexpugnabilis, & in capite cornu habet firmiſſimum: Ita quoque regnum Chriſti* eſt invictum etiam contra portas inferorum. 2. Et *ſicut Unicornis ſuo cornu reliqua animalia exosſat* & proſternit; *ita hoc cornu Chriſti* comminuit omnia alia cornua Diaboli, Tyrannorum & hæreticorum. 3. *Sicut* etiam cornu Unicornis eſt *præſtantiſſimum remedium contra omnis generis venena: Ita*
quoq;

quoque regnum Chriſti eſt cornu ſalutis, ut Zacharias nominat, in quo peccatum deſtruitur, mors aboletur, & vita ac juſtitia credentibus reſtituitur. 4. Præ- 124
terea *ſicut Unicornis ſexui fœmineo tanquam imbecilli parcit: ita Chriſtus* contritos corde amat & juvat. 5. *Sicut* autem Unicornis *tùm venatores, tùm beſtias*, ſibi inſidiantes acerrimè *perſequitur: Ita quoque Chriſtus* ſuo cornu, quod eſt perjucundiſſimum & tantùm accommodatum ad ſalutem, hoſtes ſuos, qui ſeſe Evangelio opponunt, ita acerrimè perſequitur, ut in omni æternitate nihil experiantur, niſi implacabilem ejus vindictam & inenarrabiles cruciatus, & hac ratione cogantur fateri, non vanas fuiſſe comminationes: oſculamini Filium, ne ſuccenſeat, &c. Coronidis loco etiam illud obſervetur, quod Eraſmus Roterodamus in libro de ſimilibus unum ſimile proponit à Rhinocerote ſumtum: *Rhinoceros cornu gerit in naribus: ita quorundam ſales dentati ſunt & aculeati*. Sed de illis ſatis.

CAPUT. XII.
DE EQVO.

ANIMAL hoc Americani antea non viderant, ideoque putabant ante centum annos hominem inſidentem, & eqvum eſſe unum connatum & connexum individuum, illudque vehementer metuebant, ut poſſit hoc dici animal, quod vicit Indos. Quo enim equi pervenire non potuerunt, ibi 125
ſemper Hiſpani ab Indis ſunt victi. Nobis notiſſimum

mum eſt hoc animal, & ſimul excellens, & utiliſſimum, & primas tenet bellatorium, ſecundas itinerarium, tertias victorium. *Bellatorium* pulcherrimè deſcribitur Job. 39, 6. 23. 24. 25, 27. 28. ab ipſo Deo, his tragicis verbis: *Nunquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Nunquid ſuſcitabis eum quaſi locuſtas? gloria narium ejus terror. Terram ungula fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis: contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta & clypeus. Fervens & fremens ſorbet terram, nec reputat tubæ ſonare clangorem: ubi audierit buccinam, dicit,* Vah, *procul odoratur bellum, exhortationem ducum & ululatum exercitus.* Hæc Deus ipſe de equo tanquam generoſiſſimo quodam animali, ex quo Jobo ſuam manifeſtam reddit potentiam. Singulis autem ſeculis mundi homines, tùm extra, tùm intra Eccleſiam, multis in locis præ reliquis animalibus ſtudiosè aluerunt & amarunt equos, immò aliqui in hac parte limites juſtitiæ exceſſerunt. Salomon citra belli uſum, 1. Reg. 4, 26. & 10, 26. *aliquod millia habuit equorum,* nimirum collocata hinc inde in diverſis ſuis urbibus, contra expreſſum
126 mandatum, quod extat Deut. 16, 16. *ne Rex multiplicaret numerum equorum.* Fuerunt autem in Ægypto ſemper præſtantiſſimi equi, unde ne haberent Judæi occaſionem converſandi cum Ægyptiis, & diſcendi mores antiquos, prohibere voluit Deus Regibus multiplicationem equorum, adverſus quod mandatum Salomon nominatim ex Ægypto equorum agmina procuravit, 1. Reg. 10, 29. Apud *Perſas* olim ſepeliebantur cadavera equorum, & Cimon Athenienſis

nienſis ſepeliit ſuas equas, juxta ſuum proprium ſepulchrum. *Julius Cæſar* marmoream effigiem in templo ſuo equo collocavit. *Antonius Verus* ſuo aureum ſimulacrum extruxit. *Poppea Sabina*, uxor *Neronis*, ſuis equis aureos calceos parabat, *Glaucus* (in lib. 3. Georg.) *Potnicus* ſuis equis humanam carnem apponebat. *Nero* ſuum eqvum ſtolâ ſenatoriâ ornabat, & ſingulis ſeptimanis certum ſtipendium ei annumerabat. *Caligula* ſuum ſolebat invitare ad cœnam, porrigere aurea pocula, & volebat ipſum facere conſulem, ſicut etiam tandem præter omne fas ſeipſum fecit ſacerdotem, & eqvum ſuum Collegam ſuum. *Theophilactus* quidam Patriarcha Conſtantinopolitanus ultra bis mille ſemper aluit, quibus 127
quotidie apponebat non fœnum aut hordeum, ſed aromata, vinum, uvas paſſas, caricas, palmulas, &c. Et cum ipſe die cœnæ Dominicæ ſacra faceret, atque accurrentem videret miniſtrum, nunciantem equam quandam peperiſſe, relictis vel intermiſſis ſacris exiit præ lætitia, viſurus eqvum, & poſtea primum rediit, ut abſolveret cœpta ſacra. *Alexander Magnus* in honorem ſui Bucephali magnam extruxit urbem. Sic ſingulis ætatibus mundi maximæ fuerunt ineptiæ ſummorum Principum in cura hujus animalis. Apud Homerum in Iliad. *θ. uxor. Hectoris* prius apponit cibum & vinum equo, quam marito. *Commodus Imperator* ſuum eqvum ſepelivit in Vaticano, & Agrigentini ſuis equis ſolebant erigere Pyramides. Equis nomina propria impoſita à Dominis, plurima leguntur apud Conradum Geſnerum de Equo, ubi ſecundum ordinem Alphabeti recenſentur. Sed valdè magnus poſſet inſtitui Catalogus talium exemplorum,

plorum, & Centauri inter alia pinguntur dimidia parte hominis, & dimidia parte equi, quod nihil adeò curarent niſi equos. Sed his relictis, redeundum eſt ad naturam equorum explicandam, cujus præcipuam partem complectuntur verba Dei recitata ex Job.

128 I. *Eqvus animal eſt admodum docile, & intelligens,* & imprimis iſti equi, qui ex inſulis Gothici maris, Selandia, valdè parvi, ſed tamen robuſti adducuntur, de variis & mirabilibus poſſunt doceri, ita ut diligentiſſimè obſervent nutum agyrtæ. Idem ſcribit de eqvuleis circulatorum Philip. Camer. in ſucc. cap. 24. lib. 1. *Non norunt adulteros vel ebrioſos, ſed jocantem & annuentem agyrtam obſervant,* & ad ejus ſubtiles nutus conſiſtunt alicubi: Etſi & illi & alii aſſueſiunt, ut ambulent duobus pedibus, ſedeant in clunibus, pedibus prioribus excipiant cibum ex patera, ſuſtentent pelvim cruribus, annuant ſuis ciliis, oculis annuant, caput vertant in dorſum, tranſiliant per circulos anguſtos ferreos, vel ligneos, veſcantur piſcibus, flectant genua, & procumbant in terram, ut Dominus poſſit facilius aſcendere, procidant & revereantur geſtibus quibusdam Reges & alios, qualem ſe vidiſſe, ſcribit Cuſpinianus, & Pauſanias de alio refert, qui in certamine Olympico quoties vincebat, ibi accurrebat ad præfectos ludorum, intelligens ſcilicet ſe jam viciſſe. Docentur foſſas tranſilire, ſuperare valla, in collem erumpere, de colle deſi-
129 lire, in obliqvum ſeſe ſæpius agitare. Præterea nomina ſua propria intelligunt equi, de quibus jam dictum eſt, & inebriantur vino aut ſimili genere potus.

2. *Verè Martius, bellicoſuus & ferox eſt eqvus, generoſa fortitudine præditus.* Atque quò eſt genero-

neroſior, eò magis ſolet maxillas huc illuc distorquere, ἄζρωτον ἐδωδὴν μαλθάσσειν, & ſpumam ore emittere, quia jactatio membrorum ſecundùm Ariſtotelem & ſignum fortitudinis & roboris in membris, ſicut etiam vehementia & calor ſpumam excitant. Rectè ergò Virgilius:

Stat ſonipes, & frena ferox ſpumantia mandit.

Apud Guicciardinum lib. 2. *in pugna Gallorum & Italorum fermè tam acriter pugnant equi atque homines calcitrando, mordendo, ſaliendo & toto corpore.* Immò ſicut ex verbis ipſis Dei colligitur, in bello jubas erigit, fremit & hinnit, inflat nares, terram ungulis fodit, vix contineri poteſt, ſorbet terram naribus, agnoſcit hoſtem, imò etiam agnoſcit vocem equorum adverſæ partis, & in adverſarium cum impetu irruit, non cedit gladio, & per medias turmas exultat, neque terretur tubis adverſæ partis ſonantibus, pharetris & haſtis vibratis & fulgentibus clypeis, quia 130
antea aſſueſit, ad ſonantia æra, imponuntur cadavera inter fœnum, &c. Gloriâ etiam ducitur, quia victor exultat, ſed victus dolet, præſertim in juventa, quia in ſenectute nonnihil deferveſcit ille ardor. Utut autem aliquo modo fervor generoſus remittat: tamen non per omnia mutatur, unde rectè dictum eſt à SOPHOCLE IN ELECTRA: Generoſus eqvus licet conſenuerit, tamen nunquam abjicit animum in periculis, ſed ſtat erectis auribus. De equo Mezentii pulchra leguntur apud Virgil. lib. 10. *Flet pallantis eqvus* apud eundem lib. 11.

3. *Sicut alia natura generoſa fiunt inſolentes, ita imprimis eqvus ſuperbit,* præſertim quando optimis

tegumentis & phaleris ornatur. Tunc enim quaſi furoris quodam afflatu ad iter incenditur, aures erigit, naribus inflatis celerem feſtinationem anhelat, unde rectè dictum eſt à Virgilio in 3. Georg.

Frena Pelethronii Lapithæ gyroſq; dedere,
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis.

Bucephalus nudus, hoc eſt, non inſtratus regiis or-
namentis etiam equiſonem recipiebat, ſed regiis pha-
leris ornatus neminem niſi ipſum Dominum, Alex-
31 andrum ferebat. Id etiam fecit eqvus Julii Cæſaris,
qui priores pedes habebat admodum pulchros, unde
humanis ſimiles dicebantur. Id accommodat *Eraſmus* ad illos, qui pauperculi quosvis admittunt ad colloquia, ſed ditiores facti deſpiciunt miſeros.

4. *Muſica inſtrumenta, & cantica vehementer movent eqvum, & interdum lacrymas ipſi exprimunt.* Auditâ enim tubâ præter modum exultat, terret hoſtes, non pavet, pergit armatis in occurſum, fervet, & irritatur, præſertim cum etiam freni crepitum, ſtrata & cætera ornamenta videt. Sybaritæ apud Plinium equos ſuos docebant ſaltare in conviviis ad tibiæ ſonum, cum igitur Crotoniatæ contra ipſos pugnarent, optimis tibiis ſunt uſi, quibus equos hoſtium ad ſe pelliciebant, ita ut exilirent, & proprios dominos deferrent in caſtra hoſtium. Apud Ælianum dicitur de Myſis, quod quaſi hymenæum cantans quidam ſuavi Muſica coëuntes equos demulceat, ut pulchrior proles ſequatur.

5. *Libidinis ſtimulis & furtis maceratur & eqvus & equa,* poſt hominem enim nullum eſt animal ſalacius, atque eqvus. Ferociunt autem ipſi in Venere, mor-

mordent reliquos equos, ſternunt equitem, & inſe- 132
qvuntur ipſum. Libidinorioſos tamen ſunt equæ, quæ tempore Veneris conſpecta forma ſua in aquis fermè in rabiem aguntur. Fabuloſum eſt, quod aliqui referunt de Portugallia, ſi deſit ibi maſculus, quod equæ ſibi Venerem fingant, & in magna impotentia convertantur ad ventum & hauſto vento concipiant, tandemque pariant, & quod partus non ſit durabilis, ſicut ova gallinæ ventoſa ſeu ſic dicta ὑπηνέμια non ſunt fœcunda, id eſt, apta excludendis pullis. De hac re legant quædam Studioſi in 3. Georg. Similis fabula fuit ſparſa de tigride concipiente ex vento, ut & de aliis quibusdam animalibus. Tanta audem eſt in equis libido, quam etiam olfactu & ſtrepitu narium produnt, ut etiam cum matribus & filiabus coëant. Ariſtoteles tamen lib. 9. de hiſt. animal. cap. 47. *refert de equo Regis Scytharum, qui cogebatur coire cum matre tecta ornamentis, ſed cum tandem agnoſceret matrem, aufugit & dedit ſeſe præcipitem.* Ex libidine equi Darius factus eſt Rex. Herodotus enim lib. 3. refert, poſt mortuum Cambyſem ita conveniſſe inter magos, ut ſequenti die ſeptem ipſorum equis ſuis veherentur in ſuburbium, & ut ille Rex fieret, cujus eqvus primùm hinniret. No- 133
cte præcedente famulus Darii equam præſtantiſſimam eduxit & alligavit cuidam loco, & poſtea cum ipſa commiſit eqvum Darii. Sequenti igitur die eqvus Darii perveniens ad locum iſtum, vehementer hinnit, & ita ipſe imperium eſt conſecutus.

6. *Paritura equæ ſeſe erigunt, & ſtantes enituntur*, id quod reliquæ beſtiæ non faciunt. Magna autem eſt charitas in hoc animali erga ſuos pullos, ita

ut mater macreſcat deſiderio abſentium, & extincta matre reliquæ equæ orphanum educent.

7. *Edito partu non ſtatim ad coitum redit* generoſa equa, ſed aliquo intermiſſo tempore.

8. *Natura ſua non eſt ſtabile hoc animal, ſed mobile, mutabile, procax,* non amans ſocietatis, niſi tempore coitus, ibi enim ſocietate magis gaudet quàm aliàs, neque unquam ſibi conſtituit ducem, ſicut boves & alia animalia faciunt.

9. Ut bos montanus, *ita delectatur eqvus planitie,* in qua etiam multum valet in bellis, minimè in foſſa. Campanus apud Livium hoſtem jubet in cavam viam deſcendere. Et quando pediti res eſt cum equite, pedes fugit campeſtria, & ſectatur loca impeditiora. Item balneum & lotiones amat, turbat autem
134 aquam, cum vult bibere, contra quam faciunt boves, qui delectantur limpidâ aquâ. Videtur hoc facere propter umbram ſuam viſam, Bucephalus ſub initium adductus ad Philippum ferociebat, acceſſit Alexander adoleſcentulus, eumque convertit ad ſolem, quia videbat eum accedentium umbras metuere, continuò emolliebatur eqvus non ſine admiratione patris. Alioquin opera danda eſt curatoribus, ut purè veſcatur & bibat. Non ferendæ ſunt aves domeſticæ & altiles juxta equos, quia pinnulas ejiciunt, & ſtercora, quibus inter cibum aſſumtis eqvus grandes morbos ſibi comparat.

10. *Eqvus & ovis tot & tàm variis morbis affligitur, atque homo ipſe,* inprimis verò laborant podagra equi gregales, ſed domeſtici morbo iliaco, ſpaſmis, dolore cordis, mox de ſuo loco recedit veſica & difficillimè emittunt urinam, (quod alioquin facillimè faciunt,

faciunt, cum ſuperinducuntur loco, in quo jacent ſtercora ovilla) Item abortire perhibentur, quando ſentiunt odorem fungi fumigantis de lucerna extincta, quod & nonnullis mulieribus ſolet accidere. Aliqui igitur ſuadent, ſingulis annis ſemel purgandos equos medicamento aliquo uſitato. Sicut homini, ita quoque equino generi inimica ſuilla omnia, grun- 135
nitus, fœtor, halitus. Sicut item homo, ita eqvus apertè caneſcit in ſenecta, inquit Ariſtoteles.

II. *Valdè laborioſum eſt hoc animal, præſertim cum accedit robur ex bono pabulo, & ex aliis cauſſis.* Refert Jovius lib. 4. Hiſtoriar. *Veteres Germanos fuiſſe riſos ab Italis, quod eqvis ſuis praſcinderent caudas.* Germanos tamen ipſe laudat & appellat probatum morem, quòd hac ratione pinguiores reddantur & fortiores. Quicquid enim cedebat in prolongationem caudæ, illud poſtea vertitur in uſum virium corporis. Sed audiatur Philip. Camerarius lib. 1, Succiſ. cap. 36. ſic enim ibi ſcribit: *In bello, quod geſſit Maximilianus I. contra Venetos, Germanis pleriſque equis jubæ detonſa & cauda mutilata erant, quod noſtris hominibus perſuaſum eſſet, equos hac mutilatione alacriores & ſpinam dorſi robuſtiorem fieri. Sic legimus apud Paulum Venetum Carariamitas Tartaros equis ſuis, quos habent præſtantisſimos, auferre ſolere de oſſe caudæ nodos duos vel tres, ne equus ſeſſorem caudâ feriat, & ne caudam nunc huc nunc illuc flectere posſit. Turpe enim hoc judicant.* Falſiſſimum igitur omninò eſt, equos privatos ſuis naturalibus flabellis & ornamentis fieri robuſtiores. 136
Varii coloris equos, quos Schecken vocant, & lingua Thracia Marones dictos putant, idem Cam. ex

 parente

parente ſuo cap. 23. refert, *ex miſtione temperata bona natura & humorum conſtitutos.* Quæ cum ita ſint, & equorum labores ſingulis regionibus proſint, ſingulis ſeculis graviter puniti ſunt, qui equorum carnes devorarent, id quod tamen adhuc hodie inter lautitias numeratur apud Tartaros, apud quos *inteſtina* equorum tantùm præcipuis viris dantur. 12. *Equi oderunt Urſos & Camelos, Elephantos & Santaractam,* quæ eſt ipſis venenum, *Herodot.* lib. 1. & 7. *recenſet exempla, quomodo equi fugerint Camelos.* 13. *Fideliſſimus homini eſt eqvus & canis, niſi rabies contrarium operetur.* Augetur amor ex præſtita ipſi benevolentia. Nunquam enim meliorem reddes eqvum, ſi magis defatigabis, ſed ſi in eum nunquam ſævies, obœdiet & ſequetur ad ea, quæ prius timebit, ſi tu præceſſeris & ea tanges, non ſi calcaribus urgebis. Et hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus animalis, &c.

Jam quod attinet ad imagines, quæ ab equorum naturâ ſumuntur, infinitæ poſſent recenſeri; imprimis etiam militum bonorum naturam repræſentant
137 & honeſtorum animorum. Valdè autem jucunda eſt illa, quæ exſtat apud Zachar. 1, 8. & ſeqq. his verbis de Chriſto & Apoſtolis atque de Miniſtris verbi, qui ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. *Vidi per noctem, & ecce, vir aſcendens ſuper eqvum ruffum, & ipſe ſtabat inter myrteta, quæ erant in profundo, & poſt eum equi ruffi varii & albi, & dixi: Quid ſunt iſti, Domine mi, & dixit ad me Angelus Domini, qui loquebatur in me, ego oſtendam tibi, quid ſint hæc. Et reſpondit vir, qui ſtabat inter myrteta, & dixit: Iſti ſunt, quos miſit Dominus, ut perambulent terram.*

Et

Et reſponderunt Angelo Domini, qui ſtabat inter myrteta, & dixerunt, perambulavimus terram, &c. Et cum his ipſis videntur congruere illa, quæ ſunt apud Prophetam Abacuc. 3, 8. *Qui aſcendis ſuper equos tuos & quadriga tua ſalvatio.* In his ergo Apoſtoli & omnes pii Miniſtri comparantur cum equis, in quorum medio eſt Filius Dei, qui equitat ſuper eos per totum mundum ad æternam ſalutem totius mundi. Poſſunt autem multa eſſe capita collationum, ſed pauciſſima dabimus. 1. *Quemadmodum* equi coguntur portare merces & viros in varias terras: *Ita Miniſtri Evangelii* exportant vocem & concionem Evangelii in orbem terrarum. 2. *Et quemadmodum equi non excurrunt ipſi ſponte in aliquam terram,* in quam vellent excurrere, ſed in quam dirigit 138
ipſos Dominus: *ita quoque Miniſtri ab ipſo Chriſto* ſpecialiter in oppida & pagos diſtribuuntur, & alius in hac, alius in alia Eccleſia jubetur prædicare Evangelium. 3. Et *quemadmodum equi ſubinde coguntur currere,* & populi quibus afferunt merces, domi quieſcunt: *ita quoque* ſemper pii Miniſtri pluribus ſunt expoſiti periculis, exiliis & aliis, quàm ipſi auditores. *Ita Chriſtus prædicans ſtabat in cymba mobili ſuper aquas, ſicut pluribus exiliis expoſiti ſunt quivis concionatores, interim verò auditores partim ſedebant, partim ſtabant tuti & immobiles in littore maris.* 4. Atqui quemadmodum *equi currentes* per oppida & per pagos, à nemine plus *infeſtantur quàm à canibus: ita Miniſtri verbi ab impuris & impœnitentibus* hominibus, non verò à piis & Deum amantibus traducuntur & infeſtantur. 5. Sed quemadmodum *equi non moventur latratibus canum: ita*

quoque Miniſtri calumnias & odia mundi debent deſpicere. 6. Quemadmodum item *equi amant balneum, & delectantur planis campis: ita imprimis* Miniſtri debent eſſe ſtudioſi ſanctæ vitæ, pœnitentiæ pro admiſſis peccatis, candoris, &c. 7. Quemadmodum
139 item *equi dociles ſunt, & erga hoſtes ſuos acerbi & laborioſi: ita quoque Miniſtri* quotidiè debent proficere in Religione, agnoſcere ſuos hoſtes & contra illos pugnare. 8. Sicut item *equi variis ſunt expoſiti morbis: ita plerumque Miniſtri verbi* variis calamitatum generibus & vitiis quoque ſunt obnoxii præ reliquis hominibus. 9. Sed ſicut Zach. 1, 8. 9. inter *equos propheticos medius ſtat Filius Dei: ita quoque* hac conſolatione ſeſe in media cruce erigant pii Miniſtri, quòd ſemper præſentem ſibi habeant Filium Dei. 10. Jam igitur *quemadmodum Bucephalus nullum alium voluit ferre,* niſi ipſum ſuum Dominum: *ita unice cavendum eſt piis Miniſtris,* ne fiant equi Satanæ.

Hæc omnia prolixè poſſunt amplificari & in ſpecie accommodari ad Apoſtolos & imprimis ad D. Paulum, qui peregrinatus eſt per aliquot millia milliaria Germanica, & ex Judæa portavit vocem Evangelii in Galatiam, Antiochiam, Cappadociam, &c. Neque ſuffecit ipſi ſemel in aliquo loco prædicare Evangelium, verùm ſæpius rediit, ut auditores confirmaret.

2. Joſ. 11, 9. & alibi ex mandato divino *ſubnervantur equi hoſtium, Cananæorum & aliorum.* Etſi autem abſque dubio præcipua cauſa hujus mandati
140 fuit, de reſervandis aſinis, ſubnervandis equis, ut diſcerent Judæi, omnem ſuam fiduciam collocare in ſolum

ſolum Deum, neque confiderent in fortitudine & potentia equorum: tamen pulcrum eſt, quod Patres paſſim hæc ipſa exponunt allegoricè: reſpicientes ſine dubio ad illud Pſal. 32, 8. *Nolite fieri ſicut eqvus & mulus.*

Eqvus enim, ut ex narratione ſuperiore conſtat, animal eſt valdè ferox, & amat bella, & eſt libidinoſum, ſuperbum indomitum. *Jubemur* igitur ſubnervare equos, hoc eſt, in nobis *extirpare illa vitia, contentiones, ſuperbiam, ferociam, libidines.* Et *Origenes* ſuper Exod. 15. *Omnes, qui ſunt in carne, comparat cum equis, quos dicit habere aſcenſorem ſeu equitem Diabolum, & amare planitiem Ægypti, hoc eſt, illecebras mundi, ſicut eqvus delectatur planitie campi.* Ita dicit, Judam initio fuiſſe eqvum Chriſti, & geſtaſſe Chriſtum, & benè prædicaſſe ipſum in Judæa, ſed tandem alium ſuſcepiſſe equitem, qui poſt devoratam buccellam panis ingrediebatur in ipſum, & aſcendebat ſuper dorſum ipſius, ipſumque per omnia regebat in extremam pernitiem ſalutis animæ. *Affert ibi plura exempla*, & monet, operam eſſe dandam, *ut quisque frenet ſuos affectus*, qui etiam ſunt indomitus eqvus, & ſæpè ruunt contra dictamen rectæ rationis, ſicut in verſu dicitur: 141

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Extant etiam apud Eraſmum ac alios paſſim multæ imagines particulares ſumtæ ab equis. 1. *Sicut* nullus eqvus ſeſſori rectè paret, niſi prius arte domitus: *Ita* nullum ingenium non eſt ferox, niſi præceptis cicuretur & educatione. 2. *Sicut* optimus &

moriger evadit eqvus, quando ſemper ei conceditur quies, poſtquam voluntati agitatoris obtemperavit: *Ita* optimi evadunt, quibus poſt ſeria conceduntur recreandi ſpacia & ludicra exercitia. 3. *Sicut* non faciunt eqvum meliorem aurei freni: *Ita* nec hominem bona terreſtria. 4. *Sicut* non imponimus generoſo ſarcinam aſininam: *Ita* nec indigna committantur generoſo viro. 5. *Sicut* eqvus calcaribus & ſervitiis nunquam fit melior: *Ita* pueruli in ſcholis plus bonis verbis quam plagis emendabuntur. Quod plagiarii, quorum magnus eſt numerus, benè notabunt. Hi enim ſæpenumerò etiam felicia ingenia ſuâ auſteritate perdunt, digni in quos publicè animadvertatur. Interim virgam Scholis permitti-
142 mus. 6. *Sicut* item eqvus ſtrigoſus imputatur rectori: *Ita* populus malè moratus Epiſcopis aut Principibus, 7. *Sicut* acer eqvus ſua ſponte facilè currit: *Ita* bonæ indolis homo non eget monitore. 8. *Sicut* equis non in ipſo curſu injicimus frenum, ſed ante curſum: *ita* qui ſunt propenſi ad iram aut libidinem, maturè ſeipſos debent refrenare. 9. *Sicut* qui equos rectè alunt, docent eos parere freno: *ſic* qui pueros rectè vult inſtituere, primùm aſſuefaciet, ut dicto ſint audientes. 10. *Sicut* item equi jam manſuefacti etiamſi auriga non utatur habenis, tamen ſua ſponte rectam decurrunt viam, vel umbram ſaltem virgæ metuunt: *ſic* affectus è ratione jampridem aſſuefacti ſemper rectè incedunt. 11. *Sicut* Alexander Bucephalum jam ſenem ab equis geſtandum curabat, ut integer ad pugnam veniret, & in acie inſtruenda cum daret imperia, moneret & inſpiceret milites,

nilites, ſuper alio obequitabat: *ita* ſeniorum Magiſtratuum operâ utendum eſt, ut interdum eis parcatur, quantum poteſt, & ipſorum uſus reſervetur ad majorem neceſſitatem. 12. *Equi ſolitarii* equitum poſſunt ingredi ſemitâ purâ, quâ homines viatores utuntur, ſed juncti magnis curribus coguntur relinquere ſemitam & per lutum, ſordes, aquas trahere opera: *ita* crede mihi benè qui latuit, benè vixit, in me- 143
diocri officio pagano, at qui amant altiora Academica officia, omnes ſentinas purgare coguntur. Denique 13, *ſicut* equi ſenes & ſegnes facti aut in piſtrinam detruduntur, aut ad carrum compelluntur: *ita* quamdiu aliquis eſt in precio & viribus integris, ab omnibus amatur, ſed poſtea negligitur. Plutarch. in libell. An ſeni adminiſtranda Reſp. Reſpondet NON, ne ſibi ipſi talem equi ſenectam accerſat nemine compellente. *Sophocles* in electra de Oreſte ad pædagogum ſenem, cujus auxilio & conſilio occidit Clytemneſtram & Ægiſthum (*Generoſus eqvus, licet conſenuerit, tamen nunquam abjicit animum, ſic tu quoque, & me incitas, & ipſe primo loco ades*) Veſpæ & crabrones perhibentur naſci ex exanimato corpore equi, ut ex cadavere bovis apes, quod aliter tamen accipiendum vix erit, quàm quod illud genus animalculorum gaudeat humorem ſuum genitalem, vel ovula ſua deponere in ejusmodi cadaveribus. Superius enim dictum eſt, vero plus conſentaneam eſſe ſententiam illam, quod omnia etiam minimorum minima prodeant ex mutua mixtione, unde producitur vix notabilis humor genitalis aut apex ovi, hoc eſt ovulum. Quæ in *Exodo & de Simſone leguntur*, præternaturalia ſunt, & forſan multis fabu- 144
lis

lis anſam per incogitantiam præbuerunt. *Sine dubio ſimile eſt inventum* hoc, quod olera erucis obnoxia negant, ſi equæ caput non virginis, in hortis ponatur, apud Plinium. *Nonnulli* hujus aut illius coloris equos felicius à ſe agitari putant, & ea de re quidam ſuperſtitioſi Aſtrologi non dubitant monere, & præcipere, inſpecto cujusque themate genitali. *Teutones* veteres in generoſo equo qualitates requirebant ternas trium rerum, lupi, vulpis, mulieris. *Lupi* oculos, voracitatem, validam cervicem; *vulpis* aures breves, caudam longam, greſſum lenem. *Mulieris* pectus, ſuperbiam, comam.

Alii generoſo equo *attribuerunt qualitates duas, leporis* velocitatem & agilitatem, *duas vulpis* bonorum oculorum & piloſæ caudæ, *duas lupi*, lenitatem greſſus & voracitatem, *duas aſini* coxas valentes & firmitatem pilorum, *duas mulieris* ſuperbiam & ſubjectionem. *Alii equi adeſſe voluerunt de lucio* piſce voracitatem & exiliendi facilitatem, *de anguilla* agilitatem & celeritatem, *de ſerpente* oculorum aciem & gyros, *de leone* amplum pectus & denſam jubam, *de*
145 *feli* nitorem & lenitatem gradus, &c. *Calliditatem equi oſtendunt* levitas, velocitas, audacia & vitæ longitudo. Requirunt autem vel deſiderant equi ſummam domini & ſervi ſedulitatem & largam ſatietatem. Cur qui equo vehuntur, quo longius eqvus decurrerit, eò magis emittere lachrymas ſoleant, docet. Ariſt. ſect. 5. Probl. 13. & 34. Eqvus Trojanus notiſſimus eſt, cujus inductione muros deſtructos fuiſſe & ita per patentiores muros, non cum equo, ſed in equo milites ingreſſos aliqui ſcribunt. *Joachimi*

Came-

Camerarii de equis ſcriptus liber paſtoribus in pago aliquo habitaturis, forſan non erit lectu inutilis. Sed ſatis de hoc utiliſſimo animali.

Caput XIII.

DE BOBUS.

BOS apud Græcos & Latinos comprehendit ſimul taurum & vaccam, & ſub ejus genere comprehenduntur *Bubali,* qui ſunt ſylveſtres boves, item *Bonaſi,* qui habent jubas, & cornua reflexa, ut ad pugnam ſint inutiles. Item *Viri,* qui ſunt ſummæ celeritatis & dorſum habent duriſſimum, reſpuens omnia vulnera. Item huc pertinent *vituli* ſic dicti, quod ad vitam hominis præ omnibus reliquis bobus ſunt lectiſſimi & aptiſſimi.

Eſt autem hoc *animal utiliſſimum,* quia adhibeba- 146
tur in pleriſque victimis, in cibo, in agricultura, quia eſt ſocius hominum in operibus ruſticis; miniſter Cereris, & pauperibus pro ſervo. *Item* olim in triturando, quia circumductus in area ſolebat granula extorquere ex culmis. *Item:* ſuo fimo pinguefacit terram, ex cute fiunt calcei, ex cornibus arcus, arma, fiſtulæ, pectines, utenſilia.

1. Hoc autem valdè eſt *animoſum animal,* ſed tamen non pervicax, verùm mite, & remiſſum.

2. *Valdè robuſtum eſt, habet carnem duram & ſiccam,* & concoctu difficilem, præſertim ſi boves ſunt veteres, quod Baptiſta Porta corrigi poſſe putat, ſi

prius

prius à canibus agitentur. Nam ex experientia conſtat, congreſſos cum urſis, & ita interfectos carnem habuiſſe adeò teneram, quæ etiam ore liqueſceret.

Craſſiorem autem habet ſangvinem hoc animal, qui citò coit & dureſcit, quia abundat fibris. Item quod hoc animal ſit robuſtum vel hinc patet, quia nunquam tuſſit, neque etiam unquam ructat, (Cur nunquam in concione concionator ipſe ſternutet, contraria eſt ratio, etiam indigitata apud Eccleſiaſten cap. ult. v. 12. Phyſicæ ſtudioſis excutienda.) Nam
147 multos habet ventres, in quibus cibus optimè concoquitur, & per ſe animal eſt calidum, unde non abundat pituita. *Lac etiam* ipſius cedit in incrementum corporis, unde minus ſolet præbere lactis, quàm oves & capræ.

3. *In libidine, & tempore coitus valdè eſt concitatum hoc animal,* & furens, ſicut omnia ſolent animalia in Venere furere. Extra libidinis tempus valdè eſt ſedatum & moderatum.

4. Sicut in libidine vehemens eſt & concitatum, *ita poſt coitum maximè caſtum & modeſtum.* Et quidem in Venere mas paſcitur cum fœminis, ſed poſt Venerem libentius converſatur cum tauris. Atque hoc faciunt pleraque animalia, *quemadmodum annotavit Ariſtoteles lib. 6. cap. 18.* de Hiſtoria animalium.

6. *Societatem vehementer amat, & pietatis eſt ſtudioſum,* quia bos alter inquirit alterum, cum quo aratrum trahere conſueverat. Nam cum frequenti mugitu teſtatur ſuum deſiderium, niſi citò reperiat ſocium. Nihil dicam de eo, quod gratum habet a-

animum

mum, dum ſcilicet novit ſuum Dominum, quemadmodum &c. Eſ. 1, 3.

6. *Amat etiam Muſicam*, & non bibit niſi claram npidam & frigidam aquam.

7. *Vehementer amat frondes, virgulta & nemo*ı, & in aliquibus locis retrò ambulans paſcitur. Por- 148
ı inter herbas, quas amant boves, ſolet deliteſcere ırvum quoddam animalculum, ſimile Scarabæo, *upreſtis*. Hoc igitur animal ſæpè à bobus incautis eglutitur, eosque pungit vehementer, adeò, ut ſæpè ıtereant. Nomen igitur accepit Bupreſtis à preıendo bove. Nulla autem re adeò pingueſcere diıntur boves atque abſtinentia à venere, item ex ſole : lotione calida, item ex frondibus ulmi, ervo, fabis. aptiſta ſuis dabat reliquias ſuorum ciborum, unde ıdeò pingveſcebant, ut vix incederent pro pinguedine.

8. *Vehementius laborat ſi ſollcitetur pruina, quàm ive*.

9. *Cornua juniorum tepefacta in cera inflectuntur, & quo volueris, facillimè ducuntur.* Imò non ſenunt dolores pedum boves, ſi cornua illinantur cerâ, iee, oleo.

10. *Quotannis mutat ſuum pilum*, ſicut eqvus.

Denique mirabile eſt, quod in præceptis ad Virgies non longè à fine *refert Nazianzenus, ſemina con:cta in agrum perire, ſi tangantur cornibus boum.* ujus rei cauſa phyſica ſufficiens non poteſt in meium afferri.

ETSI verò *& Sacra literæ, & profani* auctores 149
valdè multas mutuantur imagines ab hoc animali; tamen

tamen brevitatis gratia pauciſſimas libet commemorare.

Inter alias autem absque dubio ſibi vendicat locum, quod in Veteri Teſtamento paſſim *offerebantur in ſacrificiis boves, & tauri, & vaccæ, & vituli*, ſicut imprimis celebris eſt vacca ruffa. *Hæc* autem *ſacrificia fuerunt imago Filii Dei*, pro nobis oblati in ara crucis.

(1.) *Sicut igitur vitulo ante ſacrificium imponebantur manus*, quo ritu ſignificabatur, illam hoſtiam deſtinatam eſſe ad purificationem: *ita quoque* vox Patris cœlitus demiſſa Chriſtum deſtinavit victimam mundi.

Deinde (2) ſicut vitulus mactabatur *ante tabernaculum in conſpectu omnium*: *ita quoque* Filius Dei mactatus eſt ante Hieruſalem in publico.

(3) Et ſicut *vitulo detrahebatur pellis*, conſcindebantur membra: *ita etiam* Filius Dei denudatus fuit in ara crucis, paſſus verbera & haſtas.

(4) Sicut item *vitulus comburebatur*: *ita hæc victima* mundi occidebatur.

(5) Et ſicut *vituli ſangvis ſpargebatur ſuper cornua* altaris: *ita quoque ſangvis Filii Dei* per prædicatio-
150 nem Evangelii ſparſus eſt in univerſum mundum.

(6) Verùm *ſicuti bos vel vacca vel vitulus* olim apud magnates *dabatur loco muneris* ſponſalitii, *ſicut quidam* apud Homerum ſocero ſuo dat centum boves loco Arrhæ: *ita quoque* Filius Dei datus eſt in Arrham pro nobis, hoc eſt, propter fœdus inter Deum & homines initum poſt lapſum.

(7) *Sicut item bos eſt* ſervus ruſticorum: *ita quoque* Filius Dei factus eſt noſtrûm omnium ſervus, ſicut

ut Apoſtolis lavat pedes, ſuis verò pedibus emenſus
t maximam partem Palæſtinæ, ut ita opus redempti-
nis perficeret.

(8) *Sicut item bos* præſertim maſculus eſt animal
obuſtum & forte: *ita quoque* Filio Dei data fuit à
'atre potentia infinita.

(9) *Sicut etiam bos non eſt beſtia immunda*, neque
era, ſed munda & mitis: *ita nunquam* repertus eſt
n ore Filii Dei dolus, atque fuit ipſe omnium homi-
ıum mitiſſimus, invitans omnes ad ſe.

(10) Præterea *ſicut bos animal eſt ſimplex, non Martium*, non ſuperbum, non pronum ad luxum: *ita quoque & vita Chriſti aliena fuit à ſuperbia*, & con-
:iones ipſius omnes directæ fuerunt ad hoc, ut ſimus
ſtudioſi humilitatis.

(11) *Sicut* item in Tartaria *ſunt quidam boves, qui* 151
ſeſe inclinant more Camelorum, cum onera ſunt ſuſce-
pturi, *ita quoque* Filius Dei patienter in ſeſe recepit
crucem ſuam.

(12) Et *ſicut ex cadavere boum dicuntur naſci apes: ita* quoque per mortem Filii Dei infinita exami-
na hominum fuerunt converſa ad veram agnitionem
Dei, & ſic ex morte ſpirituali ſunt revocata in vitam.

(13) Denique *ſicut ſemina cornibus boum attrita pereunt: ita quoque homines* impii indignatione
Chriſti propter incredulitatem rejecti in æternum
peribunt.

De his valde copiosè poſſet dici explicatis cæteris
circumſtantiis ſacrificiorum, & imprimis de vacca ruf-
ſa, cujus color repræſentavit rubicundum colorem
ſangvinis Chriſti, de quo rectè dixit Bernhardus: *U-*

quoque Miniſtri calumnias & odia mundi debent deſpicere. 6. Quemadmodum item *equi amant balneum, & delectantur planis campis: ita imprimis* Miniſtri debent eſſe ſtudioſi ſanctæ vitæ, pœnitentiæ pro admiſſis peccatis, candoris, &c. 7. Quemadmodum
139 item *equi dociles ſunt, & erga hoſtes ſuos acerbi & laborioſi: ita quoque Miniſtri* quotidiè debent proficere in Religione, agnoſcere ſuos hoſtes & contra illos pugnare. 8. Sicut item *equi variis ſunt expoſiti morbis: ita plerumque Miniſtri verbi* variis calamitatum generibus & vitiis quoque ſunt obnoxii præ reliquis hominibus. 9. Sed ſicut Zach. 1, 8. 9. inter *equos propheticos medius ſtat Filius Dei: ita quoque* hac conſolatione ſeſe in media cruce erigant pii Miniſtri, quòd ſemper præſentem ſibi habeant Filium Dei. 10. Jam igitur *quemadmodum Bucephalus nullum alium voluit ferre,* niſi ipſum ſuum Dominum: *ita unice cavendum eſt piis Miniſtris,* ne fiant equi Satanæ.

Hæc omnia prolixè poſſunt amplificari & in ſpecie accommodari ad Apoſtolos & imprimis ad D. Paulum, qui peregrinatus eſt per aliquot millia milliaria Germanica, & ex Judæa portavit vocem Evangelii in Galatiam, Antiochiam, Cappadociam, &c. Neque ſuffecit ipſi ſemel in aliquo loco prædicare Evangelium, verùm ſæpius rediit, ut auditores confirmaret.

2. Joſ. 11, 9. & alibi ex mandato divino *ſubnervantur equi hoſtium, Cananæorum & aliorum.* Etſi autem absque dubio præcipua cauſa hujus mandati
140 fuit, de reſervandis aſinis, ſubnervandis equis, ut diſcerent Judæi, omnem ſuam fiduciam collocare in ſolum

ſolum Deum, neque confiderent in fortitudine & potentia equorum: tamen pulcrum eſt, quod Patres paſſim hæc ipſa exponunt allegoricè: reſpicientes ſine dubio ad illud Pſal. 32, 8. *Nolite fieri ſicut eqvus & mulus.*

Eqvus enim, ut ex narratione ſuperiore conſtat, animal eſt valdè ferox, & amat bella, & eſt libidinoſum, ſuperbum indomitum. *Jubemur* igitur ſubnervare equos, hoc eſt, in nobis *extirpare illa vitia, contentiones, ſuperbiam, ferociam, libidines.* Et *Origenes* ſuper Exod. 15. *Omnes, qui ſunt in carne, comparat cum equis, quos dicit habere aſcenſorem ſeu equitem Diabolum, & amare planitiem Ægypti, hoc eſt, illecebras mundi, ſicut eqvus delectatur planitie campi.* Ita dicit, Judam initio fuiſſe eqvum Chriſti, & geſtaſſe Chriſtum, & benè prædicaſſe ipſum in Judæa, ſed tandem alium ſuſcepiſſe equitem, qui poſt devoratam buccellam panis ingrediebatur in ipſum, & aſcendebat ſuper dorſum ipſius, ipſumque per omnia regebat in extremam pernitiem ſalutis animæ. *Affert ibi plura exempla*, & monet, operam eſſe dandam, *ut quisque frenet ſuos affectus,* qui etiam ſunt 141
indomitus eqvus, & ſæpè ruunt contra dictamen rectæ rationis, ſicut in verſu dicitur:

Fertur equis auriga, nec audit currus habenas.

Extant etiam apud Eraſmum ac alios paſſim multæ imagines particulares ſumtæ ab equis. 1. *Sicut* nullus eqvus ſeſſori rectè paret, niſi prius arte domitus: *Ita* nullum ingenium non eſt ferox, niſi præceptis cicuretur & educatione. 2. *Sicut* optimus &

moriger evadit eqvus, quando ſemper ei conceditur quies, poſtquam voluntati agitatoris obtemperavit: *Ita* optimi evadunt, quibus poſt ſeria conceduntur recreandi ſpacia & ludicra exercitia. 3. *Sicut* non faciunt eqvum meliorem aurei freni: *Ita* nec hominem bona terreſtria. 4. *Sicut* non imponimus generoſo ſarcinam aſininam: *Ita* nec indigna committantur generoſo viro. 5. *Sicut* eqvus calcaribus & ſervitiis nunquam fit melior: *Ita* pueruli in ſcholis plus bonis verbis quam plagis emendabuntur. Quod plagiarii, quorum magnus eſt numerus, benè notabunt. Hi enim ſæpenumerò etiam felicia ingenia ſuâ auſteritate perdunt, digni in quos publicè animadvertatur. Interim virgam Scholis permitti-
142 mus. 6. *Sicut* item eqvus ſtrigoſus imputatur rectori: *Ita* populus malè moratus Epiſcopis aut Principibus. 7. *Sicut* acer eqvus ſua ſponte facilè currit: *Ita* bonæ indolis homo non eget monitore. 8. *Sicut* equis non in ipſo curſu injicimus frenum, ſed ante curſum: *ita* qui ſunt propenſi ad iram aut libidinem, maturè ſeipſos debent refrenare. 9. *Sicut* qui equos rectè alunt, docent eos parere freno: *ſic* qui pueros rectè vult inſtituere, primùm aſſuefaciet, ut dicto ſint audientes. 10. *Sicut* item equi jam manſuefacti etiamſi auriga non utatur habenis, tamen ſua ſponte rectam decurrunt viam, vel umbram ſaltem virgæ metuunt: *ſic* affectus è ratione jampridem aſſuefacti ſemper rectè incedunt. 11. *Sicut* Alexander Bucephalum jam ſenem ab equis geſtandum curabat, ut integer ad pugnam veniret, & in acie inſtruenda cum daret imperia, moneret & inſpiceret milites,

milites, ſuper alio obequitabat: *ita* ſeniorum Magiſtratuum operâ utendum eſt, ut interdum eis parcatur, quantum poteſt, & ipſorum uſus reſervetur ad majorem neceſſitatem. 12. *Equi ſolitarii* equitum poſſunt ingredi ſemitâ purâ, quâ homines viatores utuntur, ſed juncti magnis curribus coguntur relinquere ſemitam & per lutum, ſordes, aquas trahere onera: *ita* crede mihi benè qui latuit, benè vixit, in me- 143
diocri officio pagano, at qui amant altiora Academica officia, omnes ſentinas purgare coguntur. Denique 13. *ſicut* equi ſenes & ſegnes facti aut in piſtrinam detruduntur, aut ad carrum compelluntur: *ita* quamdiu aliquis eſt in precio & viribus integris, ab omnibus amatur, ſed poſtea negligitur. Plutarch. in libell. An ſeni adminiſtranda Reſp. Reſpondet NON, ne ſibi ipſi talem equi ſenectam accerſat nemine compellente. *Sophocles* in electra de Oreſte ad pædagogum ſenem, cujus auxilio & conſilio occidit Clytemneſtram & Ægiſthum (*Generoſus eqvus, licet conſenuerit, tamen nunquam abjicit animum, ſic tu quoque, & me incitas, & ipſe primo loco ades*) Veſpæ & crabrones perhibentur naſci ex exanimato corpore equi, ut ex cadavere bovis apes, quod aliter tamen accipiendum vix erit, quàm quod illud genus animalculorum gaudeat humorem ſuum genitalem vel ovula ſua deponere in ejusmodi cadaveribus. Superius enim dictum eſt, vero plus conſentaneam eſſe ſententiam illam, quod omnia etiam minimorum minima prodeant ex mutua mixtione, unde producitur vix notabilis humor genitalis aut apex ovi, hoc eſt ovulum. Quæ in *Exodo & de Simſone le-* 144
guntur, præternaturalia ſunt, & forſan multis fabu-

lis

lis anſam per incogitantiam præbuerunt. *Sine dubio ſimile eſt inventum* hoc, quod olera erucis obnoxia negant, ſi equæ caput non virginis, in hortis ponatur, apud Plinium. *Nonnulli* hujus aut illius coloris equos felicius à ſe agitari putant, & ea de re quidam ſuperſtitioſi Aſtrologi non dubitant monere, & præcipere, inſpecto cujusque themate genitali. *Teutones* veteres in generoſo equo qualitates requirebant ternas trium rerum, lupi, vulpis, mulieris. *Lupi* oculos, voracitatem, validam cervicem; *vulpis* aures breves, caudam longam, greſſum lenem. *Mulieris* pectus, ſuperbiam, comam.

Alii generoſo equo *attribuerunt qualitates duas, leporis* velocitatem & agilitatem, *duas vulpis* bonorum oculorum & piloſæ caudæ, *duas lupi,* lenitatem greſſus & voracitatem, *duas aſini* coxas valentes & firmitatem pilorum, *duas mulieris* ſuperbiam & ſubjectionem. *Alii equi adeſſe voluerunt de lucio* piſce voracitatem & exiliendi facilitatem, *de anguilla* agilitatem & celeritatem, *de ſerpente* oculorum aciem & gyros, *de leone* amplum pectus & denſam jubam, *de*
145 *fele* nitorem & lenitatem gradus, &c. *Calliditatem equi oſtendunt* levitas, velocitas, audacia & vitæ longitudo. Requirunt autem vel deſiderant equi ſummam domini & ſervi ſedulitatem & largam ſatietatem. Cur qui equo vehuntur, quo longius eqvus decurrerit, eò magis emittere lachrymas ſoleant, docet. Ariſt. ſect. 5. Probl. 13. & 34. Eqvus Trojanus notiſſimus eſt, cujus inductione muros deſtructos fuiſſe & ita per patentiores muros, non cum equo, ſed in equo milites ingreſſos aliqui ſcribunt. *Joachimi*

Came-

Camerarii de equis ſcriptus liber paſtoribus in pago aliquo habitaturis, forſan non erit lectu inutilis. Sed ſatis de hoc utiliſſimo animali.

Caput XIII.

DE BOBUS.

BOS apud Græcos & Latinos comprehendit ſimul taurum & vaccam, & ſub ejus genere comprehenduntur *Bubali*, qui ſunt ſylveſtres boves, item *Bonaſi*, qui habent jubas, & cornua reflexa, ut ad pugnam ſint inutiles. Item *Viri*, qui ſunt ſummæ celeritatis & dorſum habent duriſſimum, reſpuens omnia vulnera. Item huc pertinent *vituli* ſic dicti, quod ad vitam hominis præ omnibus reliquis bobus ſunt lectiſſimi & aptiſſimi.

Eſt autem hoc *animal utiliſſimum*, quia adhibeba- 146
tur in plerisque victimis, in cibo, in agricultura, quia eſt ſocius hominum in operibus ruſticis; miniſter Cereris, & pauperibus pro ſervo. *Item* olim in triturando, quia circumductus in area ſolebat granula extorquere ex culmis. *Item*: ſuo fimo pinguefacit terram, ex cute fiunt calcei, ex cornibus arcus, arma, fiſtulæ, pectines, utenſilia.

1. Hoc autem valdè eſt *animoſum animal*, ſed tamen non pervicax, verùm mite, & remiſſum.

2. *Valdè robuſtum eſt, habet carnem duram & ſiccam*, & concoctu difficilem, præſertim ſi boves ſunt veteres, quod Baptiſta Porta corrigi poſſe putat, ſi

prius

prius à caaibus agitentur. Nam ex experientia conſtat, congreſſos cum urſis, & ita interfectos carnem habuiſſe adeò teneram, quæ etiam ore liqueſceret.

Craſſiorem autem habet ſangvinem hoc animal, qui citò coit & dureſcit, quia abundat fibris. Item quod hoc animal ſit robuſtum vel hinc patet, quia nunquam tuſſit, neque etiam unquam ructat, (Cur nunquam in concione concionator ipſe ſternutet, contraria eſt ratio, etiam indigitata apud Eccleſiaſten cap. ult. v. 12. Phyſicæ ſtudioſis excutienda.) Nam
147 multos habet ventres, in quibus cibus optimè concoquitur, & per ſe animal eſt calidum, unde non abundat pituita. *Lac etiam* ipſius cedit in incrementum corporis, unde minus ſolet præbere lactis, quàm oves & capræ.

3. *In libidine, & tempore coitus valdè eſt concitatum hoc animal,* & furens, ſicut omnia ſolent animalia in Venere furere. Extra libidinis tempus valdè eſt ſedatum & moderatum.

4. Sicut in libidine vehemens eſt & concitatum, *ita poſt coitum maximè caſtum & modeſtum.* Et quidem in Venere mas paſcitur cum fœminis, ſed poſt Venerem libentius converſatur cum tauris. Atque hoc faciunt pleraque animalia, *quemadmodum annotavit Ariſtoteles lib. 6. cap. 18.* de Hiſtoria animalium.

6. *Societatem vehementer amat, & pietatis eſt ſtudioſum,* quia bos alter inquirit alterum, cum quo aratrum trahere conſueverat. Nam cum frequenti mugitu teſtatur ſuum deſiderium, niſi citò reperiat ſocium. Nihil dicam de eo, quod gratum habet a-

animum

nimum, dum ſcilicet novit ſuum Dominum, quemadmodum &c. Eſ. 1, 3.

6. *Amat etiam Muſicam*, & non bibit niſi claram limpidam & frigidam aquam.

7. *Vehementer amat frondes, virgulta & nemora*, & in aliquibus locis retrò ambulans paſcitur. Porrò inter herbas, quas amant boves, ſolet deliteſcere parvum quoddam animalculum, ſimile Scarabæo, *Bupreſtis*. Hoc igitur animal ſæpè à bobus incautis deglutitur, eosque pungit vehementer, adeò, ut ſæpè intereant. Nomen igitur accepit Bupreſtis à premendo bove. Nulla autem re adeò pingueſcere dicuntur boves atque abſtinentia à venere, item ex ſole & lotione calida, item ex frondibus ulmi, ervo, fabis. Baptiſta ſuis dabat reliquias ſuorum ciborum, unde adeò pingveſcebant, ut vix incederent pro pinguedine. 148

8. *Vehementius laborat ſi ſollcitetur pruina, quàm nive.*

9. *Cornua juniorum tepefacta in cera inflectuntur, & qvo volueris, facillimè ducuntur.* Imò non ſentiunt dolores pedum boves, ſi cornua illinantur cerâ, piee, oleo.

10. *Quotannis mutat ſuum pilum*, ſicut eqvus.

Denique mirabile eſt, quod in præceptis ad Virgines non longè à fine *refert Nazianzenus, ſemina conjecta in agrum perire, ſi tangantur cornibus boum.* Cujus rei cauſa phyſica ſufficiens non poteſt in medium afferri.

ETSI verò *& Sacræ literæ, & profani* auctores valdè multas mutuantur imagines ab hoc animali; 149

tamen

tamen brevitatis gratia pauciſſimas libet commemorare.

Inter alias autem abſque dubio ſibi vendicat locum, quod in Veteri Teſtamento paſſim *offerebantur in ſacrificiis boves, & tauri, & vaccæ, & vituli*, ſicut imprimis celebris eſt vacca ruffa. *Hæc* autem *ſacrificia fuerunt imago Filii Dei*, pro nobis oblati in ara crucis.

(1.) *Sicut igitur vitulo ante ſacrificium imponebantur manus*, quo ritu ſignificabatur, illam hoſtiam deſtinatam eſſe ad purificationem: *ita quoque* vox Patris cœlitus demiſſa Chriſtum deſtinavit victimam mundi.

Deinde (2) ſicut vitulus mactabatur *ante tabernaculum in conſpectu omnium: ita quoque* Filius Dei mactatus eſt ante Hieruſalem in publico.

(3) Et ſicut *vitulo detrahebatur pellis*, conſcindebantur membra: *ita etiam* Filius Dei denudatus fuit in ara crucis, paſſus verbera & haſtas.

(4) Sicut item *vitulus comburebatur: ita hæc victima* mundi occidebatur.

(5) Et ſicut *vituli ſangvis ſpargebatur ſuper cornua* altaris: *ita quoque ſangvis Filii Dei* per prædicatio-
150 nem Evangelii ſparſus eſt in univerſum mundum.

(6) Verùm *ſicuti bos vel vacca vel vitulus* olim apud magnates *dabatur loco muneris* ſponſalitii, *ſicut quidam* apud Homerum ſocero ſuo dat centum boves loco Arrhæ: *ita quoque* Filius Dei datus eſt in Arrham pro nobis, hoc eſt, propter fœdus inter Deum & homines initum poſt lapſum.

(7) *Sicut item bos eſt* ſervus ruſticorum: *ita quoque* Filius Dei factus eſt noſtrûm omnium ſervus, ſi-

cut

cut Apoſtolis lavat pedes, ſuis verò pedibus emenſus et maximam partem Palæſtinæ, ut ita opus redemptionis perficeret.

(8) *Sicut item bos* præſertim maſculus eſt animal robuſtum & forte: *ita quoque* Filio Dei data fuit à Patre potentia infinita.

(9) *Sicut etiam bos non eſt beſtia immanda*, neque fera, ſed munda & mitis: *ita nunquam* repertus eſt in ore Filii Dei dolus, atque fuit ipſe omnium hominum mitiſſimus, invitans omnes ad ſe.

(10) Præterea *ſicut bos animal eſt ſimplex, non Martium*, non ſuperbum, non pronum ad luxum: *ita quoque & vita Chriſti aliena fuit à ſuperbia*, & conciones ipſius omnes directæ fuerunt ad hoc, ut ſimus ſtudioſi humilitatis.

(11) *Sicut* item in Tartaria *ſunt quidam boves, qui* 151
ſeſe inclinant more Camelorum, cum onera ſunt ſuſcepturi, *ita quoque* Filius Dei patienter in ſeſe recepit crucem ſuam.

(12) Et *ſicut ex cadavere boum dicuntur naſci apes: ita* quoque per mortem Filii Dei infinita examina hominum fuerunt converſa ad veram agnitionem Dei, & ſic ex morte ſpirituali ſunt revocata in vitam.

(13) Denique *ſicut ſemina cornibus boum attrita pereunt: ita quoque homines* impii indignatione Chriſti propter incredulitatem rejecti in æternum peribunt.

De his valde copiosè poſſet dici explicatis cæteris circumſtantiis ſacrificiorum, & imprimis de vacca ruffa, cujus color repræſentavit rubicundum colorem ſangvinis Chriſti, de quo rectè dixit Bernhardus: *U-*

na guttula ſangvinis Jeſu Chriſti ſufficit pro redemptione totius mundi, etiamſi mille eſſent mundi.

II. QUEMADMODUM *verò Miniſtri Evangelii* repræſentant perſonam Chriſti: *ita quoque ipſi bobus comparantur* in ſcriptura & imprimis 1.Cor. 9, 10. Ubi *Apoſtolus diſſerit, Miniſtris danda eſſe honeſta ſtipendia,* hoc eſt ipſis tanquam bobus non debere obturari os inter triturandum. Etſi enim Deut.
152 25, 4. Lex illa videtur promulgari propter boves; tamen Apoſtolus oſtendit, hoc propter Miniſtros eſſe dictum, & ſic Miniſtros rectè comparari bobus. Hic iterum poſſunt eſſe multa capita collationum.

1. *Sicut bos eſt animoſus : ita Miniſtros* maxima decet fortitudo animi.

2. Et *ſicut bos ſua natura eſt mitis* & caſtus, & delectatur clarâ aquâ, & amat ſocietates, & ſocium ſuum magna pietate & cum deſiderio animi inquirit: *ita quoque Miniſtros* verbi decet eſſe ſimiles.

3. Atque *ſicut bos prodeſt in vita & morte : ita & voce & ſcriptis* Eccleſiam juvare debent Miniſtri.

4. *Sicut* item juniorum *boum cornua in cera facilimè flecti poſſunt : ita quoque afflictionibus juniores* Miniſtri facilimè abducuntur à via veritatis.

5. Et *ſicut boves plus laborant in frigore, quàm in æſtate : ita Miniſtri* plurimum proficiunt in cruce, &c.

III. Pſal. 68, 31. *impii Doctores* etiam comparantur bobus, ſed ipſorum auditores vaccis.

1. Sicut igitur *boves præeunt vaccis : ita* quoque impii Doctores ſuis auditoribus.

2. Et quemadmodum *boves inter ſe pugnant,* &
153 tantùm illum admittunt ad vaccas, qui vicerit, *ita quoque*

quoque impii Doctores inter ſeſe contendunt de primatu.

3. Et ſicut boves, *tantùm Veneris gratia converſantur cum vaccis*, ſed pòſtea diſcedunt: *ita quoque falſi Doctores* tantùm lucri cauſa præſunt auditoribus.

4. Et ſicut in Phrygia *perhibentur eſſe boves, qui movent cornua: ita quoque impii Doctores* non ſunt conſtantes.

Plura capita collationum inſtituat, quicunque voluerit, ſiquidem erit facillimum.

IV. Pſal. 22, 13. *hoſtes Chriſti in paſſione* etiam comparantur bobus.

1. Sicut enim *bos in re pecuaria primam habet auctoritatem: ita quoque Phariſæi & Scribæ* primas obtinebant partes in Politia Judaica.

2. Et ſicut *bos furit in libidine & iracundia: ita quoque hoſtes illi* quaſi œſtro perciti, aut ſicut furentes vaccæ unicè ſitiebant ſangvinem & mortem Chriſti. Deut. 32, 15. ad vitulum nondum loris aſſuefactum alludit Scriptura, qui apprehendentem hominem longiſſimè fugit. Sic impii verbo quæſiti longius à virtute recedunt.

V. CONCLUSIONIS loco etiam hoc obſervetur, quod Nazianzenus Orat. 14. *excuſationes illorum, qui ad cœnam erant invitati, allegoricè exponit.* 154
Nam qui dicebant *ſe emiſſe fundos*, ſunt iſti, qui *ſunt dediti cupiditatibus* divitiarum, & opum terrenarum. Qui *verò emerunt boves*, dicuntur eſſe illi, *qui ſtudent ambitionibus* & dominationibus, *ſicut bos animoſus eſt & imperioſus.* Qui *verò duxerunt uxorem*, ſunt, qui per omnia ſunt addicti voluptatibus & illecebris mundi. Atque has tres cauſas dicit ipſe fuiſſe occa-

ſiones caſuum & interitus: atque peccatorum plerorumque omnibus temporibus, quia Adam peccabat cupiditate voluptatum, Diabolus ambitione, Judas cupiditate divitiarum.

Similia exempla etiam infinita offerent hiſtoriæ. De collatione Grobianorum cum bobus notum eſt etiam Ruſticis. Sed de his ſatis.

CAPUT XIV.
DE ASINO.

QUOD Deut. 22, 10. *dicitur, non conjunges bovem & aſinum, hoc allegoricè ſignificat, non comparandos eſſe fatuos cum ſapientibus & timidos cum fortibus: quod igitur attinet ad proprietates animalis hujus notiſſimi, illa ſunt ſequentes præcipuæ:*

155 1. *Aſinus valdè eſt timidus,* quia habet magnum cor, & caret felle, unde *admodum eſt patiens laborum* (Man rufft den Eſel nicht ehe gen Hof/ er ſoll denn Säcke tragen) tolerantiſſimus plagarum, penuriæ ſeu paupertatis, & negligentiam ſui gubernatoris æquo fert animo, quin & inſuper manſuetus, nunquam repugnat, etiamſi plus imponitur, quàm poſſit ferre, victu item pauciſſimo eſt contentus.

2. *Quod ad cibum & potum ipſius attinet, contentus eſt fœno,* ſicut dicitur Sir. 33, 25. aſino fœnum & baculos, ſervo panis & ſcutica. Quærit autem ſpinas & tribulos, (Diſteln ſind des Eſels Salat) & cutem habet duram, unde ſicut vix ſentit fuſtem, ita

quoque

quoque ab his aſperis cibis non læditur. Cum ducitur per gramina, freno os ipſius arcetur, ne poſſit veſci herbis, & domi paſcitur paleis, cum quidem ipſe triticum portet in molam, & reportet.

Aves ipſi valdè ſunt infeſtæ, quia fricat ſeſe ad ſpinas, in quibus nidificant minutæ aves, deinde ſuo horrendo clamore terret pullos avium, unde oculos aſino pungere ſolent, quos etiam vehementer læderent, niſi magna eſſet profunditas oculorum.

Poſt multos varios labores moritur, excoriatur, canibus projicitur:

Ad potum quod attinet, tantùm amat aquam tur- 156
bidam, unguentis offenditur.

3. *Locum ubi ſemel eſt lapſus, ſemper timet,* & cum ipſum conſpicit, exhorreſcit. Nec etiam libenter tranſit per pontem, dum per tigna aſpicere poteſt aquam, quam vehementer metuit, per aquas etiam cum cogitur transire, mingit. Debile habet caput, & laborat vertigine.

4. *Fœtus ſuos tam ardenter diligit,* ut ad eos per aquam & ignem currat, eosque in neceſſitate defendat.

5. *Corpore ſuo geſtat formam crucis.* Parte poſtica eſt fortior, quàm antica, quibusvis aliis potiùs quàm ſibi notus, neminem etiam injuria afficiens, ſed in ſimplicitate vivens valdè ſtolidus, oblivioſus, & tamen ſubinde movet aures, quaſi ſignificet ſe intelligere, quod dicitur. *Bodinus refert de quodam manſuefacto, & edocto, qui juſſus discurrere in theatro quærebat, quæ ex fœminis eſſet pulchrior, & cum biſtrio jubebat ipſi afferre hordeum, exultabat præter morem aſinorum, quaſi lætaretur propter futurum*

donum, & cum hiſtrio ipſum alloqueretur, ſignis, & geſtu, & voce minus ignare indicabat, ſe Domini colloquentis verba intelligere. Adeò nihil eſt tam tardum & ſtupidum, quod inſtitutione non poſſit reddi melius,
157 niſi quis ad magiam hæc malit referre, quod videtur veroſimilius.

6. *Vix eſt aliquod animal tam fœcundum, atque hoc,* quia maturè incipit gignere, & tota vita ſua gignit, usque ad triceſimum annum ætatis.

7. *Aſina paritura fugit lucem* & conſpectum hominum, & quærit tenebras. Aſinus coiturus cum fœmina horrendo clamore ipſam advocat. Rudere enim non deſinit aſinus, etiam cum blandiri vult, & rectè dicit Nazianzenus, rudere non deſinit, etſi auro exornatur. De magna carne aſinorum libidinoſorum allegoricè ad craſſiſſimam idololatriam accommodata, quam amarunt Judæi turpiter, lege Ezech. 16, 26. & cap. 23, 20.

8. *Semper bibit ex iisdem fontibus,* ad quos tantum pedeſtri itinere poteſt accedere, quia per aquam non tranſit facilè. Alias aquas non bibit, niſi ſint ſimiles, quas prius bibit.

9. Eſt *animal melancholicum, impatiens frigoris, longis auribus, & vocis ignavo ſonitu ſeſe prodens,* Cicutam ubi comederit, tam profundo ſomno dicitur opprimi, ut vel excoriari poſſit ſine omni ſenſu. Atque cum ipſe ſit ἀμȣσότατος, tamen ex oſſibus ejus optimæ fiunt tibiæ.

158 *Eſt etiam genus ſilveſtrium aſinorum, qui vocantur Onagri, & degunt in vaſtis ſaltibus Arabiæ, ubi integra ſilvæ ſunt plena, ex quibus excurrunt in ſegetes, & ſunt*

& ſunt tantæ celeritatis, ut nemo poſſit ipſos aſſequi curſu, nunquam etiam cicurantur, non ferunt ſaccos. Deus ipſe Job. 39. hæc omnia deſcribit, & addit, ſe dediſſe Onagris domum in terra ſalſuginis, hoc eſt, in terra calida Arabiæ.

Hæc ſunt præcipua capita conſiderationis de aſino, in *quibus multæ latent imagines*, quas *etiam ipſa ſacra Scriptura ſolet uſurpare, & quarum paucas quasdam recitabimus.*

I. Geneſ. 49, 14. *Iſaſchar* in vaticinio Patriarchæ *Jacob dicitur aſinus fortis.*

1. *Sicut* enim aſinus *ad bella non eſt aptus: ita quoque poſteritas Iſaſchari* fuit aliena à bellis, & amavit tranquillitatem.

2. *Sicut item aſinus eſt manſuetus & patiens* onerum & laborum: *ita quoque poſteritas* ipſius maluit pendere tributa, ac ferre onera, quam bello ſuas vires experiri & committere, & multum poſſidere cum inquietudine. Semper enim melior eſt etiam iniqua pax, quàm æquiſſimum bellum.

II. In eodem loco Jacob Patriarcha prædicans nativitatem Meſſiæ, & deſcribens ipſius regnum, inter 159
alia dicit, *quod ſit ligaturus pullum ſuum ad vineam, & aſinam ad vitem.* *Etſi* verò inter alia hoc *innuit, tempore Meſſiæ fore ſpiritualem pacem,* ſicut Judas expertus fuit corporalem pacem, ubi ſecurè potuerunt aſinos alligare ad vites, quod non licet facere in bello; *tamen patres paſſim exponunt aſinum de gentibus,* & vineam de Eccleſia, ut ſignificetur Chriſtum equitaturum ſuper aſinam, hoc eſt, vocaturum Gentes ad unionem Eccleſiæ ſuæ. *Gentes ergò fuerunt aſinæ, hoc eſt, ſimplices, ſtolidæ & verſatæ in magnis*

gnis tenebris, quæ hactenus devoraverint tribulos & ſpinas, id eſt, Religionem habuerint impuram, & quæ tulerint jugum Diabolorum, &c.

III. Exod. 13, 13. *Deus ipſe jubet, ne primogenitum aſini ipſi offeratur*, ſed vel *hœdo redimatur, vel ipſius cervix frangatur:* hoc exponunt Eruditi viri ita, ut cum Deus velit habere omnes primogenitos, tanquam partem meliorem, *tamen aſinos odio habeat, hoc eſt, ignavos, ſtolidos, obliviosſos,* & qui tantum inhiant rebus externis. Ita ergò in genere *in Eccleſia* non debent *eſſe aſini*, in ſpecie verò *inter Miniſtros verbi* non debent reperiri ulli.

IV. Judic. 15, 15. *Samſon maxilla aſini interfecit multos hoſtes, & tandem ex maxilla aſini prorumpit*
160 *fons, cujus aqua ſitim ſuam reſtingvit.* Cum autem Samſon geſſerit typum Chriſti, *hæc maxilla poterit comparari carni Chriſti; cujus ratione in nos derivantur aquæ limpidæ*, quibus ſuſtentamur ad æternam vitam. Hac igitur carne ſua potentiſſima domuit omnes hoſtes noſtros.

V. 2. Reg. 6. in Samaria tanta fuit omnium rerum caritas, *ut caput aſini emeretur octuaginta argenteis*, ſed quarta pars Cab plena ſtercore columbino etiam aliquot argenteis. *Fortaſſis pulchrè poteſt hoc accommodari ad ſpiritualem famem: Ita enim ſub Papatu* olim magnis ſumptibus emerunt capita aſinorum, hoc eſt, magnis ſumptibus aluerunt Monachos indoctos. Magno item pretio tum temporis emerunt ſtercus columbinum, hoc eſt, falſas reliquias ſanctorum, & alia.

Hodie hæc ipſa imago poteſt accommodari ad Religionem Turcicam & Tartaricam. Vix enim dici poteſt,

poteſt, quanta cum reverentia iſtæ Gentes proſequantur ſuos ſacerdotes, & quantis muneribus eos exornent. Apud Tartaros ſummus Sacerdos equo pulcherrimè ornato circumducitur, Rex tantùm manus ipſius oſculatur, Nobiles tantùm admittuntur ad oſcula genuum, reliquis plebejis vix licet calceos 161
oſculari. Et ſunt iſti ſtercorei ſacerdotes.

Item hac imago pulcherrimè conveniet cum oraculis Ethnicorum, quæ ipſi Ethnici infinitis ſumptibus ab ipſo Diabolo impetrarunt. Legatur lib. 2. Herodoti de muneribus, quæ Cyrus miſit ad Apollinem.

IV. Aſinam, *ſuper qua equitavit Chriſtus, exponunt tùm de gentibus*, quæ ſunt ſubſtitutæ in locum Judæorum, cum amplius jugum Chriſti ferre non vellent, tùm *in genere de omnibus Chriſtianis*, & imprimis *de pœnitentibus.*

1. *Sicut* enim *aſinus natus eſt ad labores* hominum adjuvandos, ad portanda onera, atque neminem afficit injuria: *ita quoque* veri Chriſtiani majorem habent curam aliorum, quàm propriæ ſalutis.

2. *Sicut* item *aſinus quærit ſpinas* & tribulos: *ita quoque* veri Chriſtiani erunt alieni ab illecebris mundi.

3. Et *ſicut aſinus non libenter tranſit per pontem*, & locum, ubi ſemel cecidit, ſemper timet: *ita quoque veri Chriſtiani* cavebunt peccata vetera, neque temerè ſeſe objicient periculis.

4. *Sicut* item *aſinus habet ſignum crucis in dorſo*: *ita Chriſtiani* nihil debent noſſe niſi crucifixum Chriſtum, & calamitatum onera libenter portare.

5. *Sicut* etiam *aſinus tota vita gignit*: *ita quoque* 162

Chriſtiani ſuam veram fidem per totam vitam bonis operibus declarare ſtudebunt.

6. Sed *ſicut aſina paritura fugit lucem* & conſpectum hominum: *ita veri Chriſtiani* nihil faciant ad oſtentationem, ſed in ſecreto dent eleemoſynam manu dextra, ut illud neſciat ſiniſtra.

7. *Sicut* etiam *aſinus non bibit alias aquas*, niſi quæ ſunt ſimiles illis, quas ſemper bibit: *ita quoque veri Chriſtiani* vitabunt levitatem, & ſtultam credulitatem, non rapientur omni vento, non audient vocem hæreticorum. Quidam non malitioſus concionator, in quadam celebri Germaniæ aula die prima adventus ordine allegoriam illam tractavit & dixit, cives ſuos eſſe verè aſinos, quod ſuis ſarcinis urgeantur, Senatores ſuos eſſe magnos aſinos, utpote quibus plus incumbat oneris, quam civibus ipſis, concionatores eſſe majores aſinos ob majora curarum momenta, tandem elevatis oculis clamavit, Unſer gnädigſter Herr iſt der gröſte/ Princeps eſt maximus aſinus, quiâ noſtrum omnium ſarcinas cogitur geſtare.

VII. ONAGRI ſunt *imago impiorum & reproborum*, ſævorum & obſtinatorum. 1. Sicut enim
163 *Onagri replent integras ſilvas*; *ita quoque impiorum* ſunt infinita agmina.

2. Sed *ſicut Onagri nunquam poſſunt cicurari*: *ita quoque tales impii*, & traditi in reprobum ſenſum nunquam redeunt ad frugem.

3. Et ſicut *Onagri non clamant*, modò habeant ſufficientem paſtum: *ita quoque impii* nihil curant aliud, modò habeant corporalium bonorum ſufficientem uſum.

VIII.

VIII. Inſignis & illa eſt collatio, quod *avarus comparatur aſino.*

1. Sicut enim *aſinus totus eſt in portandis ſarcinis, ita quoque iſti avari toti* ſunt occupati in comportandis divitiis.

2. Sed *ſicut aſinus portat ſaccos* tritico onuſtos in molam eosque reportat, ſed tantùm fruitur paleis: *ita quoque avari* non fruuntur illis, quæ colligunt, & neſciunt, quis illa ſit poſſeſſurus.

TANDEM IX. *Eraſmus etiam aliquot mutuatur imagines ab hoc animali.* 1. *Sicut enim* cum ipſe *aſinus ſit* ἀμȣσότατος (unde judex ſceleſtus in controverſia inter luſciniam & cuculum in fabulis: cuculo primas dedit partes) *ex oſſibus tamen ejus optimæ fiunt tibiæ: ita divites* multi per ſe quidem ſunt indocti, ſed tamen honeſtis ſtipendiis juvant pauperes, ut iſta ſtudia literarum conſerventur.

2. Et *ſicut aſinus impensè amat ſuos fœtus: ita docti* laudant ſua ſcripta & opera. 164

3. Et *ſicut aſinæ per totam vitam gignunt: ita quoque tenuium* rerum plerumque eſt copioſus proventus.

4. Atque ſicut aſinus *maximum habet cor, & eſt tamen timidiſſimus: ita indocti etiam* veſtitu æmulantur doctos, immò etiam voce & geſtu decente atque ad gravitatem compoſito ſæpè ſuperant doctos. *Huc refertur aſina Bileam. Qui nolunt* Prophetas audire, tandem aſinam præceptorem experientur. *Item,* Bileam poteſt dici populus Judaicus, aſina gentes, quæ melius & diutius agnoverunt Chriſtum. *Item,* multi ſubditi & auditores melius agnoſcunt & colunt Deum, quàm inequitantes Reges & Doctores. *Simplices*

plices in anguſtiis agnoſcunt gladium divinæ vindictæ,& metuunt citius. *Item,* aſina poteſt eſſe cognitio in homine, Bileam voluntas contra conſcientiam ruens, ſed monſtrato fune ſeu gladio deſinet ruere. *Item,* aſina poteſt ſignificare oppreſſum ſubditum, qui murmurat & exauditur. Qui videt Chriſtum contra ſe ſtare, is citò pœniteat. Sed de his ſatis.

165

CAPUT. XV.

DE CERVO.

CERVUS *animal notiſſimum, velociſſimum, & timidisſimum eſt, habens etiam cor magnum, apud nos ſubflavum,* ſed quod album & nigrum, in Britannia reperiri dicitur, cui ſoli quotannis cornua ex animalibus ſunt decidua. Nam 1. *in magnis cordibus caloris partes hinc inde diſperguntur, ut ita virtus diſperſa fiat imbecillior.* Contra in parvis cordibus calor collectus ſolet eſſe fortior, ſicut dicitur, *virtus unita eſt fortior.* Hinc Achilles Iliada α apud Homerum. *Objiciens Agamemnoni timiditatem, dicit ipſum habere cor cervi.* 2. *Pedum celeritate mirabili praditum eſt* hoc animal, unde David Pſal. 18, 34. laudat Deum, *qui dederit pedes cervi, hoc eſt, ſucceſſus felices & quidem celeres.* Utut autem ſit celerrimum, tamen *interiora ipſius valdè ſunt fragilia,* ſæpè poſſunt rumpi, etiamſi integra maneat cutis. Hinc fit, quod in venationibus & in fuga ſæpè cogitur ſubſiſtere & quieſcere, donec magis videat appro-

appropinquantem venatorem. 3. *Eſt animal ſua-*
natura valdè & ſuo tempore per totum diem *ſalax*, &
plerumque circa ortum Arcturi ſeu diem Ægidii,
ubi ſolet eſſe ferociſſimum & clamore etiam teſtatur 166
ferociam & amorem, parciſſimique ſolet eſſe cibi. Pu-
gnant autem inter ſeſe propter uxores, & vehementer
ſe ipſos lædunt. Tunc etiam caro ipſorum eſt fœ-
tida, & fœtet ſicut hircus. Poſt conceptum ſepara-
tur mas à fœmina, & fœmina circa octavum menſem
præparat ſeſe ad faciliorem partum herba quâdam,
quæ vocatur Seſeli. 4. Etſi aliquo modo eſt ſtupi-
dus cervus, adeò ut equo aut buccula accedente juxta
venantem non cernat, aut ſi cernat, tamen præ ſimpli-
citate, acrius dirigat viſum in arcum & ſagittam, &
hæc admiretur: *Tamen ſigna prudentia ſingularis in*
ipſo elucent. P*arit enim & paſcitur juxta ſemitas*,
ut hac ratione cum catulis ſit tutior ab injuriis, & præ-
da belluarum propter hominum peregrinantium &
obambulantium frequentiam. *Hinnulo etiam ſuo*
maturè proſpicit, & docet ipſum fugere pericula, me-
ditari fugam: *Monſtrat ei locum tutum*, nempe ſa-
xum abruptum in altiori monte, in quem tantum u-
nus aditus eſt. Aſſuefacit igitur ipſum ut imminen-
ti periculo huc fugiat. Ipſe quoque in tali ſaxo ab-
rupto ſtare & venatorem expectare ſolet, & ſi acce-
dat, repugnat ei. Huc pertinet, quod David Pſalm.
18, 14. Gratias agit Deo, *qui pedes ipſius elevaverit*
in locum altum, id eſt, tutum, tanquam pedes cervi. 167

Ex uſu fructuum pingvior factus ſeceſſu ſibi conſulit,
& fugit conſpectum hominum, ne propter corpulen-
tiæ pondus facilè capiatur.

Hyeme

Hyeme hoc etiam facit, quia tunc valdè extenuatur & debilitatur. Etiam tunc latet, quando amittit ſua cornua. Providentia autem divina hoc factum eſt, ut cervus cornua, quæ ſunt terrea ſicca, ideoque depoſitu facilia, cum non adnaſcantur cranio, ſed tantum cuti adhæreant, quotannis deponat, *primò* quia cum ſint nimis ſolida, magno oneri eſſent futura, *deinde* ſic plus cedunt in uſus hominum.

Quando igitur appropinquat tempus amiſſionis, ſcilicet ver, tunc avia loca petit, ut ſit tutior neque inermis deprehendatur, cornuaque ipſa vel ſolet defodere, vel in locis inacceſſis deponere. Tuncque non niſi noctu prodit in paſcua. *Ubi autem nova aliquantisper creverunt, experitur illorum firmitatem ad arborem*, nec prius in apertum procedit, niſi ſatis ſint firmata. Dum etiam creſcere incipiunt, crebrius ea ſoli exponit, ut ſolidentur. Magna igitur in cervo eſt prudentia, & acerrimè ſentit, ipſe modò erectas auriculas teneat, & tunc ipſum inſidiæ non poſ-
168 ſunt latere, ſi verò demiſerit aures, facile capitur & interimitur. In Scythia dicuntur ita manſuefieri, ut illi tanquam equo inſideat homo. Inveniuntur circa Septentrionem cervis ſimiles rangiferi, quorum lac ſolent uſitatè & facilimè emulgere. Apud Ælianum Mithridates Ponticus ſui corporis curam in ſomno non modò ſatellitibus committebat, ſed & tauro & equo & cervo, quos manſuefactos habebat: ſi quis enim accederet, quod ex ipſa reſpiratione ſtatim percipiebant, ille mugitu, alter hinnitu, cervus ſua voce excitabat. Pulſi tamen ad patria ſola, quæ vehementer amant, redire & quandoque ſermonem iſtis locis uſitatum intelligere didiciſſe ſcribuntur

cervi.

cervi. 5. *Valdè delectatur modulatione, & cantu vocis humanæ*, & ſuavibus tibiis. Unde alter ex venatoribus palam in conſpectu ipſius ſolet cantare, & interim alter clam à tergo ferit cervum. 6. Urgentibus canibus cum videt nullam reſtare ſpem ſalutis, ſponte & ultrò fugit ad hominem, expectans ab ipſo majorem clementiam, quâm à latrantibus canibus: aliqui referunt hoc ad cervi malignitatem. 7. Caret felle, inteſtinum tamen adeò habet amarum, ut ne quidem à canibus attingatur, niſi admodum præpingue. In Achaia eſſe cervi dicuntur, qui fel habent in cauda.

8. *Quando vulneratur jaculis, quærit herbam dictamnum*, ibi ſanat ſua vulnera. Hæc enim herba conducit ad extrahenda tela. 169

9. *Cervi amant ſocietatem*, quia gregatim incedunt, & *gregatim tranant flumina*, ubi dignior præcedit, ſed ſequentes imponunt ſua capita dorſis præcedentium. Quando verò primus eſt defeſſus, alius in locum ipſius ſubſtituitur, donec iſte ad poſtremum locum ſeſe recipiens, & caput clunibus alterius imponens recuperet vires priſtinas.

10. *In venationibus quandoque cervus incidit in arborem, & pendet ex ramis*, ſicque ſe occultat & deludit venatorem.

11. *Fit etiam præda reliquis beſtiis*, & quidem plerumque manè beſtiæ aggrediuntur cervam tanquam imbecilliorem. Ideò autem manè hoc faciunt, quia tunc eſt maxima rabies, & maximè urget fames.

12. *Mirabilis eſt ἀντιπάθεια inter cervos & ſerpentes.* Sciunt enim cervi mirifico quodam naturæ

inſtinctu, in quibus cavernis latitent ſerpentes. Illis
igitur incumbunt, & vehementiſſimè ſuſpirant, & hoc
narium ſpiritu eliciunt & extrahunt invitos, & reni-
tentes, poſtea extractos aut pedibus conterunt, aut
in multa fruſta lacerant, aut denique omninò devo-
170 rant. Porrò ex tali eſu ſerpentum cervus fit ſiticulo-
ſus, & tamen ex naturæ inſtinctu novit, quod ſi a-
quam ante illorum concoctionem hauſerit, itereat.
Propterea ſitim tolerat, & maximoperè accenditur,
& tandem properat ad fontes, atque hac properatio-
ne fatigatus glocitat, h. e. miſerè lamentatur. Un-
de dictum eſt in Pſalm. 42, 2. *Quemadmodum cer-
vus glocitat ad fontes aquarum*, &c. Ad fontes ſeu
aquas ubi pervenerit, non ſtatim bibit, ſed ſeſe immer-
git, & edit cancros. In Libya ubi ſunt multi ſer-
pentes, ſi viderint jacentem cervum, quaſi uno im-
petu in ipſum involant, ſeſe implicant in pedes &
cornua & cervicem & in ventrem, ipſumque acriter
mordent. Unde cervus præ anguſtia diſcurrit, atq;
tandem procumbit in aream, & dorſo ſuo, quo fricat
aliquos, occidit, aliquos verò devorat. Et tum cruo-
re tepido ſeſe polluit, iterum feſtinat ad aquas, ſeſe
lavat, & purgat. *Tantum autem eſt illud odium in-
ter ſerpentem & cervum, ut etiam poſt mortem duret.*
Nam accenſo cornu cervi fugantur ſerpentes, ſicut
etiam pellibus ejuſdem animalis inſtratis lectulo eji-
ciuntur ex ſuis cubilibus. *Tandem* & hoc eſt no-
tandum, *quod cervi ſpirante vento dicuntur ſemper
currere contra ventum,* nec ſi ſecundo vento diſcur-
rerent, odorem ipſorum una cùm vento acciperent
171 canes. Hæ ſunt præcipuè proprietates hujus ani-
malis.

PASSIM autem multas imagines mutuantur Sacræ literæ, & profani auctores à cervis, quarumlibet pauciſſimas aliquot commemorare.

I. Inter iſtas omnes verè principem locum obtinet illa, quod Pſal. 22, 2. *Filius Dei patiens nobis comparatur cum cerva matutina.* 1. *Cum cerva, non cum cervo comparatur,* quia cerva eſt imbecillior cervo, ſicut & in Cantico canticorum cap. 5, 2. pro Thammati (perfecta mea) *olim ſcriptum fuiſſe Theumati gemella mea,* non gemellus meus, quia major amor eſt gemellarum ſororum, quàm gemellorum fratrum, docet *Galatinus lib. 3. cap. 30.* Tunc temporis Chriſtus exinanivit ſuam poteſtatem, &, ut *Irenæus* inquit, *paſſus eſt requieſcente Verbo,* hoc eſt, *Verbo non exerente vires ſuas.*

Deinde 2. non fruſtra additur, *de cerva matutina.* *Sicut enim mane cervam* tanquam imbecilliorem & obnoxiam omnis generis injuriis *aggrediuntur beſtiæ,* cum maxima eſt rabies in ipſis: *ita manè capiebatur Filius Dei,* manè agitabant crudelia & ſangvinaria conſilia adverſus ipſum.

3. *Cerva caro eſt mollior,* ſi à canibus fuerit agitata: *ita Christi caro paſſionibus immenſis emollita* facta eſt nobis cibus concoctibilis, ein guter mürber Braten. 172

4. Et ſicut *cervus odio maximo proſequitur ſerpentes: ita quoqve Filius Dei* venit in hunc mundum, ut cum diabolo, tanquam antiquo ſerpente congrederetur, & ſua potentia tanquam odore & halitu, caput, id eſt, regnum & imperium tanti hoſtis contereret atque deſtrueret, ſicut Gen. 3, 15. promittitur, ipſius ſemen conteret caput ſerpentis.

5. *Sicut* autem *odium* inter ſerpentem & cervum etiam *durat poſt mortem: ita quoq; Chriſtus poſt mortem* ubi reſurrexit, & ſedet jam ad dextram æterni Patris, multò magis efficax eſt adverſus ſerpentem diabolum, eundemque ſpiritu narium ſeu oris ſui, hoc eſt, per vocem Evangelii necat atque extinguit.

6. Verùm *ſicut cervi* devoratis ſerpentibus ita inflammantur, ut *ardentiſſimam ſitim concipiant*, & faucibus arefactis miſerabiles edant ejulationes, glocitant, donec tandem ad fontem vivo gurgite exundantem perveniant: *ita Chriſto etiam accidit*, ſicut dictum fuerat Gen. 3, 15. *Et tu ſerpens mordebis calcaneum ejus.* Nam Chriſtus deſtruens Diabolum
173 verè ſenſit ardentiſſimum onus iræ Dei in ſe derivari, adeò ut in hortô ſangvineas guttas ſudaret, & in crucis ara exclamaret ſe ſitire, atque cum ejulatione Patrem cœleſtem invocaret, Deus meus, &c. *Atque tandem cum lacrymis & clamore ſpiritum ſuum ederet*, Hebr. 5, 7. Hæc autem omnia patheticè deſcribuntur in Pſalm. 22. *per langvorem & reſolutionem totius corporis, per oſſium diſſipationem, cordis fluxum, faucium extremam ſiccitatem, ſicut aqua effuſus ſum, &c.*

7. Nam velut *multi ſerpentes in Lybia implicant unum cervum: ita quoque plurimi hoſtes* tunc temporis circumveniebant Chriſtum.

8. Sed *ſicut cervus in Lybia dorſo ſuo renitens, partim interficit, partim verò dilaniat angues*, & ut cervi norunt ſua remedia, & quærunt limpidum fontem, atque emiſſis lacrymis, quæ in lapidem concreſcunt; & ex oculis decidunt, atque ſtudioſè colliguntur, *mirabiliter à veneno ſerpentum liberantur: ita Chriſtus*

ſtus non manſit in illis tantis cruciatibus, ſed ex tot hoſtium dolis, & ex ipſa morte victor Diaboli, peccati & mortis ad vitam & ad æternum regnum eſt revocatus, & vivit ſine fine, & nobis efficaciſſima remedia in paſſione ſua propoſuit & reliquit, ut quoties ipſius ardentes ejulationes piè cogitamus, paratiſſimum habeamus pharmacum adverſus quoſcunque venenatos morſus & aculeos peccati, mortis & Diaboli. 174

Hæc latius explicentur, & addatur illud quoque, II. quod Eccleſia in Spiritu Chriſtum ſuum Sponſum Canticorum c. 2, 5. *vocat ſimilem capreæ vel binnulo*, vel, ut in fontibus ſonat, ibici 1. *Ibex autem tantæ eſt pernicitatis*, & tantæ fortitudinis atquè audaciæ *in perſaltandis rupibus*, ut illas potius pervolare, quàm tranſilire videatur. *Chriſtus igitur in hoc loco dicitur binnulus ſaliens ſuper montes*, ſubſiliens ſuper colles. 2. Dictum enim eſt de cervis quod *acerrimè pugnent pro uxoribus*. Et quidem ille potitur rerum, qui reliquos omnes cervos vincit, & hæc ſua certamina inſtituunt in montibus. *Similiter igitur Chriſtus pro ſua Eccleſia ſuſtinuit certamina acria* cum Diabolis & morte æterna. 3. Atque ſicut *ſua certamina habent cervi in montibus: ita Chriſtus dicitur* ſubſilire ſuper colles, & *ſalire ſuper montes, hoc eſt, fatigari, propter peccata noſtra, quæ tanquam montes* eripiebant nobis gratiam Dei ex noſtro conſpectu, & dividebant inter Deum & homines.

III. *Sicut* autem multa ſunt in Chriſto, quæ ad Eccleſiam etiam, & ad ſingulos pios, tanquam ad membra Chriſti poſſunt accommodari: *ita Chriſtiani ſeu omnes pii* Pſal. 42, 2. *comparantur cervis*, ubi dicitur, quemadmodum cervus deſiderat ad fontes 175

aquarum, &c. *Poſſunt verò valdè multa recitari capita collationum inter pios & inter cervos.*

1. *Sicut* enim *cervus eſt placidus*, ſimplex & amans hominum: *ita Eccleſia*, quia accepit Spiritum comitatis & humanitatis, ab ipſo Chriſto ad manſuetudinem movetur.

2. *Sicut cervi* urgente vi canum aut aliarum beſtiarum ferocia, item exanimati metu, longo curſu defatigati, cùm jam deſumptæ ſunt vires, cum undique vident ſe cinctos hoſte, *ſua ſponte confugiunt ad homines: Ita Eccleſia in extremis periculis confugit ad DEUM,* & quaſi ſupplex agnoſcit ſua peccata, fatetur ſe pœnas meritam eſſe.

3. *Sicut aliàs cervi* & capreæ cum urgentur à venatoribus, *maximè loca alta petunt: Ita Chriſtiani cum anguntur, ſuſpiciunt in cœlum,* unde ipſorum auxilium appropinquat. *Sicut cervi* non demiſſis capitibus, ſed *ſublevatis audire poſſunt: ita Chriſtiani* peccata non animadvertunt, *niſi in Chriſtum & ejus mandata elevent mentem.*

176 4. *Et ſicut cervi* vulnerati jaculis *quærunt dictamnum: ita Chriſtiani* ſentientes dubitationes & inſultum Diabolorum, quærunt conſolationes ex verbo Dei.

5. *Sicut cervi* dicuntur fel habere in cauda: *ita pii* debent eſſe patientes injuriarum, non proni ad vindictam, neque facilè irarum frenos laxare.

6. *Sicut autem cervi* ſub arcturi ortum concipiunt, appropinquante hyeme: *ita quoque Eccleſia* magis eſt attenta ad verbum appropinquantibus calamitatibus.

7. *Sicut* eſt naturalis *ἀντιπάθεια* inter ſerpentes

&

& cervos: *ita Eccleſia* ſemper habet ſuos hoſtes, Tyrannos, hæreticos, carnis propriam imbecillitatem, mundum, Diabolum. Et *ſicut* fugiunt ſerpentes incenſis cornibus cervorum: *ita hoſtes* non armis corporalibus, ſed odore verbi Dei in fugam convertuntur.

8. *Atque ſicut agitati cervi incaleſcunt, glocitant,* & moræ impatientes quærunt fontes: *ita Chriſtiani exagitati* ab hæreticis & Tyrannis *properant ad petendum auxilium divinum,* & ad exercitia cultuum Dei, ſicut David ſæpè deſiderat unicum, quod petit à Domino.

9. *Atque ſicut cervi tranantes per flumina, ita ſeſe ordinant,* ut caput unius imponatur dorſo alterius: *ita alter alterius onera debet ferre.*

10. Denique *ſicut cervi grandia habent cornua,* 177 *ſed tamen homines non lædunt,* atque in perſecutionibus ſunt timidiſſimi: *ita quoque Chriſtiani* non debent confidere neque confugere ad humanorum præſidiorum fiduciam. Baſilius Magnus in Pſalm: Benedicam Domino in omni tempore, *non aliter* (inquit) *quàm cervus venenum ex antris trahit halitu ſuo, & purgat: ita quidam pii ſua converſatione alios à peccato retrahunt & convertunt.*

IV. Cum in *Cantico canticorum* Chriſtus & Eccleſia deſcribantur ſicut amicus & amica. Idcircò cervi ſunt etiam inſignia amicorum, quivis autem poterit collationum quædam capita reperire ex his, quæ hactenus ſunt recitata, & ea accommodare ad amicos.

V. Neque tantùm *amicitiæ, verùm etiam conjugii imagines ſunt cervi.* Porrò *ſicut* ſæpè cornua

cervis nihil proſunt: *ita* avaris nummi non proſunt, quia iis non utuntur. Item eodem modo præſidia humana ſæpè plus obſunt, quàm proſunt. Fidendum igitur eſt ſoli Deo.

VI. Tantùm illud obiter monendum eſt, quod Pſalm. 29, 9. *Deus dicitur perficere cervos,* id quod
poteſt explicari ex cap. 39. Jobi, *Ubi Deus quaſi ob-*
178 *ſtetrix cervarum dicitur curam gerere hujus animalis*
in partu tanquam medicus quidam, & perficere abortus cervarum. Referunt enim, cervam timidiſſimam eſſe, & tempore horrendi fulminis immaturum emittere fœtum, quem Deus dicitur perficere hoc in loco.

Sicut autem in illo ipſo Pſalmo Deus dicitur humiliare cedros Libani, hoc eſt, ſua Lege humiliare corda ſuperba: *ita* quoque dicitur perficere cervos, hoc eſt, timidos & deſperabundos voce Evangelii iterum conſolari. Sed de his ampliſſimis vix pauca dixiſſe ſufficiat.

Caput XVI.
DE SUE.

INitio ex Gramatica petendum eſt diſcrimen inter ſuem, aprum (ubi enim placitum eſt, ibi quoque ferum animal fecit Deus) verrem, porcum, ſcropham, quibus aliqui annumerant hyſtricem, licet hyſtrix videatur eſſe ex genere Erynaceorum.

Deinde ſicut hominem partibus externis referunt ſimiæ, *ita internis nullum animal homini tàm ſimile*

quàm

quàm porcum eſſe, inquit auctor libelli Galeno aſ-ſcripti de anatome parva. Suillæ etiam carnis cum humana ſimilitudinem ex eo colligere docet Conra- 179
dus Geſnerus ex Medicis, quod quidam carnes humanas pro ſuillis ſine ulla in geſtu vel olfactu ſuſpicione comederunt.

Sed his præmiſſis 1. patet, *hoc animal eſſe pilis* craſſioribus ſeu ſetis, & voraciſſimum, ingluvioſum, tantùm natum ad epulandum, unde etiam caput ipſius tantùm terram proſpicit, nunquam verò cœlum. Subinde igitur olfactu & rictu oris perquirit radiculas, oſſa, ſtercora, etiam cadavera ex purgamentis ædium atque aliis impuris locis inveſtigat, & quicquid repererit parum utile, deglutit.

2. *Calidiſſimum quoque eſt animal, ſed & ſimul humidiſſimum.* Unde crebrò in ipſius carnibus gigni ſolent grandines (Pfinnen) hoc eſt, eminentiæ ſubalbæ & duræ atque imprimis circa collum. Itaque lanii *num puri vel impuri ſint porci, ex inſpectione linguæ cognoſcunt*, in cujus inferiore parte potiſſimum proveniunt, & præſertim cum ſues ſunt humidiores, & nutriuntur ſiliquis, putrefactis putaminibus pomorum, &c. Fit quidem, ut tales carnes ſint dulciores & magis ſapidæ, ſed tamen etiam magis inſalubres.

Cognoſcuntur item, ſi ſetæ ex dorſo evellantur, quia in radice cruor conſpicietur. Glandes etiam ſolæ & diutius comeſtæ faciunt humidiores, ut & ſtabula 180
brevia, non pura, atque cum potus ſimplex ipſis præbetur non admixta aliqua parte ſalis. Sale enim & exercitiis ſeu diſcurſu per campos, probo cibo atque bene purgatis ſtabulis prohibetur vitium grandinum.

Noſtri lanii rarò ſuem eſſe ajunt, qui non aliquo vel epatis, vel pulmonis, vel alio vitio laboret. Splene ſæpiſſimè laborare perhibentur. Infeſtantur valdè à pediculis, quos capiunt corvi inequitantes: Major pars moritur dolore capitis, quæ eſt peſtis ſuum.

3. *Adeò totum objectum eſt hoc animal ad paſtum,* ut nullam norit ſatietatem, & ſupra modum repleatur, adeoque interdum pingveſcat, ut immobile reddatur, atque in clunibus ipſius mures ſibi comparent foveas, & ſaginentur pinguedine ipſius. Otto Melander in jocoſeriis habet: *In Arcadia eſſe ſpectatam ſuem, quæ præ pingvedine carnis non modo ſurgere non poſſet, ſed etiam ut in ejus corpore ſorex exeſa carne nidum feciſſet & peperiſſet mures. Hoc etiam in juvenca factum accepi,* inquit M. Varro citante Joh. Rivio Attendorienſi in libello de puerorum inſtitutione. Tantùm igitur ad eſcam eſt natum, & ſicut rectè dicitur: *Pinguis venter non gignet ſubtiles*
181 *ſpiritus,* ita hoc ipſum animal nullius eſt calliditatis, nec aptum ad ullos dolos, nec poteſt manſuefieri & aſſuefieri ad aliqua opera, ſicut Leones, Elephanti, urſi, cervi, equi, &c. Unde Cic. Sus qui habet, præter eſcam, cui quidem ne putreſceret animam, pro ſale datam, dicit eſſe Chryſippus. Porcelli æquè peregrinas ac proprias matres ſugunt, unde pice diſtingui ſolent.

4. *Admodum delectatur luto,* propter longum rictum, quo fœtorem diſperſum non ita percipit, neque poteſt ferre roſas & amaracum. Volutatio in luto eſt ipſi grata, hæc eſt ejus requies, ſicut lavatio homini, inquit Varro; Avibus cohortalibus uſitatum

tum

tum eſt pulvere vel cinere lavare. Sed rictu oris latiore eruit radices, & ex omnibus inquinamentis aptũ aliquot ſibi pabulum quærit, devorat etiam ſerpentes & cadavera reliquorum animalium, adde etiam cadavera ſui ipſius generis, quod non facilè reliqua animalia ſolent facere. Quin & nonnunquam proprios fœtus vivos devorat, vix relicto primogenito, adeò impatiens eſt famis, ut ne ſoboli parcat. Non enim eſt prodigium, quando ſus comedit fœtus proprios, ut qvidam ſomniant.

5. *Simul eſt libidinoſum & fœcundiſſimum,* atque à partu vehementer ſævit. Imprimis verò apri ad veneris libidinem ſunt inflammatiſſimi, adeò, ut non 182 tantùm inter ſe pugnent pro uxoribus, ut ſæpè uterque occumbat, verùm etiam in fœminam refugientem tanto conatu inſurgunt, ut quandoque enecent. Maximum enim eſt robur, ut Leonis: ita quoque apri eſt magna ferocitas, ita ut venatorem non tantùm poſſit proſternere, verùm etiam planè occidere.

6. Sus hybernum pilum ſicut reliquæ quadrupedes beſtiæ, nunquam amittit.

7. Hoc aliquid eſt in apris, *quòd* cum vident inſtare præſentiſſimam mortem, unum *ex venatoribus ſibi æſtimant, in quem ſummo impetu feruntur,* nusquam deflectentes, ſed potius in ipſum ferrum incurſantes.

8. Hoc videtur eſſe alicujus momenti, *quod cum læditur unus ex porcis atque grunnit, reliqui omnes accurrunt.* Reliquæ proprietates hujus animalis etiam vulgò ſunt notæ, nec indigent longa narratione. Nunc videndum reſtat, *quarum rerum imagines nobis proponantur in hoc turpi animali.* Etſi autem

valdè multæ poſſent recitari, non tantùm ex Sacris, verùm etiam ex profanis, *tamen brevitatis gratia duas inſignes eligemus*, unam ex veteri, alteram ex novo Teſtamento.

183 I. Levit. 11. & Deut. 14, 8. *interdixit Deus eſum carnis ſuillæ.* Cum igitur ſecundum omnes medicos caro ſuilla (modò non ſit vitioſa in ſuo genere) ſit ex numero præſtantiſſimorum ciborum, non immeritò quæritur, *cur Deus carnem tàm ſalubrem prohibuerit*, & quidem non tantùm carnis eſum, verùm etiam cadaveris contactum Levit. 11, 8. Deut. 14, 8. Eſ. 66, 3. *Sunt autem quatuor potiſſimum cauſæ hujus prohibitionis.* 1. *Ne amœniſſimi horti & agri referti oleis, aromatibus, vitibus, in illis locis per hanc vaſtantem beſtiam funditus delerentur & perderentur.* Solet enim hæc beſtia res pretioſas non tantum inquinare; ſed & diſcerpere, & radices eruere. 2. *Ne augeſcerent morbi in Judæis, qui aliàs erant proni ad lepram.* Hoc enim animal eſt grandinibus obnoxium: atque in male affectis corporibus facilimè putreſcit, præſertim quando malis cibis nutritur (obiter, Conradus Geſnerus, Atqui gallinæ præſertim albæ ſæpius apud nos grandineſcere reperiuntur.) 3. *Ut ex abſtinentia à carnibus ſuillis magis eluceret pietas & obedientia Judæorum & reverentia erga Deum.* Major enim eſt obedientia abſtinere ab utilibus & ſuavibus, quam ab inutilibus & inſuavibus. Non autem tan-
184 tùm levi pretio comparantur hæc animalia, verùm etiam carnibus & ſangvine ſuo proximè accedunt ad naturam humanam. 4. *Quartam cauſam recitat* Lactant. lib. 4. de vera ſapientia cap. 17. his verbis:

Eodem

Eodem ſpectat etiam carnis ſuillæ interdictio, à qua cum eos abſtinere Deus juſſit, id potiſſimum voluit intelligi, ut ſe à peccatis atque immunditiis abſtinerent. Eſt enim lutulentum hoc animal & immundum, nec unquam cœlum aſpicit; ſed in terra toto & corpore & ore projectum, ventri ſemper & pabulo ſervit, nec ullum alium, dum vivit, præſtare uſum poteſt ſicut cæteræ animantes, quæ vel ſedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plauſtra collo trahunt, vel onera tergo geſtant, vel indumentum exuviis ſuis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel cuſtodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo, ne porcinâ carne veſcerentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur, ne ventri ac voluptatibus ſervientes ad faciendam juſtitiam inutiles eſſent, ac morte afficerentur. Item ne ſe fœdis libidinibus immergerent, ſicut ſus, quæ ſe ingurgitat cœno, vel ne terrenis ſerviant ſimulacris, ac ſe luto inquinent. Luto enim ſe oblinunt, qui Deos, id eſt, qui lutum terramque venerantur. Hæc eſt expoſitio Lactantii. Itaque ſus cœlum non reſpicit, atque ſi maximopere grunniat, & tantum oculis re- 185 flectatur verſus cœlum, tacet, ex trepidatione cœleſtium ſeu inſolentiâ cœli. Sub arboribus veſcitur glande, ipſam verò quercum nunquam aſpicit, ex cujus frondibus decidunt glandes. Sic *ſolent avari & impii* frui bonis terreſtribus, ſed nunquam honorant arborem vitæ Chriſtum, autorem & datorem omnium illorum bonorum.

II. Phyſici ad modum ſuis parvæ frontis homines imperitos ut ſues vocant, ut & eos qui extremam naſi partem craſſam habent, inſenſatos, & nimis craſſo collo iracundos. *Tum in quotidiano ſermone,*

tum

tum paſſim apud auctores ſuibus conferuntur illi, qui peccatis ſeſe inquinant. Imprimis verò Matt. 7,6. *ipſe Chriſtus probibet, ne margaritas objiciamus canibus & porcis, canibus, id eſt, rabioſis perſecutoribus, porcis, id eſt, impuris, ſpurcis & perſeverantibus in peccatis contra conſcientiam.* Ne igitur Miniſtri verbi iſtorum ingratitudine deterreantur, & ſegniores reddantur, jubet Chriſtus his relictis docere reliquos obedientes. Ita peccatores præſertim Epicuræi, ebrioſi, & avari comparantur porcis, ſicut etiam fit. 2. Epiſt. Petri cap. 2. 22.

1. *Sicut* enim *porci ſunt beſtiæ ignaræ præ reliquis,*
186 nec habent ullam lucem mentis, qua diſtinguerent honeſta à turpibus, immò etiam nullius ſunt calliditatis, neque poſſunt aſſuefieri ad ulla opera ſeria vel ludicra: *ita impii iſti nihil ſolidè diſcunt de Deo,* non moventur concionibus Legis, contemnunt cœleſtem ſapientiam. Et hoc eſt, quod Chriſtus ait, occupationes hujus vitæ præcipuam eſſe unam cauſam, cur multi in pietate non proficiant.

2. *Deinde ſicut ſues tantùm appetitu ducuntur,* & perpetuò agunt vitam intemperantem, & ſaginantur ad proprium interitum: *ita* Jeremia teſte cap. 12, 3. *impii iſti,* qui florent in hac vita, & ſemper experiuntur proſperos flatus fortunæ, *ideo ſaginantur,* ut tandem mactentur, & peccatis pingues Diabolo devorandi objiciantur & aſſandi in æternum. Inſpiciantur exitus Sodomæ, Aſiæ, Græciæ, &c. *Sicut ſues omnia vorant circa diſcrimen,* etiam potum illum jucundiſſimum ducunt, qui in culinis colligitur ex omnium vaſorum mundatione: *ita impii* præſertim avari, & mundanis dediti undique corradunt per fas

fas & nefas pecuniam. *Sicut ſuibus exſcinduntur aliqui dentes*, ne nimium ſaucient alios: *ita impiis* repagula Legum ponenda.

3. *Sicuti ſues non poſſunt diſtingvere inter uniones & inter ſiliquas*, ſed utraque conculcant, immò plus comtemnunt uniones: *ita peccatores non diſtingvunt inter cœleſtia & terreſtria*, imò contemnunt cœleſtia & inhiant ſolis terreſtribus. 187

4. *Et ſicut ſues non poſſunt ferre roſas & majoranam: ita quoque odor vitæ* in verbo Dei eſt impiis odor mortis.

5. *Sicut ſues non tantùm lætantur & delectantur luto, verùm etiam ſtercoris* odorem judicant eſſe ſuaviſſimum: *ita impii peccata putant eſſe ſummas virtutes*, ſicut hodiè fermè in toto orbe ebrietas non pro vitio, ſed pro virili quadam fortitudine habetur. *Sicut ſus poſt mundationem redit ad lutum*: *ita impii* poſt ſimulatam pœnitentiam ad priorem vitam revertuntur. *Sicut ſues ſuo roſtro omnia polluunt* in ædibus; *ita impii* ſuis moribus nocent. *Sicut* mater ſus ſuos porcellos maturè educit ad ſtercora: *ita impii* filios ad eandem impietatem ſeducunt. *Sicut* ſue grunniente uno concurrunt omnes; *ita* impii taxati verbo contra Doctorem conſpirant. Aliqui tamen in bonam partem interpretantur; *Sicut ſue uno læſo* & grunniente *omnes veniunt: Ita uno dolente Chriſtiano* condolere debent omnes.

In ſpecie ex proprietatibus ſuis multæ poſſunt *accommodari avaris*. 188

1. *Sicuti ſues* nulli rei niſi *eſcæ colligendæ vacant*: *Ita avarus* nihil niſi bona hujus mundi quærit.

2. *Sicu-*

2. *Sicuti ſues* vix unquam ſatis *expleri poſſunt: Ita uſurariorum* & avarorum cupiditas inexplebilis.

3. *Sicut ſus* dum vivit, *nemini quicquam officiorum præſtat: Ita avarus* dum vivit, nemini quicquam prodeſſe ſolet. Avarus enim niſi cum moritur, nihil rectè facit.

4. *Sicut ſues* in magna fame *nec propriis fœtibus parcunt: ita avari* ſuis uſuris ſæviunt non tantùm in peregrinos, ſed & in proprios cognatos & amicos, nullique parcunt.

5. *Sicuti ſus* ad quemvis pulſum in janua ſtabuli factum, *metuit & grunnit: ita divites* avari quævis etiam minima metuunt, unde ipſorum divitiis poſſit contingere diminutio.

6. *Sicuti ſues ſemper grunniunt*, etiam inter edendum: *ita ſuis rebus timidè*, & non niſi cum dolore, fruitur avarus.

7. *Sicuti ſue uno grunniente & patiente omnes concurrunt*, mox tamen obliti planctus redeunt ad cibum vel lutum: *ita in avaris* & uſurariis non ſunt ſolidæ ϛοργαὶ, non ſolida charitas Chriſtiana.

189 8. *Sicut ſus horrendum grunnit*, cum mactari debet: *ita avarus* vehementiſſimè extimeſcit mortem.

9. *Sicut autem ex mactata ſue parantur farcimina*, quæ hinc inde pueris diſtribuuntur, & ſimul transmittuntur vicinis & amicis, quibus cum gaudio illi omnes fruuntur: *ita non niſi mortem exſpectant avari quotidie hæredes*, ut bona, quæ fraudando genium reliquit, hinc inde dividant cum gaudio ſæpenumerò prodigi.

10. *Sicut* ſues non amittunt hybernum pilum; *ita luxuri-*

luxurioſi & impii nunquam exuunt pravos mores, imò *ſicut* ſus poſt balneum redit ad volutabrum: *ita impii* poſt hypocriticam pœnitentiam redeunt ad ingenium. Sed *ſicut ſues*, cum reflectuntur verſus cœlum, tacent & quieſcunt à grunnitu: *ita impii* non quærunt Deum in ſilentio & in ſpe, niſi morbis, fame, bellis & ſimilibus cladibus coërceantur & compellantur.

CONCLUSIONIS loco illud quoque obſervetur, quod Pſalm. 80, 14. *hoſtes Eccleſiæ & Tyranni comparantur apris vaſtantibus vineas. Solet aper limare ſuos dentes*, & tanto cum impetu ferri in venatorem, ut niſi calliditate ſibi conſulat, actum ſit de vita ipſius venatoris. *Tanto etiam cum impetu ducun-* 190
tur hoſtes & Tyranni adverſus Eccleſiam, frendentibus dentibus quaſi acuentes ipſos. *Xenophon, Oppianus, Pollux & alii ſcribunt*, adeo fervidam & æſtuoſam eſſe hujus feræ naturam, ut cum ad terram procumbit debellata à canibus, dentes ipſius inflammato anhelitu tantopere igneſcant, ut ſi quis de cervice ſetam detractam & ad ejusdem etiamnum ſpirantis dentem admoverit, candens in orbem contrahatur ac aduratur, item ſi eo dente canes inſectantes attigerit, ut ſtatim ignita veſtigia pelli ipſorum imprimantur. *Sicut* igitur tanto cum fervore hoſtem perſequitur & conficere molitur aper: *ita* quoque venenata & crudeliſſima ſunt omnia Tyrannorum adverſus Eccleſiam conſilia: hujus rei exemplaria licet cernere in hodiernis Jeſuitis, qui jurarunt perniciem temporalem pro ſe & pro poſteris ſuis toti Lutheranorum populo. *Quemadmodum* verò apri ſunt ex genere ſuum: *ita* quoque plerique Tyranni avaris,

avaris, Epicureis, voluptuariis ſeſe commiſcent. Sed *ſicut* urina tam gravis eſt apro, ut niſi exeratur, fugæ non ſufficiat, ſed velut devinctus opprimatur: *ita* Tyranni quamdiu retinent urinam peccatorum, non poſſunt effugere vindictã Dei. Et *ſicut* aper ſuos mor-
191 bos curat per hederam: *ita* Tyranni non niſi verbo Dei poſſunt ſanari. P*oſſet aper etiam eſſe imago iracundi hominis. Sicut aper* tandem præ iracundia in *venabulum irruit: ita in fervore iræ multi talia ſuſcipiunt*, quæ ipſis inconſideratis extremum exitium afferunt.

Matth. 8, 28, & ſeqq. *Diaboli egreſſuri ex obſeſſo petunt à Chriſto, ut liceat ipſis migrare in porcos*, Hinc inſtituatur illa collatio, quod Diaboli libenter migrent in porcos, hoc eſt, *quod ingrati homines perſeverantes in ſuis ſceleribus, helluones, fiant domicilia diabolorum*. Et *ſicut Gadareni petunt à Chriſto*, ut exeat ex ipſorum finibus, ne amplius amittant ſuos porcos: *ita multi malunt retinere pingues Præbendas*, honorem, dignitates, quàm admittere Chriſtum & veritatem, & propter eam pati. Sed de his breviter.

CAPUT XVII.

DE VULPE.

V*Ulpes animal etiam notiſſimum, imprimis inſtructum eſt tribus inſignibus vitiis, quia eſt doloſum, deinde crudele, deniq; guloſum*. Animal eſt odio dignum propter rapinam, deſpectum propter infirmi-

infirmitatem, incautum ſuæ ſalutis, dum inſidiatur alienæ, *inquit Ambroſius in Hexaëmer.* Et eodem ingenio præditæ videntur vulpes & muſtelæ, præſerſertim majores ut Martes, Ictis, &c. Eſt & marinum 192 animal vulpes, piſcis ſic dictus, ſimiliter ut terrenum animal hoc ſolers & fraudulentum.

Porrò quod hoc noſtrum animal *ſit doloſum*, illud ex tot Apologis conſtat, tantum in hoc ipſum confictis, ut quocunque ſaltem modo oſtenderetur, quàm nequam & verſutum ſit hoc animal, & poſtea melius patebit. *Quod ſit malitioſum*, inde patet, quia omnis ipſius calliditas tendit ad pernitiem reliquorum animalium. *Quod ſit guloſum*, inde patet, quia noctes & dies prædis inhiat, neque poteſt ſaturari. Hæc tria inſignia vitia accommodantur ad hypocritas, Luc. 9, 58. Atque imprimis ad Herodem Luc. 13, 32. *Euntes, dicite vulpi huic.*

Vulpes igitur animal eſt valdè aſtutum, ſed tamen noxia calliditate præditum.

1. *Enim*, quando videt inſequentes canes, *caudam inter crura recolligit ſuam.*

2. Caudam habet nimis magnam, & valdè piloſam, non carnoſam & corpulentam, & quæ nullam habet proportionem ad caput. *In hac dum canes ſeſe rapere putant carnem, os pilis replent & obturant.*

3. Quando videt, ſe non poſſe evadere, *in cauda villoſa urinam recolligit, quæ præter modum eſt fœtida*, & ſic ſuper canes inſequentes illam fundit, cum autem canes non poſſint ferre fœtorem illum, aliquantulum coguntur ceſſare. 193

4. Cum videt extrema inſtare pericula, *nates canum*

num laniat, ut copioſiſſimus effluat ſangvis. Scit, enim illam partem tactam maximè dolere.

5. *Echinos*, quos non poteſt robore aliquo capere, *arte ſuperat*, & efficit, ut ſupini procidant, quod ubi factum fuerit, ventrem petit.

6. *Etiam piſcibus inſidiatur* oberrando juxta ripam, & caudam immergendo in aquam, quam poſtea, cum villis ipſius involuti ſunt piſces, repente attrahit.

7. *Cum vexatur multitudine veſparum, in locum concavum ſeſe abdit*, ſaltem cauda forinſecus extenta. Poſtquam igitur veſpæ ſeſe implicuerunt caudæ, ad murum ſeu ad arborem fugit, easque ibi perfricat, excutit, & mortuas devorat.

8. *Cum eſurit*, neque tamen aliquid commodè poteſt accipere, & videt prætervolantes aves, *mortuum ſeſe fingit hoc animal*, & ſic ad ſeſe allicit aves, ut deſcendant tanquam ad cadaver, quas demum arripit.

194 9. *Noctu ex campis clanculum ſeſe proripit, eò, ubi ſcit locum habere gallinas, anates, anſeres* &c. talesque aves mira calliditate decipit & necat, exedere ſolet & lambere mulctras, & ſimilia, quæ reperit in ædibus hortulanorum. Quin & interdum leporibus ſtruit inſidias, veſcitur etiam muribus, non comedit, de gallinis, niſi prius omnes jugulaverit, eſt communis hoſtis pavonum, columbarum & omnium ferè avium, item leporum, cum quibus ſe ludere velle fingit, unde pauci ſunt lepores ibi, ubi abundant vulpes. Notus eſt Apologus de vulpe in veſtitu religioſo concionante advenientibus anſeribus & gallinis.

10. *Non capit cibum in conſpectu hominum*, ſed clàm in occulto, & in abſentia hominum.

11. *Nun-*

11 *Nunquam rectis incedit itineribus*, ſed ambagibus utitur tortuoſis, unde etiam videtur eſſe dicta *vulpes* quaſi *volvipes*.

12. *Semper claudicat*, quia ipſius crura dextra ſunt breviora ſiniſtris.

13. *Animalia domeſtica magis rapit* & devorat, quam ſilveſtria.

14. *Anhelitum habet valdè fœtidum*. ſicut etiam graveolentam urinam, morſumque venenatum, & reddit loca, in quibus habitat, ſterilia & deſerta. Ergo ore & ano fœtet.

15. *In neceſſitate fingit & ſimulat ſeſe domeſticam*, 195 manſuefactam & mitem, ſed noctu oblata aliqua opportunitate repetit ſilvas, præruptos montes, vineas, in quibus habet ſua luſtra, circa quæ plerumque ſeptem aditus ſolet præparare, ut poſſit fallere venatorem.

16. *Amicitiam colit cum ſerpentibus*, ſicut etiam ambo hæc animalia gaudent cavernis. Vulpes tamen habitat in foveis, non quas ipſe paravit, ſed à taxo vel mele effoſſas dolo occupat. Illo enim abſente aditum ſuo excremento coinquinat, reverſus alter & fœdi odoris impatiens foveam deſerit, quam mox vulpes occupat. Interiores etiam cavernas, quæ multos habent exitus, procul inter ſe diſtantes incolit, ne circum exitum unum poſitis venatorum inſidiis comprehendatur. Fovearum vulpis mentionem facit Chriſtus Matth. 8, 20. Luc. 9, 58. *Vulpes foveas habent, & volucres cœli nidos, at Filius hominis non habet, ubi caput reclinet.* Serpentes, Simiæ, & Vulpeculæ, & quæcunque mala machinantur,

tur, exilibus ſunt oculis, oves & boves & hujusmodi ſimplicis ingenii, aſpectu amplo.

Item *familiaritatem colit cum corvo*, quia Oeſalo vulpi eſt inimicus evellens ipſius pilos, occidens ca-
196 tulos. Quoties igitur Oeſalo pugnat cum vulpe, corvus illi fert auxilium. Et raro capitur gravida, & ſuos fœtus editos in lucem mirificè abſcondit, annoſa raro capitur laqueo, immò nec alia iterum capitur laqueo, nec facilè corrumpitur munere vel objecta ave.

17. *Tandem ſolet etiam hoc animal cumprimis comedere cadavera*, unde Pſalm. 63, 11. David imprecatur hoſtibus, qui in vanum quæſiverant animam, *ut introeant in inferiora terra, & tradantur in manus gladii, & fiant partes vulpium.* Etſi enim *Origenes*, ut ſolet, *vulpes interpretatur de Dæmonibus*, quorum partes erunt impii, tamen *rectè illa ipſa accommodamus ad temporalem pœnam*, qua gladium ſubeunt malefici manifeſti, ita ut ipſorum cadavera objiciantur beſtiis terræ. *Huc pertinet*, quod Pauſanias in Meſſenicis commemorat de *Ariſtomene Meſſenio à Lacedæmoniis capto* & *capitis damnato. Pro more enim fuit conjectus in foveam, ut ibi præ fame interiret, ſicut in illam ipſam foveam alios maleficos præcipitabant, & fame enecabant. Cum igitur ipſe triſtis jaceret, & lentam mortem expectaret, vidit clam & ſenſim appropinquantem vulpeculam, & devorantem cadavera. Statim igitur ipſe vultum veſte ſua velavit, donec etiam ad ipſum accederet vulpecula, devoratura ipſius quoque carnes, quaſi rata*
197 *ipſum extinctum eſſe. Accedentem manu altera comprehen-*

prehendit & fortiter continuit, ſed altera, qua veſtem tenebat, ſeſe contra morſum muniebat. Dum vulpeculam fugientem violenter inſequitur, quam tamen altera manu tenet, ſimul ducitur per cuniculos occultos, & tandem ad anguſtum aliquod, ſed longum foramen, per quod aliquid luminis cœleſtis intromittebatur. Cumque ipſe per illud exire non poſſet, liberam dimiſit vulpeculam, & ſuis manibus foramen dilatavit, & ſic incolumis rediit ad ſuos. Cum autem Lacedæmoniis hoc narrarent, vivere Ariſtomenem apud ſuos, pro miraculo habebatur, quaſi ex mortuis reſurrexit. Plinius: *Vulpes* ajunt, *ſi ederint amygdalas amaras, mori, niſi è vicinia aquam lambere contingat:* Ita hæretici veritate tacti confunduntur. In Thracia per glaciem itura applicat aurem, & cum percipit ſtrepitum labentis aquæ, regreditur in terram, quod non ſatis firmam deprehendat glaciem. Vulpes rabiens eadem mala infert, quæ carnis rabioſus. Verùm de his & aliis ſat multis proprietatibus hujus verſuti, indomiti, feri, & plerumque in deſertis locis habitantis animalis, plura experientia & lectio auctorum ſuppeditabit. Thren. 5, 18. *Super montem Sion, qui deſolatus eſt, ambularunt vulpes.*

Etſi verò ab hoc animali auctores paſſim pulchras 198
& multas mutuò ſumunt imagines, tamen brevitatis gratia hoc ſaltem libet admonere, *quod calliditas noxia vulpis ſit egregium Symbolum & exemplum aſtutiæ in Diabolo, & omnibus organis ejus, Tyrannis & hæreticis,* hypocritis, impiis, uſurariis, &c. Quanta enim ſit calliditas in diabolo, transformante ſe in angelum lucis, præſtat potius tacere, quàm paucis ſaltem

ſaltem exponere, ſicut de Carthagine inquit *Orator.* Tantùm cogitetur, quibus fraudibus pellexerit primos parentes, quâ aſtutiâ aggreſſus fuerit ipſum Chriſtum, quibus dolis circumveniat quotidie tum alios homines, tum imprimis ſecuros, quomodo decipiat veneficas, quibus pollicetur facultatem diteſcendi, producendi pluvias & fulmina, & corradendæ pecuniæ. Verùm non tantùm hac in parte ipſas deludit & fruſtratur, verùm etiam tandem animas perdit avocatas â Chriſto, nec ſufficit ipſi perdere animas, quin & circa finem vitæ ipſas deſerit, & cum in captivitatem conjiciuntur, nec fert, nec poteſt ferre ipſis auxilium, quod antea fuerat pollicitus, ſed facit ut corpore & anima ſint miſeræ.

Judicum 15, 4. ſeq. Simſon trecentas vulpes, binas atque binas caudis colligatas, & adjectis titioni-
199 bus emittit in ſementa, & agros ſuorum hoſtium. Etſi verò aliqui in dubium conantur hoc vocare: *Primò* quod tot vulpes non potuiſſet colligere Simſon. *Secundò* quod licet collegiſſet tot vulpes, tamen caudis titiones non potuiſſet adjicere, & caudis iſtorum animalium accendere ſegetes. Verùm ad utrumque reſpondetur, & *ad primum quidem* ex Æliano referente, *quod circa Caſpium mare tanta ſit frequentia vulpium, ut etiam oppida ingrediantur, neque noceant hominibus, ſed aliquantulum adulentur.* Atque ſicut noſtris vineis apri magna ſolent inferre detrimenta, ita olim in Judæa vulpes hoc ipſum faciebant, ſicut apparet ex cap. 2, 15. Cantici canticorum: *Capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit. Ad ſecundum reſpondetur,* quod ſimile exemplum extet in

in profanis autoribus, de vulpibus immiſſis in ſegetes, cum face ardente apud Ovid. in 4. Faſtorum.

Cur igitur miſſa junctis ardentia tædis
Terga ferant vulpes, cauſa docenda mihi eſt.

Et paulò poſt:

Is capit extremi vulpem in convalle ſalicti,
Abſtulerat multas illa cohortis aves.
Captivam ſtipula fœnoque involvit, & ignes
Admovet, urentes effugit illa manus.
Quà fugit, incendit veſtitos meſſibus agros,
Damnoſis vires ignibus aura dabat.
Factum abiit, monumenta manent, nam dicere certam
Nunc quoq; lex vulpem Carſeolana vetat.
Utque luat pœnas, genus hoc, Cerealibus ardet:
Quoque modo ſegetes perdidit, illa perit.

Sed his relictis *Simſonem poſſumus interpretari veracem doctorem,* qui totus eſt in illo, ut Eccleſia floreat, ſed vulpes poſſumus *dicere hæreticos,* qui caudis ſunt conjuncti, hoc eſt, in eo conveniunt, ut vaſtent & diſſipent Eccleſias, ſed capitibus diſtant, hoc eſt, opinionum varietate mira laborant, diſſentiunt, atque omnia faciunt ad interitum ſegetum. Vulpes igitur Simſon colligat, hoc eſt, oſtendit verus Doctor, in turbando convenire hæreticos, ſed in reliquis diſſentire.

Nehem. 4, 3. *Cum Judæi redeuntes ex captivitate iterum inciperent extruere Templum atque hoc audirent vicini hoſtes Ethnici, ita dixerunt: Si aſcenderit vulpes, tranſiliet murum eorum lapideum, vel, ut in fontibus habetur, ſuffodiet murum eorum.*

 Quem-

Quemadmodum igitur hoſtes Iſraëlitarum putant, tam imbecilles eſſe muros, qui extruuntur à Judæis, adeò ut à vulpibus, nedum ab apris, poſſint devaſtari:
201 ita quoque inimici Eccleſiæ videntes extrui Sancta ſanctorum, hoc eſt, prædicari Evangelium, & cogi cœtus ſanctos, putant facilimè poſſe fieri, ut calliditate Philoſophiæ deſtruatur, & refutetur ſapientia divina. Id quod imprimis factum eſt in primitiva Eccleſia, ubi Patribus multum fuit negotii cum Philoſophis.

In Cantico cant. 2, 15. *ſicut etiam* Ezech. 13, 4. *mali Prophetæ & hæretici comparantur vulpibus,* & pulchrum eſt, quod dicitur in Cantico: Capite nobis vulpes parvulas, quia demoliuntur vineas, nam vinea noſtra floruit. *Origenes vulpes intelligit diabolos. Sicut enim vulpeculæ veſcuntur botris,* hoc eſt, tum depopulantur vites, quando incipiunt prima germina producere, quæ adhuc valdè ſunt imbecillia: *ita diaboli* ſolent in antris latitare & inſidiari gallinis Evangelicis, pravis cogitationibus extinguere florem virtutum in omnibus hominibus, & præſertim juvenibus, quando prima jaciunt fundamenta de vita honeſtè tranſigenda. Exemplis poterat hoc latè demonſtrari, quomodo ex inſtinctu hujus hoſtis juventus amet potationes, picturas & cantationes obſcœnas, otia illiberalia &c. Ita ut revera dictum ſit rectiſſimè à Patribus: multorum juventu-
202 tem ſacrificari diabolo, & optimam illam partem vitæ peſſimè agendo labi. *Talem igitur vulpeculam parvulam nemo poteſt capere niſi filius Dei,* unde ſeriò invocandus eſt, ut juvenilem vitam gubernet & illuſtret Spiritu ſancto ſuo. *Tunc autem capitur vulpes,*

vulpes, quando eſt parvula, hoc eſt, maturè ſuccurrendum eſt pravis cogitationibus, antequam in habitum prorumpant, juxta illud: Principiis obſta, &c. Nam & in hoc ipſo loco Cantici valdè pulchrè dicitur, tunc capiendas eſſe vulpes, quando hyems tranſiit, imber abiit, vox turturis audita eſt, & flores protulerunt fructus ſuos, quando vinea floret, &c. Deinde paſſim pii patres per vulpes parvulas intelligunt hæreticos, qui ſolent devaſtare vineas, id eſt, Eccleſias. Sicut enim hoc loco non nominantur Leones, aut Tygrides, aut Pardi, aut Urſi, *ita quoque Eccleſia nunquam tantùm nocuerunt aperti* & potentiſſimi hoſtes, Principes & Imperatores & Tyranni, per quos fuſus eſt ſanguis Eccleſiæ, quin potius in talibus perſecutionibus maximoperè crevit Eccleſia, ſicut dicitur:

Sanguine fundata eſt, Eccleſia, ſanguine cœpit,
Sanguine ſuccrevit ſanguine finis erit.

Deinde ſicut vulpeculæ habitantes in luſtris ſeu foraminibus vineæ, plurimum nocent vitibus: *ita* quæcunque unquam Eccleſiæ maximum intulerunt da- 203
mnum, ex ſinu ipſius prodierunt. *Semper etiam Eccleſia eſt ſicut Joſeph, qui venditur à propriis fratribus, ſicut Simſon, qui proditur à propria uxore, ſicut Chriſtus, qui hoſtibus traditur à proprio diſcipulo: Ita Eccleſia multum patitur ab iſtis, quibus ſuppeditat neceſſarium victum, ut Joſeph fratribus afferebat cibum, deinde ab iſtis, quos defendit, & quibus omnia arcana concredit, & qui norunt hortos ipſius, ſicut Judas hortum, ubi Chriſtus ſolebat orare. Tertiò, ſicut* vulpes *ſua calliditate tot infert damna*, & vineis, & hortulanis: *ita nunquam plus nocetur Eccleſiæ,*

quàm calliditate argumentorum, qua ſeducunt hæretici tenera corda in prima flore, ne poſſint pervenire ad frugem, ſed emarceſcant, dum meſſis eſt in herba. Valdè multis exemplis hoc poterat dilatari, plurimorum hæreticorum, qui mirabiles ſtrophas excogitarunt. *Et ſicut vulpes vel ſeptem aditus ſolet habere ad ſuum luſtrum: ita hæretici in omnes partes ſeſe torquent. Sicut etiam vulpes in neceſſitate ſimulat ſe domeſticum: ita quoque hæretici ſæpè imitantur ſermonem veræ Eccleſiæ.* Cujus *egregium exemplum* habemus in hiſtoria Eccleſiaſtica tripartita *de Ario*, qui ſimulabat ſe unum & idem ſentire cum Orthodo-
204 xis, & ut in communionem Eccleſiæ reciperetur, ſubſcribebat Symbolo Nicæno, & decretis Concilii Nicæni. *Utebatur autem his verbis: Sicut ſubſcripſi, ita quoque credo: ſed habebat ſub axillis ſuam impiam confeſſionem domi à ſe ſcriptam cum ſuo ſubſcripto nomine.* Verùm *tales vulpes capiendæ ſunt*, id eſt, veris argumentis refutandæ, dum ſunt parvulæ, antequam adoleſcant, ubi caudam ſuam ſtercore & urina ſolent conſpergere, & fœtidum habent anhelitum, & morſum venenatum, id eſt, ubi ſuis falſis dogmatibus tanquam peſtilentiali halitu infinitos inficiunt & enecant, & reddunt loca ſterilia, id eſt, vaſtant Eccleſias, & tamen habent caudas valdè piloſas, id eſt, ſunt magniloqui. Amicitiam etiam gerunt cum corvis & ſerpentibus, id eſt, cum Diabolo & organis ejus. *Pulchrum autem hoc eſt, quod Miniſtri verbi comparantur venatoribus vulpium, quos oportet eſſe induſtrios, & callidos, & malis nodis quærere malos cuneos.* Verùm ipſi tantùm parvulas vulpes capiunt, quia magnas nemo poteſt capere, niſi ipſe ſpon-

ſponſus Eccleſiæ, qui in hoc Cantico deſcribitur, h. e. Filius Dei. Proverbium Germanicum, Endes Haas und Fuchs ſeyn/ ſignificat ab uno hoſte unicè peti & ſemper divexari, Aliud item: Wer einen Fuchs fangen will/ der muß keinen Schöps hinter das Garn 205 ſtellen. Durp nodo durus quærendus eſt cuneus. Sed de his non ex dignitate, ſed vix breviter.

Caput XVIII.
DE FELE.

T*Radunt quidam, quod olim apud antiquos non ita fuerint manſuefactæ feles*, ut inter homines viverent, ſicut hodie faciunt, ſed ruri degerint, & fuerint feroces, adeò ut adhuc hodie, ſi in ſilvas veniant, ibique commorentur, fiant ſæviſſimæ, perſequantur & capiant lepores & cuniculos. *Verùm quam naturam hodie habent, illam etiam olim & ſemper habuerunt feles.* Singulis enim indidit in prima creatione naturas, & ingenia ſua Deus. Porrò ſilveſtres quaſdam feles non negamus, quas in Helvetia ab Hominibus comedi, refert Conradus Geſnerus. Eratq; olim felis una ex præcipuis Deis Ægyptiacis, & refert Diodorus Siculus atque Strabo, lib. 27. quod tempore Tyberii in Ægypto propter unam felem interfectam viciſſim perierunt 7000. Romanorum, qui erant præſidiarii in Ægypto. Sed his miſſis, *Leoni aut potius Leænæ non abſimile eſt hoc animal quoad faciem, dentes & ungues.* Sed auriculas rotundiores habet felis, quam leæna. *Color* feli agreſti tantum 206 gri-

griſeus, glaciei vehementer congelatæ ſimilis, domeſticæ color varius, ita tamen, ut griſeus convenientiſſimus naturæ ipſius videatur. *Oculi* cattorum noctu lucent & in cavernis mures vident ſuis quaſi vitreis & carbunculoſis luminibus, id quod hyænis & veſpertilionibus etiam uſu venit. Dicuntur *orbes oculorum* ad lunæ motum majores & minores fieri. Hodie utcunque interdum doceatur tenere lychnum ſub cœna, vel aliud quippiam facere, tamen facilimè mutat mores, & redit ad ingenium, viſoque mure relinquit officium. *Hincortum eſt proverbium, Felis ſponſa, quod extat* apud Gregor. Nazianzenum in lib. Cygneorum carminum, ſub titulo de Epiſcopis, cujus explicationem ſubjicit his verbis: *felem in thalamo nuptiali fabula collocat, tanquam ſponſam, cultu ſponſalitio exornatam. Ea verò cum murem in medio procurrentem vidiſſet, ſponſa quidem erat,* ſed *felis. Nam in murem conſpectum irruens cœnam minimè nuptialem ſumſit.* Tales ſunt omnes doctores ſpurii & adulterini,&c. Hæc Nazianzenus, loquens de ſcribis & equitibus, qui tandem facti fuerant Miniſtri verbi, & ſubinde redibant ad ingenium, exercentes injuſtitiam, libidinem, &c. Ibidem oſtendit
207 negligentiam hominum in eligendis Epiſcopis (*nummos exploramus, aquila ſuos pullos provocat; equos generoſos quærimus, antiſtites non quærimus, recipimus qui fuerunt ſcribæ.*)

2. Ælianus lib 7. cap. 40. *de animalibus refert, quod felis mas ſit libidinoſiſſimus, cum contrà fœmina ſit temperantior, & fœtuum ſuorum amantiſſima.* Mas igitur libidinis œſtro accenſus domibus relictis vagatur, fugit fœmina maris conſuetudinem, cùm,

quia nimis eſt libidinoſus, tùm quia ſemen emittit calidiſſimum, & propè ignitum, quod uterus fœminæ non poteſt ferre. Hoc cum noverit mas, omnes catulos ſolet interimere, unde fœmina permota majore deſiderio novorum fœtuum mari morem gerit. Valido autem clamore advocatur, & tempore coitus mas imprimis fit ſævus, ut pugnet pro fœminis, unguibus & morſibus graviſſimè lacerans alterum. Dum autem unus ab altero ad pugnam provocatur, proprias quasdam horrendas ſeu diras audire ſolemus voces. Et hæc quidem *ab aliquibus* ita diſputantur: *alii verò docent*, utrumque ſexum æquè libidinoſum eſſe, à fœmina provocari marem, & marem impatientem pugnare adverſus peregrinum marem, indeque iſtos oriri clamores.

3. *In juventute hoc animal valdè eſt laſcivum, agile & jucundum*, velox ſcandendo, reptando atque ſaliendo, inſiliens in omne illud, quod videt moveri, ludens etiam cum calamis & baculis ante ſe protractis, ſed in ſenectute redditur ſomnolentum & ignavum. *In provincia, quæ dicitur Malabar, reperiuntur tantæ agilitatis, ut inſtar ſciurorum volent, quemadmodum & refert Jul. Cæſ. Scaliger.* 208

4. *Munditiei eſt ſtudioſum*, unde ſubinde ſeipſum lambit, abhorret idem ab omni tetro odore, unde etiam ſua excrementa ſub terram occultat, pedibus prius facta fovea. Plinius addit cauſam, ideò hoc fieri, ne odore prodatur muribus videlicet.

5. *Noctu diſcurrit* per omnes angulos, quia acutiſſimo viſu eſt præditum, & acutius videt noctu, quàm interdiu. Valdè verò intemperans eſt circa cibum, cujus etiam gratia non infrequenter in pericula incidit,

dit, imò nec alias ideò diu vivit. Fornaces & calida loca amat, unde ſæpè pellis ipſius exuritur, purè & molliter cubare ſtudet; Amat tamen domos, in quibus educatur, & redit ad eas, licet dominos novos accipiant ædificia, contra canes amant dominos, non domos.

6. *Non tantùm diſcurrit, verùm etiam ex* omni-
209bus, quæ præterit, ore aliquid *lambit & carpit.*

7. *Eſt valdè mordax,* maximè lædit nares hominum, graveolentus ille odor, quem felis ſolet emittere, præſertim ſi mingit, unde in proverb. abiit, poſt *ſe felem relinquere odorem ſeu fœtorem.* Eſt enim hoc calidiſſimum animal, unde etiam pelles ipſius calorem optimè dicuntur fovere. *Gravi igitur calore ex ſeſe gignit fœtorem illum, ſolet tamen eſſe tenuiſſimus, & acer ſimul.* Sunt igitur aliqui, *qui tenuem & acrem felis halitum non poſſunt ferre,* etiamſi felis includatur, ut non veniat in ullius conſpectum. Nam cum inſpirant vel attrahunt halitum quamvis ſubtilem, ibi confeſtim irritatur corporis temperamentum ab hac qualitate felis alienum, adeò, ut largiſſimus proveniat ſudor, neque ipſi quieſcere poſſint, donec felis, licet non appareat, tamen è medio removeatur. *Cauſa verò hujus accidentis ſeu diſſidii eſt,* quod mater gravida à felibus abhorruerit, unde in ſobolem propagatum fuit qualitatis illius inimicæ odium.

8. *Quod calidisſimum ſit hoc animal,* etiam hinc patet, quia cum ab alto cadit, tamen pedibus excipitur propter caliditatem, ex qua oritur etiam quædam levitas, vix unquam læditur in caſu.

9. *Quod*

9. *Quod munditiei ſit ſtudioſum*, hinc quoque patet, quia domi ſe continet, quando pellis exuritur. Evagatur verò, ut conſpiciatur, ſi pulchram habuerit pellem. Anhelitum habet valdè noxium, unde quibus in lecto accubare ſolet, ii ſæpenumerò gravibus infeſtantur morbis. Mordet enim ſerpentes & bufones, & tempore peſtis in alienis ædibus peſtilentem haurit aërem. 210

10. *Cum quibus gerat inimicitiam, notisſimum eſt.* Prius autem odore percipit mures, quàm viſu, & invadit etiam ipſos, antequam videat, & ſæpè cum cœpit, ludit cum ipſis, ſed finito ludo devorat. Inde aliàs dicitur *catus quaſi aſtutus.* Simili modo inſidiatur avibus, delectatur etiam piſcibus, ſed tamen refugit aquam.

Hæ ſunt præcipuæ proprietates notiſſimi animalis, *quod cum nemine rectius confertur, quàm cum adulatoribus;* & quæ vitia plerumque ſunt conjuncta cum calumniatoribus. 1. *Sicut* enim *vulgatum* eſt hoc animal, *ita frequentisſimum* eſt genus adulatorum, & calumniantium. Deinde 2. *ſicut feles noctu diſcurrunt* per omnes angulos ædium, nec etiam parcunt Templis & imaginibus collocatis in Templis, Baruch. 6, 2. ſunt rapaces & furaces, *ita quoq; calumniatores ſunt curioſi,* inquirunt in aliorum vitam & mores, & undique aliquid rapiunt, quod poſ- 211
ſint exagitare. 3. *Sicut multi non poſſunt ferre* feles: *ita multis bonis calumniæ* ſunt graviſſimum onus. 4. *Sicut autem felis propriam graveolentiam non ſentit,* ſed alios fœtores non poteſt ferre: *ita quoque calumniatores* aliorum vitia traducunt, propria ſua tegunt. 5. *Sicut felis leviter gaudet tra-*

ctari

ctari manu & molliter per caput mulceri, & ſeſe applicat manibus tangentis, ireque & redire ſub manus ſolet, & proclivis eſt ad ludum: *ita paraſiti calumniatores gaudent habere*, ſimiles libenter auſcultantes & amicos. 6. *Et ſicut propter unam felem interfecta* ſunt aliquot millia hominum: *ita magnates potius defendunt* adulatores, quàm alios bonos. 7. *Sicut item felis pro Deo colebatur* apud Ægyptios: *ita* calumniatores & adulatores in pleriſque aulis primas tenent partes, ſicut dicere ſolebat Menander. 8. Sed *Sicut felis fœtorem ex ſe mittit*, ex quo cognoſcitur: *ita plerumque calumniatores* juſta Dei ſequenti pœna ex malo aliquo fructu tandem agnoſcuntur. 9. Verùm *ſicut* multorum temperamentum irritatur fœtore felis: *ita* ſæpè calumnia non quidem corpus, ſed animam commovet. Cætera capita collationum cuivis poterunt eſſe obvia.

CAPUT. XIX.

212
DE LEPORE ET CUNICULO.

Lepus animal eſt notum, & inſigni velocitate præditum, unde etiam dicitur quaſi levipes, omnia enim levitati apta inſunt lepori. Caput agile, breve, rotundum, longitudine idonea, *aures* ſublimes, *corpus* non magnum, nunquam pingveſcens, & aures regunt currentem, non cauda, ut in aliis, gradientem nemo videt, ſed ſemper ſaltantem etiam in otio: habet

habet *pilos*, qui plumas ovium mollitie ſua imitantur. Vulpes tamen celeritati ipſius opponit dolum contrarium, quia in medio curſu fingit ſe deſiſtere, & quieſcit etiam parumper, ſed mox nihil timentem acrius inſectatur usque ad ipſum cubile. Facilius autem aſcendit montem, quam deſcendit propter poſteriores pedes longiores. Difficilius etiam capitur contra montem, quam contra vallem. Ideoque de monte deſcendens non æqualiter continuat curſum, ſed oblique circuit montem. Interruptam ejus velocitatem hoc quoque auget, quod pedes ipſius ſunt piloſi, ne lædantur inter currendum.

2. *Timidiſſimum hoc eſt animal, ſicut omnia, quæ habent magna corda, immò etiam ſtrepitu frondium* 213
terretur, ſicut Nazianzenus in diſtichis, & hîc rectè locum habet illud, *degeneres animos timor arguit*, Animalia fortia vocem edunt gravem, taurus, canis: timida acutam, cervus, lepus. Vulturem & aquilam metuit lepus, ut & vulpium inſidias. Nihil eſt in lepore, quod alicujus inſignis virtutis commendationem mereatur.

Ut tamen natura, ut loqvuntur Philoſophi Ethnici, hoc eſt, ut ſentiendum nobis eſt, Deus aliqua ſaltem ex parte recompenſaret illud, quod deeſt leporibus, *prudenter auribus longis voluit ipſos valere*, ut imminentes inſidias ex longinquo poſſent perſentiſcere. Statim igitur inſtante periculo velociſſimè fugit, & quidem tanta celeritate continuat curſum, ut ſæpè in medio fugæ exanimetur.

Imò propter metum ſeipſum conjicit hoc animal in periculum. Pro curſu enim ſuo venatori facit indicium niduli ſui, ſicut ſorex etiam ſuo indicio ſe pro-

 dit,

dit, & ſæpè homines ſtulti agnoſcuntur ex prolato ſermone ſtulto. Lepus quidam agitatus decidit in mare, & fuit laceratus à piſce, qui canis marinus vocatur: Bove & cancro & teſtudine nemo leporem venabitur, ſicut nunquam indoctus vincet doctum:
214 tympano quis facilius venabitur leporem, ubi proverbium habet locum: Er ſtehet einem bey/ wie der Haas beym Trommelſchläger: Er bleibet bey ſeinen Worten / wie der Haas bey ſeinen Jungen. Mortuo tamen Leoni & lepores inſultant, ſicut Iliad. X. Hectorem ab Achille interfectum circumſiſtunt Græci, mortuo inſultantes, nec quisquam erat, qui extincto non aliquod vulnus infligeret.

Illud etiam argumentum eſt timiditatis in lepore, qui fugit loca frequentata ab hominibus & beſtiis, & libentius degit in ſolitudine. Rectè igitur Lyſander jubebat ſuos milites eſſe bono animo in oppugnatione Corinthi, quando in mœnibus videbat diſcurrere leporem. Fieri enim non poterat, quin non ſæpius adſcenderent Spartani mœnia, neque in illis habuiſſent exercitia militaria, & per conſequens non eſſent boni milites. Et fortaſſe tum primo natum eſt illud, *quod inſalubre eſſe putant, cum peregrinantibus per transverſum occurrit lepus.* Significare enim voluerunt illa loca eſſe deſerta, & per conſequens commoda latronibus.

3. *Infirmis oculis præditus eſt lepus,* neque etiam clauſis palpebris dormit, unde proverbium eſt natum, *vivere vitam leporis* hoc eſt, *verſari in perpetuo*
215 *metu,* ne quidem in ipſo ſomno ſecurè dormire.

4. *Fœcundiſſimum eſt hoc genus,* & ſolum ſuperfœtat, id eſt, alios quidem fœtus educit, & continuò

habet

habet alios in utero, quia, ſicut pulchrè quidam apud Herodot. ratiocinatur, provida natura, id eſt, Deus voluit iſta in immenſum augeri, quæ pluribus eſſent utilia, contra rara eſſe illa voluit, quæ potius noxia eſſent, ut leones, lupi, urſi. Et ſit hoc animal præda reliquorum omnium, non tantum hominum, verùm etiam beſtiarum. Quò magis capiuntur lepores, eò ſolent plures fieri, quia ex locis, in quibus ortum ſuum acceperunt, non diſcedunt, unde neceſſe eſt alios aliis relinquere ſpatia. Olim eſus hujus animalis credebatur efficere pulchros, ſicut eſt apud Martialem, & quidem pulchros credebatur reddere per 7. dies, quod eſſet caro melancholica, boni ſangvinis, unde inter quadrupedes prima gloria ipſi dabatur. Martialis:

Inter aves turdus, ſi quis me judice certet,
Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Verùm nulla bona cauſa reddi poteſt, cur leporis eſus faceret pulchros.

5. *Libidinoſiſſimum eſt hoc genus*, & ſemper exercet libidinem, & imprimis in Januario, & ſi prohibeatur à Venere, proprios filios devorat, quos nuper peperit. 216

6. *Aliqua tamen caliditas ipſi eſt inſita*, quia per hyemem ponit ſuum cubiculum in ſulcis agrorum, ad circa appropinquantem meſſem abdit ſeſe in vineis, poſt meſſem, ubi uvæ incipiunt matureſcere, verum diſcedit ex vineis. Semper autem dum pabula quærit, una & eadem viâ exit & redit etiam. Eâdem quidem viâ itque reditque, ſed non rectâ viâ, verùm per ambages, neque tranſit per ſpinas, quibus

 capilli,

capilli poſſent adhæreſcere, & ex horum odore à canibus inveſtigaretur. Fœmina quoque enixa catulos multis in locis illos diſpertit & abſcondit, atque imprimis reformidat accipitres. Tum aliàs tum inter venandum flexuoſo curſu utitur, ut decipiat canes, & ut turbet veſtigia. Non autem inſectantur homines hoc animal, quod noceat, ſed ut in Proverbio dicitur, *Lepus pro carnibus periclitatur, id eſt, propter carnes, unde poſtea aliud naſcitur proverbium: Lepus tu es, &c. id eſt, ipſe habes bona, quæ petis ab aliis, ac ſi lepus bonis carnibus conſtans tales ab aliis peteret.* Neque lepus eſt incerti ſexus, modo mas modo fœmina, ſicut quidam falſò putare exiſtimantur, ſed omnis eſt, ſi res rectè obſervetur, unius certi
217 ſexus, prohibitus tamen ab ipſo Deo, forſan quia caro eſt nimis melancholica, deinde quia pios homines non decet eſſe timidos in cultu divino exercendo.

Similis lepori eſt *cuniculus, minor tamen eſt, ſed fortior lepore,* & quaſi animal ſemiferum, quærit antra ſub terra, & excavat terram ſub montibus, ſicut Martialis inquit:

Gaudet in effoſſis habitare cuniculus antris,
Monſtravit faciles hoſtibus ille vias.

Et Pſalm. 104. v. 18. *hoc ipſum dicitur:* Solet autem loca excavata æquare pulvere, ne perveſtigentur. Manè & veſperi prorepit, atque in veſtibulo antri ſedens circumſpectat. Urgentibus autem canibus confeſtim penetrat in cavernas, nec extruditur, niſi intromiſſis viverris, quæ generi cuniculorum ſunt infeſtæ.

Tanta

Tanta autem copia cuniculorum eſt in quibusdam locis Hiſpaniæ, ut interdum meſſem devaſtent, ſicut Inſulam Carpathiorum aliquando depopulati ſunt lepores propter nimiam fœcunditatem. Apud Plinium M. Varro auctor eſt, à cuniculis in Hiſpania ſuffoſſum oppidum.

Verùm quarum rerum imago ſit propoſita in leporibus, cuilibet manifeſtum eſt, nempe ſtultorum & fatuorum, atque timidorum hominum, unde in veteri 218
fabula introducuntur lepores dominantes, & præſcribentes decreta leonibus, à quibus tandem dilaniantur lepores. Significatum fuit, ſæpè timidos Principes & duces imperare ſævis & ferocibus ſubditis, à quibus etiam evertantur ipſi duces: Aut ſæpè timidos verbi miniſtros concionari magnatibus & potentibus, & veritatem occultare. *Talus leporis,* der Haſenſprung/ officulum in genu poſteriore vel ſuffragine potius, quod geniculi patella eſſe videtur, videlicet quod ea parte, ceu baſi inter ſaliendum nitatur.

Imprimis verò notandum eſt illud, quod Prov. 30. v. 25. 26. dicitur: *Quatuor ſunt minima terræ, & ipſa ſunt ſapientiora ſapientibus: formicæ, populus infirmus, qui præparat in meſſe cibum ſibi: lepuſculus (intellige cuniculos) plebs invalida, quæ collocat in petra cubile ſuum: regem locuſta non habet, & egreditur univerſa per turmas ſuas: Stellio manibus nititur, & moratur in ædibus regis.* Quibus verbis ſapientiſſimus Rex nihil aliud indicare voluit, quàm illam incogitantiam, & perverſitatem naturæ humanæ, ubi homo quidem & perpendere, & æſtimare poteſt ſuas vires, & non ignorat ſua vitia vel imbecillitatem, & tamen poſtea in vita quotidiana ad illam ſeſe non

accommodat. *Beſtiæ enim parvæ norunt ſuam infir-*
219 *mitatem, & idcirco quærunt latebras aptas, non ſuſcipiunt majora viribus, non committunt ſeſe mutabilitati fortunæ, quia formica maturè ſibi proſpicit de cibo, lepus propter timiditatem non amat frequentata loca, ſed ſolitudines & petras, locuſta propter imbecillitatem tranquillè vivit, nec ut muſca petit homines, quia periculum non poſſet effugere, denique aranea artem quam tenet, exercet.* Hoc igitur eſt eſſe ſapientiorem ſapientibus. 1. *noſſe ſuas* vires & ſuam imbecillitatem. 2. *nihil ſuſcipere ſupra ſuas vires, neq; tamen indulgere ignaviæ,* & propter imbecillitatem aliquam abſtinere ab omnibus. *Homines ſciunt, ex ebrietate ſequi multa mala, ut etiam ex otio & ex contentionibus, & ex bellis, & ex ſeditionibus, neq; tamen conantur fugere ebrietatem, otia & reliqua.* Lepus cum deſit ipſi fortitudo, nihil movet, formica cum non ſit dives, ſtrenuè laborat. Plutarchus dicit, nullum animal parvum magno alicui tam ſimile eſſe colore, auribus, oculorum tum pinguedine, tum ſalſedine, atque eſt lepus aſino. Et in Sympoſiacis lib. 4. quæſt. ult. dicit, ideo forſan Judæos abſtinere à lepore, quod & abſtineant ab aſino lepori ſimilimo. Sed præceptum divinum exſtat Levit. 11, v. 5. & Deut. 14. v. 7. *Etſi enim Lepus ruminat,*
220 *tamen non habet pedes biſculos ſeu digitatos.* Et imprimis mores leporinos prohibitione carnis leporinæ DEUS prohibere ſtuduit. In exercitu Xerxis, adverſus Græcos apud Herodotum numeroſiſſimo, equa pariens leporem, portendit maximorum conatuum Xerxis infeliciſſimum exitum. Sed de his ſatis.

CA-

Caput XX.

DE LUPO.

L*Upus* etiam *notum eſt animal, & canibus quoad figuram admodum* ſimile. *Fere omnia, quæ leo, habet lupus,* ſed pleraque hic minus, ille magis, tamen lupus improbior eſt & magis inſidioſus, teſte Albero. Admodum autem eſt notus ab ignobili ſuâ naurâ, à robore, à velocitate, à ferocitate, à rapacitate, ab odio adverſus oves, à crudelitate, & imprimis à fraudulentia, valdeque ſunt pauca, quæ qualemcunque in ipſo alicujus virtutis commendationem haberent.

Et 1. quidem quod attinet *ad robur, quicquid pede terit, illud non poteſt vivere.* Quid? quod etiam agnum armis ſuis gerere poteſt, & tamen fugit paſtorem, omneque periculum effugit.

2. *Ferocia & rapacitas & voracitas in ipſo valdè eſt inſignis.* Cum exit prædatum, dentes ſolet acuere herba qualam, origano: Famem autem diù poteſt tolerare, ſed poſt longa jejunia nimis multum devorat, & quod devoravit, citiſſimè concoquit. Cauſa verò maturæ concoctionis eſt, quod inſigni conſtat calore, & inteſtina habet non ita ſpinoſa. Etiam liberis ſuis præripit prædam, quam ipſis attulerat mater lupa. Hoc cum optimè noverit lupa, prædam conquiſitam ſolet occultare, lavare item os ſuum, ne à colore ſanguinis prodatur. Nihilominus tamen cùm vacuus redit lupus, cogit lupam, ut prædam occultatam demonſtret, & exhibeat. Crudelitas etiam ex hoc conſtat, quod nihil tàm appetit atq; cruorem. 221

3. *Fraudulentia verò hujus animalis longè eſt major, quàm fuerunt ulla praecedentia ſcelera.* Animalia enim cornuta invadit à tergo, ne poſſint ſeſe defendere contra manifeſtas injurias. Præterea ventriculum ſolet replere terra, ut ita fiat gravior & oneroſior, nec facilè excutiatur, ſed fortius reſiſtat. In prædis item invadendis, hoc obſervat, ut noctu graſſetur, & præſertim circa tempus antelucanum, ubi minus poteſt conſpici à beſtiis & hominibus, ſicque
222 minus incidit in inſidias hominum, ipſius verò oculi ſplendent etiam in mediâ nocte, & lucem quandam ejaculantur, & viſu ita valent, ut etiamſi luna non luceat, tamen noctis profundiſſimas tenebris vincant.

4. Mirabilis eſt *ἀντιπάθεια inter hominem & lupum*, quia vox deficit hominem, ſi lupus ipſum prius conſpexerit, & vice verſa lupus dicitur deponere ſuam ferociam, ſi homo prius ipſum videat. Etſi verò aliqui hujus rei cauſas inquirunt in ſpiritibus lupi valdè ardentibus & exeuntibus in corpus hominis, tamen hoc non ſatis eſt, & adhuc ſub judice totum negotium relinquitur. Utrumque fabuloſum eſſe dicit & probat Camer. in ſucciſ. c. 23. vide etiam Scal. de ſubtil. ad Car. 344. exercit. ſect. 1. ibid. dicit Cam. quod nec lignum nec ferrum, ſed lapidem metuit lupus vehementer, & putreſcit ea parte, qua lapis eum tangit, unde ſtrepitu lapidum abigitur longiſſimè, ſicut latrantes canes citius lapidibus, quam ſtrictis gladiis abegeris. Porrò caulas ingreſſus lupus, non tantùm illas oves necat, quæ ſatis eſſent ad ventrem ipſius, ſed etiam niſi impediatur, totum gregem jugulat.

5. *In ſummâ fame ſolet comedere terram*, alias etiam

etiam non capere prædas in illa vicinia, in qua nutrit ſuos fœtus, ne excitet & provocet homines con- 223
tra ſeſe. Amans enim eſt ſobolis ſuæ, & tunc maximè ſævit, cum nutrit catulos. Quin & in periculis maturè ſibi conſulit fugâ, & repetit ſilvas ante clamorem, & ſecum defert ſuos fœtus.

6. *Noctu acceſſurus ad ovile, & ad caulas incedit contra ventum, ne ſi ſecundo vento decurreret, canes ipſius odorem ſentirent, & latratu ſuo proderent.* Si inter inſidias pes ipſius aliquis alliſus fuerit, & fecerit ſtrepitum, morſu quodam ipſum vehementer punit.

7. *Lapides plurimùm metuit*, unde attritu lapidum audito in fugam conjicitur, ſilvas repetit, etiam flumina tranat, & cùm multi tranant, ſeriatim hoc faciunt, quia omnes ſequentes mordicus apprehendunt caudas præcedentium.

8. *Ut Capras poſſit capere, ſub frondibus ſolet deliteſcere*, & quidem prædæ inhians rictum latiſſimè ſolet diducere ſicque accurrere, adeò, ut ſi ſpe ſua fruſtretur, nihilominus obambulet hiante ore. Ut plurimum aliquot lupi inſtar latronum collecti graſſantur, adeò ut lupi ſint vera imago latronum. Et apud Atticos Lege publica talentum decernebatur illi, qui interfeciſſet unum catulum lupi, ſed duo ta- 224
lenta, qui adultum necaſſet, qui imprimis humanæ carnis ſolet eſſe avidus, & imprimis fœtuum in utero. *Lupini autem catuli etſi pecora nondum dilaniarunt, tamen jugulantur propter metum ſecuturæ crudelitatis.* Cumque ſcortatores & meretrices divinitus paupertatis malo puniantur, ſicut dicitur, *in domo adulteri paupertas*, unde impulſi tales malefici, furari & graſ-

graſſari ſolent: *Idcirco lupi & lupæ ſunt etiam imagines ſcortatorum & meretricum, & meretrices dicuntur lupæ, ſicut Romulus & Remus tanquam duo ſpurii ſunt nutriti à lupa, id eſt, à meretrice; qua de re legatur Lactantius lib. 1. cap. 20. de vera ſapientia.*

Porrò 9. *Partem prædæ ſepelire ſolet lupus,* & cum eſurit, repetere.

10. *Mirabilis eſſe ἀντιπάθεια perhibetur inter oves & lupos,* tum in vita, tum poſt mortem, Pediculoſa fit illa pellis ovium, quam mordet lupus. Atque fides lupinæ & ovinæ in inſtrumentis muſicis ſemper diſſidere dicuntur, neque unquam concordare. Lupinæ etiam pelles abſumere ſeu vitiare ovinas feruntur pelles, atque tympana obducta lupino corio, diſrumpere alia tympana obducta ovino corio ſaltem nudo ſonitu. An verò hæc omnia ſeſe ita, & cur
225 quædam ita ſe habeant, in loco de ovibus dicetur.

11. *Lapidem & gladium vehementer fugit,* unde venatores ſolent ſecum portare ſilices, & conſpecto lupo ſcintillas excutere, quibus viſis fugâ ſibi conſulit graſſator. Ita quoque gladii ſplendorem ferre non poteſt.

12. *Si eqvus calcaverit veſtigia lupi,* confeſtim reddi dicitur torpidus. Si equa lupum aut lupi veſtigia calcaverit, abortire dicitur. Inde in Hieroglyphicis Horopollinis abortientem mulierem ſignificantes, equam, quæ lupum conculcet, pingunt. Imò ſi vel mortui inteſtina condita ſentiat, mox dicitur deponere generoſitatem apud Camerar. lib. 1. ſuccis. 23.

13. *Gratitudinis tamen ſtudioſum eſt hoc ipſum animal,* quantumvis admodum rapax. Refert Bonfinius

nius

nius de quodam lupo capto in venationibus, qui liberabatur à quodam interveniente homine, qui pro multis ſolitus fuerat ſpondere. Cum igitur venator ex joco ſaltem diceret, nunquid etiam pro hoc vellet ſpondere, ipſeque annueret, factum eſt, ut dimitteretur lupus. Hic igitur poſtea ſui ſponſoris ædes diligenter obſervavit, & ex campis equos & vaccas ad illas ædes compulit. Adeò etiam ferociſſima animalia benefactorum memoriam diligenter ſolent conſervare. Lupus etiam inter medios greges ſa- 226
tur non lupus, ſed agnus videri poteſt. Coit cum canibus in Cyrenenſi agro, teſte Ariſtotele. Dicuntur prædam inter ſe ex æquo lupi quandoque dividere, nonnunquam lupus & canis confœderati noctu ſimul caulas ingrediuntur. Tauro, aſino, vulpi eſt hoſtis, ut & capræ lupus.

Ferè omnia, quæ leo, habet etiam lupus, ſed pleraque hic minus, ille magis, moribus tamen lupus improbior eſt, & magis inſidioſus, *teſte Alberto. Ad hoc genus animalium poſſunt referri lupi cervarii*, qui ab aliquibus dicuntur lynces, deinde hyænæ. *Lupus cervarius* inde nomen habet, *quod ſit extremus hoſtis cervorum*, & rapacitate proximè accedat ad lupum: acerrimè autem mordet hoc animal, invadit & interficit ipſum etiam lupum, & quandoque leonem minus generoſum, eſt perſpicaciſſimum, unde perſpicaces vocamus lynceos, ſed tamen in magna fame ſi quid comederit & ſaltem reſpexerit, obliviſcitur prædæ, progreditur, & aliam quærit.

Hyæna ſimilis eſt lupis, & ſtabulatur in mortuorum ſepulchris, eruit & conſumit cadavera, id quod eſt imago illorum calumniatorum, qui bonis viris nec

poſt

227 poſt mortem quidem parcunt,ſed famæ ipſorum labeculas adſpergunt. Noctu ſolet adire ſtabula ovium, & diligenter addiſcere dicitur non tantùm voces ſive graves,ſive acutas, quibus utantur paſtores, verùm etiam nomina perfectâ imitatione reddere. *Evocat igitur paſtores ſuis nominibus, & evocatus dilaniat, id quod etiam canibus ſolet accidere, quos itidem evocat Hyæna.* Sic Pontificii ſolent ſubmittere Bibliopolas cum libellis ſuſpectæ religionis ad proceres,ut ſi hos emiſſent, ſtatim hæreſeos accuſarentur: Fœmina hyæna longè callidior eſt, quàm maſculus, nec patitur obſervari ſuos greſſus, & locum ubi requieſcit, & quicquid tangit, illud ſtupidum reddit, etiam venabula & arma venatoribus excutit. Phil. Cam. hor. Succ. 1. cap. 28. Fabula de Anglia, quod lupis caret, inde nata eſt. *Cum enim ovibus multum noceant, & ex pannorum artificio Anglia victitet, vita donata fuit maleficis, quotquot lupum inveſtigaſſent.* Sed de his ſatis.

Quod ad proprietates applicandas aliis rebus attinet, in lupis propoſitæ ſunt nobis inſignes imagines, non dicam *latronum & graſſatorum,* quorum tamen etiam ſimulacra hic continentur, ſed imprimis *Diaboli, Hæreticorum, denique Tyrannorum.*

228 *Ac* I. *quidem Joh. 10. v. 12.* Chriſtus cum lupi mentionem facit in parabola paſtoris & ovium,ipſum Diabolum ſignificare videtur.

Nam 1. *ſicut lupus graſſatur* in perniciem beſtiarum & hominum: *ita Diabolus eſt infeſtiſſimus hoſtis* totius generis humani.

2. *Sicut lupus non poteſt repleri: ita crudelitas Diaboli* & rabies ipſius eſt inexſatiabilis.

3.*Sicut*

3. *Sicut lupus acutiſſimis oculis* eſt præditus, ut etiam nocte intempeſta optimè videat; præterea *ſicut lupus famelicus per noctem prædam* etiam quoad dimidium milliare Germanicum ſuo odoratu *perſentiſcit: Sic Diabolus* tot annorum experientia & ipſo uſu factus eſt nequior & acrior, atque optimè perſentiſcit, quosnam ad quæ peccata impellere debeat.

4. *Sicut lupi interdum totas oves devorant*, nonnunquam tantùm carnes: *ita Diabolus* interdum alicujus facultates corporales, interdum ipſam vitam, interdum valetudinem lædit ex permiſſione divina, interdum verò, ut in impiis, & corpus & animam in extremum exitium perducit.

5. *Sicut lupus ſimul eſt aſtutiſſimus: ita quoque Diabolus* totus conſtat ex fraudibus: *lupus* inſidiatur gregi præcipuè *nubilo tempore*, & nebuloſo, ut magis lateat: *ita Diabolus in calamitatibus* omnes ma- 229
ximè ſolet homines adoriri, & ſuam in ipſis vim experiri. *Lupus incedit pedetentim*, ac ne inceſſus ipſius audiatur, ſæpè *lingva ſua pedes lambit*, & ſic lubricos reddit: *ita Diabolus non animadvertitur inter homines*, & magis clam ſeſe inſinuat quàm ſolis radius. *Præterea cum capræ ſua natura ſint laſcivæ*, & ſues minores ſeſe non poſſint defendere: idcircò lupus auricula comprehenſa, quaſi ludibundus eas à via ſeducit, & ſecum abducit currendo. Renitentibus clunes cauda ſua ſolet ferire, ita ut miſera pecora ipſo etiam lupo interdum celerius currant, & hac ratione ad ſocios lupos prædam expectantes perveniant, ubi ſtatim miſerabiliter dilaniantur. *Refert Albertus, viſum fuiſſe lupum porrigere frondem & ramos ſalicis ſuo ore, ut ita capras his frondibus gaudentes*

inesca-

ineſcaret. Nulla autem poteſt eſſe magis expreſſa imago fraudis Diabolicæ, quâ Satan inſidiatur miſeris hominibus, & operam dat, ut à viâ veritatis & ſanctitatis abducantur, unde ipſis ſæpè occaſiones objicit, ac blandos ludos exercet, ut hac ratione in æternum exitium præcipitet. *In tauro circumveniendo non minore dolo utitur lupus.* Neque enim à fronte audet ipſum adoriri, quia metuit cornua, unde ro-
230 bur ipſius declinare ſtudet, & veluti rectâ viâ contra eum pugnaturus, præ ſe fert minas, & oculis illius crebro ſeſe offert, ſed paulò poſt ſubito convertens greſſum in dorſum inſilit, eique acerrimè incumbit, & ut ſupra dictum eſt, ventriculum replevit terra, ut fieret onuſtior, & hac ſuæ naturæ aſtutia infirmitatem corporis compenſaret, & taurum expugnaret. Quovis verò modo errantem vitulum & inſidiosè capere ſolet. Natibus ènim arreptum trahit, qui tamen renititur, & interim multa pugna editur, dum lupus hunc expugnare, vitulus verò reſiſtere conatur. Tandem dum ita pertinaciter vitulum repugnare videt, renitentem ipſum ſubitò remittit, adeò ut vitulus retrorſum recidat in dorſum. Tunc igitur lupus impetu facto ventrem ejus lacerat, & laceratum conficit. Planè eodem modo Diabolus peculiaribus fraudibus aggreditur adultos & juniores, ſæpeque vi quadam tentationum, & impetu miſeriarum pios etiam magno robore fidei præditos tamen ſuperare ſtudet. Sed cùm viribus ſuis nihil efficit, dolis à tergo utitur, & ſæpè quaſi victus retrocedit, & incautiores nova fraude interimit. Id quod multis exemplis debebat illuſtrari.

6. Sicut

6. *Sicut Lupus ſi prior hominem viderit, vocem ei eripere dicitur*, ne poſſit clamare: *ita Diabolus ſuis inſidiis*, quas novit occultare, hominem incautum & nihil tale metuentem invadens, facilimè victoriam & triumphum de ipſo agere poteſt. 231

7. *Verùm ſicut homo ſi prior viderit lupum*, vocem & audaciam ipſi adimit: *ita pii homines*, qui metuunt tentationes diabolicas, & ſeſe præparant adverſus illas, piâ precatione & ſuſpiriis tanquam clamoribus facilimè poſſunt Diabolum in fugam conjicere.

8. *Lupus magnoperè metuit ignes & gladios: ita Diabolus* ſcintillas ſeu lucem verbi, & pias preces, quæ ſunt arma Eccleſiæ, unde rectè dicit Chryſoſtomus: *Non tam terribiles ſunt lupis gladii, quàm Dæmonibus preces piorum.*

II. *Hæreticos videmus eſſe comparatos lupis quia Actor. 20. v. 28. dicitur, poſt diſceſſum Pauli venturos eſſe lupos graves, non parcentes gregi, & Matth. cap. 7. v. 15. jubemur cavere à Pſeudoprophetis, qui veniunt in veſtitu ovium, ſed intus ſunt lupi rapaces.* Quo in loco ad Epithetum diligenter eſt reſpiciendum, quia non nominantur generaliter lupi, ſed lupi rapaces. Sunt enim aliqui aliquibus rapaciores. In Ægypto & Africa perhibentur lupi adſtare littoribus, & 232 à piſcatoribus, petere partem prædæ. Contra ab Oppiano & ab aliis Eruditis commemorantur quædam ſpecies luporum, qui dicuntur ἅρπαγες, ſeu raptores lupi, ſeu circi. Tales lupi ſunt velociſſimi omnium, ſummo mane exeunt venatum, & prædas invadunt cum horrendo impetu, ſubinde eſuriunt, plerumque habitant in montibus, & hyeme tanta ſunt impu-

impudentia, ut ad urbes veniant, in quibus placidè & humiliter incedunt, donec videant capram vel aliam prædam, quam corripiunt & auferunt. *Huc videtur reſpexiſſe Patriarcha Geneſ. 49. v. 27. cum inquit: Benjamin lupus rapax ad matutinam comedit, & ad veſperam dabit eſcam.* Etſi verò aliqui hæc interpretantur de avaritia Benjamitarum, tamen res non videtur congruere, cum Benjamitæ non adeò fuerint crudeles, & quid hoc eſſet, capere prædam. Qui enim capit, etiam retinet. *Sancti igitur Patres ſentiunt, hic contineri prædictionem de Paulo Apoſtolo, qui fuit ex tribu Benjamin. Hic enim manè, hoc eſt, in juventute, verè fuit rapax, ſeu crudelis lupus, ſed in adulta ætate, tanquam ad veſperam dedit eſcam, id eſt, Evangelii vocem tanquam cibum vitæ latiſſimè diſtribuit inter Ethnicos.* Sed
233 his præmiſſis jam quilibet poteſt inſtituere collationem inter hæreticos & lupos, repetitis capitibus primæ collationis inter Diabolum & lupum. 1. *Sicut* enim lupi dicuntur *adimere hominibus vocem: ita hæretici* piis eripiunt puritatem doctrinæ cœleſtis, & invocationem Dei, tantumque crepant magnalia, ſicut ſemper apud hæreticos plus eſt religionis, quàm pietatis.

2. *Sicut in lupo tanta eſt voracitas & crudelitas,* ut non ſolùm, quod ad ventrem ſatis eſt, interficiat, ſed niſi impediatur, totum gregem paſſim proſternat: *ſic Hæretici* non quærunt unius atque alterius hominis perniciem, ſed totius Eccleſiæ vaſtitatem.

3. *Sicut lupus callidiſſimus eſt,* & initio tacitè caulas circumit, ut prius exploret, quid agant canes, num dormiant, num abſit Paſtor, vel num ſit deſidioſus, & dum

dum videt occaſionem eſſe commodam, immani crudelitate irruit, & omnia replet ſanguine: *ita hæretici* antequam manifeſtos errores proponant, *prius ſe inſinuant in animos hominum,* utuntur hypocriſi atque Sophiſtica, ſimulant pietatem & humilitatem & angelicam ſanctimoniam, jactant peculiares illuminationes, & colloquia cum Deo. Poſtquam igitur occuparunt ita plebis animos & auctoritatem ſibi compararunt, tandem palam ſuos horribiles ulula- 234
tus & impios errores ad perniciem univerſæ Eccleſiæ proclamant.

4. *Sicut manere dicitur naturalis ἀντιπάθεια inter lupum & ovem etiam poſt mortem;* ita ut pelles ovium generare dicantur pediculos: *ita quoque hæreticorum doctrina,* & morſus nocet Eccleſiæ, etiamſi moriantur hæretici.

5. *Sicut lupus in periculis fugâ ſibi conſulit* ante clamorem: *ita hæretici* ingruente perſecutione maturè aufugiunt.

6. *Sicut apud Atticos lege publicâ* præmium decernebatur infectoribus luporum: *ita quoque omni laude digni ſunt,* qui hæreticorum ſtrophas diſſolvunt.

7. *Sicut item lupus* ſua ſpe fruſtratus obambulat hianti ore: *ita hæretici* ſitiunt ſanguinem illorum. *Et ſicut* lupini catuli jugulantur, licet nulla pecora adhuc laniârint, *ita quoque* hæreticorum diſcipuli ſunt compeſcendi.

III. *Quod in Eccleſia ſunt hæretici, illud in Rep. ſunt Tyranni,* qui ideò nominabantur Lycaones, & Poëtæ fingunt principes propter ſævitiam mutari in lupos. *Ezech. 22. v. 27. tales lupi dicuntur rapere*

235 *prædam populi, & Sophon. 3. v. 3. idem dicitur. Facilimum autem eſt* ſtudioſis ex hiſtoria hactenus recitatâ inſtituere collationem inter lupos & Tyrannos, ideò ad ſequentia tranſire libet. Fabulam de hominibus, qui mutentur in lupos, aut in alia animalia, nunc non libet prolixè tangere. Fruſtra citatur exemplum Nabuchodonoſoris pro λυκανθρώποις iſtis fictitiis, cum ex textu Danielis nihil aliud elicere liceat, niſi quod intellectum ipſi ademerit DEUS ad tempus, & quod habitatio ipſius fuerit cum beſtiis, quodque gramina inſtar bovis comederit, unguesque ipſius creverint inſtar avium, *Dan. 4, 30.*

Tyrannus ab Athenienſibus petiit, ut dimitterent Oratores. Tunc enim ſeſe pacem cum ipſis initurum. Reſponderunt Athenienſes hoc Apologo, lupos obtuliſſe ovibus pacem, hac cum conditione, ſi dimitterent ipſæ oves ſuos canes. Rectè taxarunt Tyrannum illi, quia tunc fuiſſent ut nudi agni inter lupos, ut Luc. 10. v. 3. dicitur, *Converſio malorum indicatur per cohabitaturos agnos & lupos allegorice.* Eſa. 11. v. 6. & 65. v. 25.

Ezech. 22. v. 27. Tyranni in populo Iſraëlitico comparantur lupis rapacibus, quod ſubditos exhauſerant nimiis exactionibus. Eas exactiones Principum in populo Iſraëlitico immoderatas Scriptura
236 ibidem non ſimpliciter furta, ſed rapinas vocat, Eſa. 1. v. 23. & 3. v. 14. & 10. v. 2. Ezech. 22. v. 25. 27. 29. Mich. 3. v. 11. Soph. 3. v. 3.

Caput. XXI.

DE CANIBUS.

Animal hoc notiſſimum inſignibus quibusdam virtutibus eſt conſpicuum; fidelitate, amore erga Dominos, conſtantia, vigilantia, obedientia, ſagacitate, laborioſitate, & memoria.

Et 1. *quidem longè fidelius eſt ſervis, excubat præ foribus*, cuſtodit lares, noctu dieque eſt æditiuus hominis, & vel furem, vel beſtiam, vel peregrinum adeſſe vociferatione indeſinente teſtatur, unde factum eſt proverbium, *quod habeat novem animas.*

2. *Deinde vix eſt inter reliqua omnia ullum*, quod
tanto proſequeretur amore Dominum, atque canis, qui
ſemper comitatur herum, odore inveſtigat ipſum,
vocem ejus agnoſcit, quin & mortui corpus non de-
ſerit, homicidam morſu & latratu prodit, pro domino
contra latrones pugnat. Refert Plutarchus *de Re-
ge Pyrrho, qui in itinere invenerat canem, qui per in-
tegrum triduum Domini ſui interfecti cadaver cuſto- 237
diverat, & interim famem tulerat, poſteaque in lu-
ſtratione exercitus auctorem cædis mordicus apprehen-
derat, qui tormentis ſubjectus cædem fuit confeſſus.*

3. *Præterea iſta in ipſo eſt conſtantia*, ut non patiatur ſe facilè corrumpi ab aliis. Refert Jovius lib. 11. hiſtoriarum *de canibus Gallorum, qui fugerant in caſtra hoſtium, & lambebant pedes ipſorum, unde exiſtimatum eſt, hoc ipſo portendi victoriam hoſtibus, id quod tunc etiam factum fuit.* Nam Maximilianus Sfortia fudit & proſtravit Gallos.

4. *Quanta in ipſo ſit vigilantia*, notum eſt, quamvis anſeres adhuc ſunt vigilantiores. Unde cum Galli ingreſſi Romam jamjam aſcenderent in Capitolium, nullum ſignum prodiderunt canes; ſed anſeres ſuis clangoribus hoſtem adeſſe ſignificarunt. Quo pactô factum eſt, ut poſtea ſingulis annis, certo die, aliquot canes Romæ ad ſupplicium raperentur.

5. *Iſta in ipſo prudentia & ſagacitas*, ut non tantùm odoratu valeat; verùm etiam aſperrimum ſeſe præbeat erga ignotos, ſed blandiſſimum erga domeſticos. Imprimis verò cum mendicis lethale exercet odium, quos novit ſibi præripere panem, ita ſem-
238 per ὁμότεχνοι maximè ſunt ἀντίτεχνοι. Inter aves vultur, inter quadrupeda canis maximè valet odoratûs beneficio. Ælianus tantam dicit eſſe cani narium ſagacitatem, ut nunquam caninam carnem, ne condimentorum quidem varietate fallaciſſima temperatam, mixtam aut confuſam deguſtet.

6. *Quæ in ipſo ſit obedientia*, etiam notum eſt. Aſſuefieri poteſt ad omnis generis officia & ludrica præſtanda, vertenda verua, excurrendum in macellum, ut afferat carnes, ad detrahendos pileos ex capite, cum Dominus dicit ſe incaluiſſe, & quæ his ſunt ſimilia. Refert Plutarch. de quodam cane Romæ adhibito in comœdia, quod ſpectaculum ipſe viderit. *Cùm enim hoc poſtularet contextus comœdiæ, ut ſumtis venenis quidam ſenſim inciperet emori, & quidem cum hoc geſtu, quo primum vehementer tremerent membra, ſed ſucceſſivè tremorem remitterent, tandemq; omnino ſine motu & torpida jacerent, deinde ut accedente quaſi Deo reſuſcitante cum requireretur,*

retur, ut membra paulatim inciperent moveri, donec
ſucceſſivè integram vitam recuperarent: hæc omnia
tam ſagaciter & aptè exprimere potuit canis, ut Cæ-
ſari & toti ſpectatorum coronæ riſum & admiratio-
nem moveret. Paulatim enim quaſi moribundus
membra contrahebat, tandemque prorſus immotus ja- 239
cebat, & patiebatur ſe trahi extra ſcenas tanquam
planè mortuus. Poſtea quoque quaſi ſenſim revivi-
ſcens paulatim incipiebant moveri membra, non ſine
ſtupore ſpectantium. In venationibus & alias à curſu incepto, vel levi ſono, facillimè revocatur à Domino, & licet teneatur voluptate prædæ conſpectæ, tamen majorem habet obedientiæ rationem Domino debitæ, quàm propriæ voluptatis. Huc etiam illud pertinet, quod omnia facit in gratiam & in commodum Domini, quia in venationibus prædam refert Domino, ipſe verò eſt contentus oſſibus, imò acquieſcit, ſi nec oſſa acceperit.

7. *Memoria in ipſo valdè eſt vegeta,* quia meminit itinera quantumvis longiſſima, & redit ad domicilia Dominorum per multos locos, meminit etiam per multum temporis, à quibus fuerit læſus, metuit aquam & lapides, & reponit oſſa ſuperflua, ut poſtea illa accipiat. Noctu etiam repetit imagines interdiu viſas, quia ſæpè in ſomno latrat, nemine tamen interveniente ex peregrinis.

8. *Maximo ducitur amore ſuorum catulorum,* quos non patitur ſibi adimi, diligit humana conſortia, ſed tamen ita, ut inter notos ſit audax, ſed inter extraneos timidus.

9. *Etiam ſtudium honoris & gloriæ in ipſo depre-* 240
henditur. Refert enim Plutarchus, canes venaticos

 oblini-

oblinire ora ſua ſangvine, & dilaniare leporem, quem ipſi ceperunt vivum, id quod non faciunt, ſi leporem in ipſo curſu exanimatum repererint. Tunc enim repertum exanimem non attingunt, ſed circumſiſtunt, & movent caudam, ut apertè ſignificent, ſe non carnis, ſed victoriæ cauſſa certare. Plinius etiam ait, clementis ſimul & excelſi ingenii ſignificationem canes præbere, quod ſtatim, ut ſe demiſerit quis, & conſederit humi, impetum, ſævitiam & ardorem remittant. Et Scholiaſtes Homeri addit, naturale eſſe præſidium ad avertendos canes ſedere & baculum demittere, ne poſſint inſidias ſuſpicari. Addendum tamen hoc eſt: Sicut altiſſima quæque flumina tacito ſono labuntur, ita contrà timidiſſimi quique canes vehementiùs latrant, quàm mordent.

10. *Noctu vehementer terretur à Luna & à ſpectris nocturnis*, unde ſubinde per noctem quorundam canum perpetuos audimus latratus, dum Lunam præſertim allatrant.

11. *Seniores facti canes ſubinde redduntur pigri*, dormiunt in fimo, patiuntur ſibi aures perforari à muſcis, & licet poſſent, tamen pigritia illud non cu-
241 rant, modò muſcæ non petant faciem, tunc enim ore crepitant.

12. *Flante Auſtro non benè poſſunt inquirere feras*, quia hic eſt ventus humidiſſimus, & omnis nimia humiditas impedit olfactum. In Ægypto canes iſtâ ſunt præditi aſtutiâ, ut quia norunt, ſe devorari à Crocodilis in aquis, non ſtantes, ſed fugientes bibant ex Nilo, unde factum eſt proverbium: *Sicut canis bibens ex Nilo*, id eſt, obiter in tranſcurſu. Sic quidam diſcunt Theologiam & artes bonas.

Sunt

Sunt contra *etiam aliqua vitia hujus ipſius animalis*, quia 1. *obſcœnum eſt & impurum & palam coit*, & poſt coitum cohæret propter viſcidum ſemen & anguſtiſſima membra generationis. 2. *Immoderatum ſolet habere appetitum* veſci gramine, devorare cadavera. 3. *Etiam cum matre* & cum ſororibus *libidinis ſtimulos complet. Unde Deut. cap. 23. prohibet Deus, ne in ſacrarium inferatur pecunia comparata ex meretricum impuritatibus, & quæ his eſt ſimilis, ne inferatur pecunia pro vendito cane.* 4. *Valdè eſt iracundum hoc animal*, & facilimè irritatur ad omnem vocem, & ſævire ſolet in lapidem & baculum. Apud Plutarchum in Sympoſiacis canes vehementiore contra feras conceptâ irâ quandoque occæcari dicuntur. 5. *Erga ſui generis ſocios maximam alit invidiam*, 242 eosque non admittit intra lares domeſticos. Interim tamen mutuo ſuos devorant & purgant pediculos. 6. *Multi ſunt, qui noctu dormiunt*, & interdiu circumeunt, qui etiam clam mordent. 7. *Quod evomuit*, illud plerumque ſolet recipere. 8. *Multis morbis infeſtatur*, & imprimis rabie, neque ſufficit aliquando fieri rabioſum, verùm etiam quicquid mordet, reddit rabioſum. Tunc autem rabioſi fieri canes incipiunt, cum cibum & potum conſuetum averſantur, ſpumam & pituitam ex ore & naribus projiciunt, triſtius intuentur, omnes allatrant. Apud Heſychium etiam in genere canes difficilem habere dicuntur mortem. Et hæc ſunt præcipua, quæ in bonam & malam partem afferri poſſunt de canibus, *Sæpè autem S. S. in Veteri & Novo Teſtamento ab hoc animali mutuatur ſimilitudines.* Etſi verè valdè multæ poſſent afferri, tamen ſufficiat duas inſignes expli-

care; alteram ex Veteri, alteram ex N. Teſtamento, nempe Judicum cap. 7. & Matth. 15.

I. Jud. 7. v. 5. *cum Gideon ingentem educeret exercitum contra Midianitas, ne ſi viciſſent Judæi, propriis viribus adſcripſiſſent victoriam, Deus ipſe jubet inſtitui probationem, & in bellum exire tantum*
243 *illos, qui bibituri tantum ſeſe flexiſſent, & ut canes manu hauſtam aquam lamberent, relictis cæteris omnibus, qui corpora proſtraverant in terram, & ore biberant.*

Manſerunt igitur tantùm 300. ex viginti millibus, & iſtis paucis fuit data victoria, qui ſunt *imago electorum hominum, conſequentium cœleſtis vitæ victoriam. Eſt hæc imago illorum, qui aquam bibunt hoc eſt, qui Sacramento baptiſmi initiantur, & recipiuntur in numerum militum Dei.*

1. *Sicut* ergò maxima multitudo bibentium à Gideone rejicitur, & vix 300. eliguntur: *ita quoque* teſte Chriſto vix 4. pars illorum, qui tamen quotidie vocant nomen Patris, ſed non faciunt voluntatem ejus, ſalvantur. *Ut autem illi rejiciuntur à Gideone, qui bibentes toto corpore procumbunt in terram, id quod eſt ſignum magnæ pigritiæ: ita quoque quantumvis baptizati, tamen multi rejiciuntur, qui ignavi & disſides non militant bonam militiam, non retinent fidem & bonam conſcientiam, non ſtudent confirmare ſuam vocationem,* ut eſt apud Petrum 1. Petri 1. verſ. 10.

2. *Sicut à Gideone in numerum militum ſcribuntur illi,* qui tantùm flectebant corpora & manu captatam aquam, ſicut canes, lambebant, id quod eſt ſi-
244 gnum magnæ fortitudinis & induſtriæ: *ita* quoque bapti-

baptizati illi reportant coronam cœleſtis militiæ, qui non procumbunt in terram, & toti ſunt addicti corporalibus, ſed qui ſunt induſtrii, & ſeduli,& tanquam canes *jam (accipiantur proprietates in bonam partem)* 1. *ſummam fidelitatem adhibent* in divinis myſteriis perſcrutandis. 2. *Qui ſunt amantisſimi* Chriſti, ejus vocem agnoſcunt. 3. *Qui non patiuntur ſe avocari* à Chriſto per hoſtes & diabolum. 4. *Qui ſunt vigilantisſimi*, & ſemper expectant adventum Domini, & Sponſi, ſicut prudentes Virgines. 5. *Qui erga notos & domeſticos ſunt blandi*, ſed erga ignotos & Chriſti hoſtes aſperi. 6. *Qui omnia faciunt in laudem Domini*, etiamſi nullam videant corporalem remunerationem. 7. *Qui facilimo ſono revocantur ex curſu in peccatis.*

3. His igitur, qui ſicut canes lambebant aquam, dantur faces & hydriæ, quibus noctu juxta exercitum confractis, tantus incutitur metus hoſtibus, ut converſi in ſemetipſos mutuis perirent vulneribus: *Sic* pii & induſtrii Chriſtiani ſemper ob oculos habent lucem verbi divini, quâ præſtringunt oculos mundi, & ſonitu ſeu prædicatione Evangelii tanquam rei 245
contemptæ horrorem incutiunt hoſtibus ſuis, deque ipſis agunt triumphum.

II. *Matth. 15, à canibus uſurpantur ſimilitudines in utramque partem, in malam & in bonam. Nam cum Syrophæniſſa, cujus filia miſerabiliter vexabatur à Dæmonio, ad Chriſtum accurreret, ipſiusque opem imploraret, inter alia gravisſima certamina hæc coacta fuit audire, non eſſe bonum ſumere panem filiorum & dare canibus. Ipſa verò non ſine ſingulari S. S. ope hoc ipſum invertit & dicit, tamen catelli ſolent edere*

micas cadentes de mensâ Dominorum ſuorum. Quod attinet primam imaginem, Chriſtus comparat Gentes canibus.

1. *Sicut enim canes proſeminantur ex impuro,* & in conſpectu omnium inſtituto coitu: *ita quoque Gentiles non tantùm nati ſunt in peccatis,* ſicut omnes alii homines, verùm etiam proſeminati ex talibus parentibus, apud quos ſacroſanctum conjugium non erat in ſancta aliqua authoritate, ſiquidem multis in locis licebat paciſci de adulterio, communes erant uxores, commutabatur uſus naturalis in uſum execrandum, ſicut Rom. 1. conqueritur Apoſtolus.

2. *Sicut canis ſolet allatrare* prætereuntes, & quandoque præ rabie irruere in proprium Dominum:
246 *ita quoque Gentes* deſtitutæ lumine veræ religionis, *allatrabant Deum,* blaſphemabant ipſum, maledicebant proximis ſuis.

3. *Sicut canes ſunt indigni aliquo illuſtri beneficio,* veſtimento, cibo, ſed ſufficiunt ipſis oſſa: *ita Ethnici* propter blaſphemias in Deum indigni erant aliquo illuſtri beneficio Chriſti exhibiti.

4. *Sicuti canes tamdiu manent apud proprios Dominos,* quamdiu bene nutriuntur, & cum percutiuntur lapide, præ rabie irruunt in lapidem: *ita Gentes quamdiu florebat ipſis fortuna,* acquieſcebant, ſed in ærumnis nullam habent conſolationem firmam, irruebant in media, quibus Deus utebatur in ipſis puniendis.

5. *Sicut canes, quod evomuerunt, rurſus deglutiunt: ita quoque Ethnici,* licet aliquando à Poëtis & aliis doctis inſtruerentur de virtutibus, tamen ſubinde recidebant in vitia.

Quod

Quod ad ſecundam imaginem attinet, 1. *ſicut hoc
tantum eſt jus canis, expectare ante menſam*, & ſatiari
oſſibus & micis, quia gramine non poſſunt veſci, aut
occidere animalia: *ita miſeræ gentes non potuerunt
per ſe ſibimetipſis conſulere ulla alia ratione*, niſi ut
expectarent hoc jus, quod ipſis divinitùs fuerat pro-
miſſum, in ſemine tuo benedicentur omnes Gentes. 247
Neque expetebant panem ſeu prærogativam ali-
quam præ Judæis, ſed erant contentæ, ut quomodo-
cunque aliquid acciperent ex ubertate & largitate be-
neficiorum Filii Dei.

2. *Sicut cum canibus libenter ludunt filioli Patriſ-
familias*, adeò, ut illo luſu delectetur ipſe pater: *ita
quoque* pulcherrimè dictum eſt in proverbiis, *Sapi-
entiam divinam*, id eſt, *Filium Dei converſari & lu-
dere inter filios hominum*, adeò quidem, ut ipſi red-
dantur cœleſti Patri dilecti, utpote qui ſuas delectati-
ones habet cum ipſis. Et *ſicuti* filioli non patiuntur
eſurire catellos: *ita quoque* Filius Dei non ampli-
us poterat pati, ut miſeri Ethnici amplius aberrarent,
& eſurirent, ſed in hoc apparuit, ut inter ipſos deſtru-
eret opera Diaboli. 3. *Sicut canes dolent* propter
ablatos catulos: *ita pii dolent*, cum vident ſeduci li-
beros: Sic dolet Cananæa propter filiam miſerè ha-
bentem. Eſt tamen hoc commune cani cum aliis
beſtiis, quæ vehementer amant fœtus ſuos. Contra
multi homines ſunt, ſicut piſces, qui deponunt ova
in aquas, nec amplius curant: *ita* multi penitus ne-
gligunt ſuos liberos. 4. *Sicut canes tamdiu ſolent
latratu ſuo urgere Dominum*, quamdiu ab ipſo negli-
guntur in menſa: *ita* & hæc Cananæa & omnis pius 248
Chriſtianus fidei pertinaciam & conſtantiam adhibe-

re

re debet, donec veniens veniat & non tardet. 5. *Sicut canes, quantumcunque etiam ſint feroces erga peregrinos, tamen cum à ſuis Dominis verberantur,* omni ferocia depoſita, caput & caudam demittunt, univerſum corpus humiliant, non mordent, ſed vix plangentes, verberum relaxationem poſtulare videntur: *ita quoque pii Chriſtiani* in ærumnis cum Daniele exclamabunt: *Tibi Domine juſtitia, nobis confuſio faciei noſtræ.* Et cum latrone: *Nos juſtè punimur, quia dignam factis pœnam recipimus.* Et cum Mauritio Imperatore, aſpiciente cædem filiorum & filiarum in ſilentio, ſed conjugis ſuæ cum his ſuſpiriis: *Juſtus es Domine, & recta ſunt judicia tua.*

Sunt quidem plura capita collationum, ſed hæc ſunt præcipua, quæ ſæpè repetere ſolitus fuit Lutherus, quoties ad menſam vidit catellos, non modò geſtibus, ſed etiam latratu ſuo exigere aliquid ciborum ab aſſidentibus convivis, & dixit, utinam nos homines tali eſſemus præditi naturâ, ut non ſtatim deſiſteremus à precatione, etiamſi non ſubitò apparet auxilium Dei, & hæc ipſa ſimilitudò, quantumvis domeſtica, tamen adeò artificioſa, ut Chriſtus non tantùm auxilium tulerit, verùm etiam fidem Cananææ
249 mirificè prædicaverit, Vide Phil. Camer. lib. 2. Succiſ. cap. 38.

Caput XXII.

DE OVIBUS.

OVIS *pro genere ſumitur, aries mas & dux, ſed vervex*

vervex eſt aries caſtratus, Hammel/ *ovis pariens,* Schaf/ *ovis non pariens,* Schöps/ *Teneri agni,* Lämmer. Etſi animal hoc domeſticum eſt, & vulgatum, tamen mirificè placet Spiritui S., ita ut ſubinde Chriſtus ipſe compararetur ovi ſeu agno: atque paſſim Chriſtiani cum ovibus comparentur, id quod notiſſimum eſt. Et in veteribus ſacrificiis nihil tam fuit uſitatum, quam oves pro victimis afferre. *Solebant quidem vituli, capræ, boves, vaccæ, hirci, hœdi ex terreſtribus, & turtures atque columbæ ex volucribus afferri. Sed præ omnibus maximè quotidiana erant ſacrificia ex ovibus.* Singulis enim diebus per annos plus 1582. id eſt, dum duravit Politia Moſaica, offerebantur duo agni, unus manè, alter veſpere cum ſimilâ & cum vino, id quod erat imago piarum precum, cum quibus inchoandus eſt dies, & veſperi claudendæ ſunt actiones noſtræ piis meditatio- 250
nibus de Chriſto, ſicut ſtatim in Paradiſo ex ovibus parabantur veſtes: & ovis, quam mactabat Abraham in monte pro Iſaaco, ſimiliter erat typus Chriſti. Ut enim Aries ſeu ovis pro Iſaaco mactatur, ita Chriſtus agnus Dei pro nobis mactatus fuit. Singulis autem diebus, ut dictum eſt, regulariter duo agni offerebantur, præter alia ſacrificia, quæ etiam agnos & oves requirebant, ut in conſecratione Sacerdotum, in Sabbatis, in Noviluniis, in Paſchate, in Pentecoſte, in aliis multis feſtivitatibus, & confeſſionibus ſeu purgationibus propter peccata, de quibus legatur paſſim in Exodo, in Levitico & aliàs, quæ omnia fuerunt umbræ, ut vocantur in Epiſt. ad Heb. cap. 8. *Quod igitur attinet ad naturam hujus animalis, primò eſt illud non callidum & aſtutum, ſicut vulpes*

vulpes, Leones, Pardi, ſed omnino ſtolidum, quod facilimè poteſt errare, & ſæpè ſolet prorepere in loca deſerta, etiamſi nulla à cauſa urgetur. Sæpenumero hybernis menſibus egreditur extra caulas & ſepta ſua, & nivibus obruitur, neque poteſt redire, niſi paſtor ipſam reduxerit, aliàs enim periret. Valdè autem pulcher eſt verſiculus de ove errante:

Raro una errat ovis, raroque revertitur una.

2. *Ovis non habet fortitudinem equi* aut generoſitatẽ
251 Leonis, aut impudentiam canum, vel etiam novit inſidias, ſed eſt ſimplex, ingenio & moribus manſueta, caret velle, eſt placidiſſima inter omnes quadrupedes beſtias. *Præterea* inſigni prædita eſt patientia, non boat, non ululat, imò neque os aperit ſive tondeatur, ſive mactetur, cum contrà ſues & alia animalia non tantùm vehementer renitantur, verùm etiam exclament, ita ut clamor vix tolerari poſſit. 3. *A natura factum eſt hoc animal admodum inerme, non valet ungvibus, non dentibus, non calcibus, & licet arietes ſint cornuti, ſicut in quibusdam locis omnes oves ſunt cornutæ, tamen animus & ferocia ipſis deeſt, & omnes oves ſunt timidiſſimæ, & non crudeles, ſed miſericordes, etiam cum catulos habent, tamen non ſæviunt, ſed omninò* præbent ſeſe prædam hominibus & beſtiis. 4. *Vix, id quod etiam ſupra dictum eſt, reperitur animal, quod pluribus obnoxium ſit morbis,* atque homo, eqvus & ovis. Imprimis verò omnes oves infirmæ ſunt capitibus, ſcabiei valde obnoxiæ, & ſicut de erroribus antea dictum eſt, rarò una ſit ſcabioſa, ſed quemadmodum verſus habet:

Morbida facta pecus totum corrumpit ovile.

Et una inficit totum gregem. Nimiis itineribus & laboribus

boribus planè macreſcunt, & tempore fulminis adeò 252
terrentur tonitru, ut abortiant ſeu fœtum imperfectum emittant præ metu, ſi ſolæ relinquantur. 5. *Paſtores ſuos vehementer amant,* quia à natura ita imbelles factæ non poſſunt ſe ipſas regere. Debet autem ipſis paſtor hæc 4. (Et huc pertinet Pſal. 23, 1.) *Ipſas ducere in paſcua, & ad aquam ſalubrem.* Amat autem ovis bona & viridia paſcua, eſt valdè delicata, non quidvis devorat, ſed potius famem tolerat, cum non ſuppetunt bona paſcua, ac ſalubres herbas atque virides campos magno labore, & longo curſu quærit, ibique multum comedit, poſtea nihil ipſi tam dulce eſt, quàm frigida & limpida aqua, non delectatur turbidis aquis, & odit impuras ciſternas, & lutum, quo delectantur ſues. 2. *Regere & gubernare ipſas, ne propter ſtoliditatem & infirmitatem à grege aberrant, & præcipitentur in paludes & foveas, ex quibus eluctare non poſſunt.* 3. *Cùm ſuo robore tum canum præſidio eas defendere, & munire adverſus diurnos & nocturnos fures & lupos in ſtabulis & in caulis, ſæpeq; in ſinu geſtare aut gravidas matres aut teneros agnos, & dulcibus modis hæc miſerrima & imbecillia pecora perfundere.* 4. *Animadvertere ſigna, & cauſas morborum, adhibere medicas manus ad vulnera, ſeu ad morbos ovium.*

Hæc igitur debentur ovibus à paſtore, quem tanto 253
proſeqvuntur amore, ut audito levi ipſius ſtrepitu, ſeu ſonitu qualicunque, de quo prius ſunt edoctæ, ſumma cum celeritate congregentur in locum unum, imò adeò grata ipſis vox eſt paſtoris, præſertim canentis, quia muſicam vehementer amant, & audientes muſicam, fortius imprimunt dentes herbis, ut ſine

paſto-

paſtoris voce pereant. 6. *Agni ſtatim à partu agnoſcunt ſuas matres, & circa eas laſciviunt.* Cum enim homines ipſi parentes ſuos ſerò admodum incipiant agnoſcere, omninò agni ſtatim in ipſa nativitate lac maternum & ipſam matrem cognoſcunt, vocemque ipſius diſcernunt, adeò, ut licet multa millia ovium ſimul verſentur, tamen ſinguli agni ſuas matres ſtatim ex balatu percipiant, ad easque accurrant. Sæpè etiam cum vehementi deſiderio cibi & potûs teneantur, tamen prætereunt aliena ubera, quantumvis humore lactis exſudantia. Vice verſa mater inter omnes agnos, licet unius ætatis & coloris &, ut nobis videtur, etiam odoris & vocis, tamen ſuam prolem exactè diſtingvit & cognoſcit.

Hæc fiunt, dum teneri ſunt agni: Poſtea cum ablactantur, ad nullum niſi ad paſtorem ſe aſſuefaciunt, ipſius unius vocem norunt, dicta & ductum ſe-
254 qvuntur, peregrinos deſerunt ac fugiunt. 7. *Scriptura ipſa refert ovem inter alia animalia,* quæ ſunt biſulca, & quæ ruminant, de qua re dictum eſt ſuperius. Amat autem ovis imprimis ramulos ſalicis, qvantumvis amaros. Item eſu ſalis in ipsâ excitatur deſiderium in appetitus; unde prodeſt ſæpè conſpergere vel particulas panis vel canales, ex quibus cibum capiunt, ſale. 8. *Studioſum etiam eſt hoc animal munditiei,* nec ſicut ſus cœno aut luto maculatur. 9. *Fermè nihil eſt in ipſo,* quod non aliquas haberet utilitates, quia præbet lac, parit agnos, ſuppeditat materiam ſeu lanam pro veſtibus, carnes corporibus augendis conducunt, pellis apparatur pro veſtibus & aliis multis rebus, ex inteſtinis conficiuntur chordæ, fimus optimus eſt ad ſtercorandos agros, & quidem tota

tota ſua vita pariunt, etſi non admodum diu vivunt. 10. *In nullam aquam ſponte ingrediuntur*, & amant ſocietatem, & ægerrimè ferunt ſolitudinem, ſemper, cùm in gaudio, tùm in calamitate unam & eandem emittunt vocem; cum homo in gaudiis exultet, in calamitatibus ingemiſcat: Nec ullibi plura occurrunt monſtra, quàm in hoc genere animalium. Hæ ſunt præcipuæ proprietates, ex quibus Sacra Scriptura valdè multas ſolet petere imagines. 255

Danielis enim capite 8. verſu 3. & ſeqq. Imperium Perſicum, de quo dictum eſt ſupra c. 7. de Urſis, comparatur Arieti, ſtanti ante paludem, & habenti cornua excelſa, & unum cornu excelſius altero, cornibusque ventilanti contra occidentem, aqvilonem & meridiem. Fuit autem Imperium Perſicum, urſa fortaſſis illo tempore, quando HAMAN ita vexabat Judæos, quos omnes uno die cupiebat extinctos. Tunc verò fuit Aries, quando Aſſuerus omnes gentes clementer tractavit, & quaſi quadam lana involutos fovit. *Sicut igitur Aries* ſeu mas & dux ovium *lana & carnibus, & cornibus aggravatur: ita imperium Perſicum floruit* omnium opum abundantia, & habuit duo cornua, quæ ſunt Media & Perſia, tanquam duo ampliſſima regna, quibus abutebatur, & pugnabat contra Occidentales populos, & contra reliquos.

2. *Paſſim in Levit. & alibi homines pro purgatione* peccatorum jubentur *immolare oves*, ut ſignificaretur 1. *ovem Chriſtum expiare noſtra peccata*, quia ſangvis ovium aſperſus hominibus potius inqvinabat homines, unde certo certius colligebant, per ſangvinem ovium repræſentari ſangvinem Chriſti. 2. *Immolandos eſſe*, id eſt, abjiciendos & corrigendos *affe-* 256

ctus ſtolidos, irrationales & ſimiles, quales in ovibus deprehenduntur, ſicut hoc explicat Origenes in Leviticum, & dicta ſunt hac de re plura ſupra c. 5. de Camelo ex doctiſſimo Galatino.

3. *Matth. cap. 25. v. 32. Beati in ultimo die ad dextram conſtituuntur*, & conferuntur cum ovibus *propter ſummam manſuetudinem*, quam didicerunt à Chriſto. *Deinde quia ſicut* ovis patientiſſima eſt: *ita pii* ſemper fuerunt prompti & parati ad patiendas omnis generis ærumnas, etiam mortem ipſam pro Chriſto. Sed his ſimilitudinibus omiſſis inſigniores aliæ reſtant, nempe, I. *de agno Paſchali* Chriſto, qui in Novo Teſtamento expreſſè dicitur agnus Deï, mactatus ab initio mundi, Apoc. 1. v. 8. II. De Arietibus duobus Exod. 19. v. 11. III. De ovibus ſeu Chriſtianis audientibus vocem ſui Paſtoris Chriſti.

1. *Notiſſimus eſt Agnus Paſchalis, id eſt, qui ſemper comedebatur in Paſchate, & erat imago Chriſti, cujus corpore & ſangvine paſcimur in ſacra Cœnâ Domini.* Non autem eſt dubium, per ovem ſeu agnum Paſchalem innocentem, placidiſſimam, patientiſſimam &
257 multis rebus utilem, addo etiam infirmam ſignificatum fuiſſe Chriſtum. *Nam* 1. *tota vita & mors Chriſti eſt plena exemplis innocentiæ, humanitatis, tolerantiæ*, & iſta mors nobis omnibus profuit, quia nunquam dolus fuit repertus in ore ejus, verè langvores noſtros ipſe tulit, & tanquam pontifex noſter fuit tentatus in omnibus. Iſta autem immolatio Chriſti non tantum per agnum Paſchalem repræſentata fuit, verùm etiam per agnos, quibus detraxit pellem in Paradiſo, procul dubio ipſe Filius Dei. 1. *Sicut* igitur agnus Paſchalis mactabatur; *ita* Chriſto fuit mors ſub-

ſubeunda. 2. *Sicut* agnus Paſchalis mactabatur
circa veſperam: ita quoque Chriſtus, agnus Dei, pro
nobis eſt paſſus non ſtatim temporibus Adæ, ſed *poſt
aliquot millia annorum* mundi elapſa, ut interim diu
innoteſceret magnitudo peccati & exerceretur fides
piorum. In plenitudine igitur temporis miſit Deus
Filium ſuum, qui veſperi debebat mactari, non in
ſua pueritia vel adoleſcentia, ſed in virilitatis ſtatu.
3. *Sicut Agnus Paſchalis* accipiebatur *ex grege ovium:
ita Chriſtus* ſuam carnem non ex Angelis, ſed *ex no-
bis* aſſumſit & factus eſt Dux ſeu ſponſus ovium. 4.
Sicut agnus Paſchalis debebat eſſe *maſculus*, annicu-
lus & absque omni macula: *ita quoque Chriſtus fuit* 258
perfectus mas, fuit tamen ſimul tener, obnoxius mul-
tis infirmitatibus, ſed tamen ſine omnibus peccatis.
5. *Sicut agnus Paſchalis aſſabatur: ita Chriſtus* fuit
aſſatus in cruce. 6. Et *ſicut ſangvis* agni Paſchalis
aſpergebatur poſtibus per Hyſſopum: *ita meritum &
ſangvis Filii Dei* per Evangelium inſpergitur in cor-
da hominum. 7. *Sicut* autem agnus Paſchalis *co-
medebatur cum azymis*, id eſt, cum panibus non fer-
mentatis, ſed puris: *ita nemini prodeſt Chriſtus*, niſi
qui ipſum puro corde apprehendit & retinet. 8. *Si-
cut agnus Paſchalis* edebatur *cum amaris herbis: ita
Chriſtiani* ſemper experiuntur inclementes flatus for-
tunæ. 9. *Sicut unus agnus* erat in domo: *ita unus
eſt Chriſtus* Rex Judæorum & Ethnicorum. 10. *Si-
cut ſuperflua* non reſervabantur, ſed *comburebantur:
ita in vita Chriſtiana ratio* & alii ſuperflui affectus
non debent dominare. 11. *Sicuti* ex pelle agni *fie-
bant veſtes: ita ex Chriſto* accipimus indumentum a-
nimarum. Et *ſicut Jacob* non poterat accipere be-

nedictionem, niſi veſte quadam obduceret ſuas ma-
nus, ut ſimilis fieret Eſavo hirſuto: *ita nos* non poſ-
ſumus fieri participes cœleſtis benedictionis, niſi ju-
259 ſtitiam Chriſti induerimus. 12. *Sicut* agnis Paſcha-
lis & ſangvis poſtibus affuſus conſervabat Judæos ab
interitu, ſed non proderat Ægyptiis: *ita ſangvis Je-
ſu Chriſti* non prodeſt, niſi qui fide vera ſunt præditi,
& fidem ſuam bonis operibus teſtatam faciunt. 13.
Sicut agnus Paſchalis *feſtinanter comedebatur, ita
ut lumbi eſſent eincti,* & pauperes, qui non poterant
habere proprium agnum, epularentur cum ſuis vici-
nis: *ita quoque* in apprehendendo ſangvine & me-
rito Chriſti *non decet eſſe tardos,* neque diſſolutæ vi-
tæ homines, neque invidentes proximis ſuis, &c.

II. Exod. 29. v. 15. *pro Sacerdotibus* conſecrandis
etiam offertur 1. *Aries. Sicut* autem ſanguis hujus
arietis *effunditur ſuper auriculam: ita quoque meri-
tum Chriſti audiendum eſt,* quia ex auditu eſt fides. 2.
Sicut ſanguis effunditur *ſuper dextram auriculam,*
non ſuper ſiniſtram: *ita fides* requiritur ſincera. 3.
Sicut ſanguine *oblinitur pollex* in manu dextra: *ita*
quoque non ſufficit audire, *ſed manus admovenda
eſt aratro,* cum regnum Dei non ſit in ſermone, ſed in
virtute, & opera requirantur dextra, id eſt, divinitus
præcepta, non ab hominibus excogitata. 4. *Sicut*
ſangvis hujus Arietis *ſpargitur per circuitum* ſuper
260 altare: *ita ſangvis Chriſti ſpargendus eſt* per univer-
ſum orbem, & una guttula ſanguinis Jeſu Chriſti, ſi-
cut *Bernhardus* inquit, *ſufficit pro redemptione totius
mundi, etiamſi mille eſſent mundi.* 5. *Sicut* ſangvis
Arietis *ſpargebatur ſuper veſtes Sacerdotum,* quorum
tamen multi erant hypocritæ: *ita multi ſunt indignè*
inter

inter convivas Chriſti. 6. *Sicut* partes hujus ſacrificii *quædam cedebant in uſum Sacerdotum*, ut pectus, ſignum ſapientiæ, & humeri, ſignum fortitudinis, quæ duæ virtutes imprimis decent Miniſtros. Quædam etiam dabantur populo: *ita quoque Miniſtris ſunt deſtinanda honeſta ſtipendia*, pro quibus Dei benedictionem experientur reliqui populi.

III. Valdè pulchrum eſt illud, *quod Chriſtus omnes pios comparat cum illo animali*, cum quo ipſe ſeſe contulit. Nec dubium eſt, illo ipſo ſignificari ſvaviſſimam & arctiſſimam copulam, quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. 1. *Sicut* Eccleſiæ veræ ſanctos mores deſcripturus Filius Dei tùm in Veteri, tùm in Novo Teſtamento, *non comparare Eccleſiam voluit* cum ſpelæis *Leonum*, quos metuere neceſſe habent omnia alia animalia, Nah. 2. v. 11. non *Luporum*, qui rapinis & uſuris exſatiari non poſſunt, non *Urſorum*, qui nihil niſi damna aliis meditantur, non cum ſtabu- 261
lis ſuperborum & mordacium *Equorum*, non etiam cum antris ſimiarum, vulpium, felium, tanquam doloſorum & hypocriticorum animalium, non aſinorum pigrorum, non contentioſorum canum, non luxurioſorum porcorum, non ſalacium caprarum, non temulentorum gulonum; *ſed cum placidiſſimorum animalium ovili*: *ita quoque* Chriſtianos ante omnia fugere decet vitia jam enumeratorum animalium, quos malos mores in ſuperioribus indicavimus. 2. *Sicut* oves deſtituuntur *fraudibus*: *ita pii* debent cavere, ne doloſè cum aliis agant. 3. *Sicut* oves *nec hominibus* nec beſtiis *nocent*: *ita Chriſtiani* debent abſtinere ab injuriis erga notos & ignotos, erga bonos & malos, &c. 4. *Sicut ovis eſt patientiſſima* &

& placidiſſima: *ita humanitati* & manſuetudini, quàm maximè ſtudere decet Chriſtianum. 5. *Sicut* nulla eſt particula in ove ſine certa utilitate; *ita* Chriſtianum decet Deo & hominibus ſua tribuere. 6. *Sicut* oves amant munditiem: *ita* membra veræ Eccleſiæ debent mortificare actiones membrorum ſuorum per Spiritum. 7. *Sicut oves amant ſalubria paſcua* & limpidam aquam, neque quidvis promiſcuè
262 comedunt: *ita Eccleſia* non quasvis Judaicas fabulas, non Alcoranicas nugas, non Pontificias legendas, non detorſiones hæreticas alias recipiet. 8. *Sicut oves amant ſocietatem,* quem amorem clamore continuo produnt: *ita piis* nihil debet eſſe jucundius, quàm intereſſe aliorum piorum piis congreſſibus. 9. *Sicut oves difficulter ejiciuntur* ex domo, aut certè libenter redeunt: *ita danda opera piis eſt,* ne deſerant pios conventus, aut ad eosdem maturè revertantur. 10. *Sicut oves,* quæ ſemel longius à grege aberrant, *nunquam ſua ſponte ad gregem redire poſſunt,* imò etiam in fauces luporum incidunt, niſi quærantur & compellantur à paſtore: *ita pii* ex erroribus, & nonniſi per Filium Dei, & per verbum ejus eluctari poſſunt. 11. *Sicut* oves non coërcentur catenis: *ita pii* ſponte faciunt officia ſua. 12. *Sicut oves* à lupis infeſtatæ *nihil in ſeſe habent fortitudinis,* quâ ſeſe defendant: *ita caro non habet arma,* quibus ſe tueatur adverſus Dœmonis inſultus, ſed neceſſe habet confugere ad arma ſpiritualia, Eph. 6. v. 14. & ſeq. 13. *Sicut oves ſunt infirmis capitibus,* & per ſe nihil habent conſilii: *ita quoque ſuæ rationis auxilio* nihil in ſpiritualibus præſtare poſſunt homines. 14. *Sicut oves ſunt obnoxiæ* inter omnia animalia

malia cum equo & homine *plurimis morbis: ita quoque* Eccleſiam ſingulis ſeculis pluribus ærumnis exercere ſolet Deus, unde Pſal. 44. v. 23. *oves occiſionis dicuntur*, quia ſicut lanii gaudent, cùm inveniunt ovem pingvem: *ita mali* lætantur Chriſtianorum exagitationibus & morte. 15. *Sicut ovibus* plurimum prodeſt *ſal: ita cruce coërcentur pii*, nec peccatis plena expandant vela, & ita ſub cruce creſcit Eccleſia. 16. *Sicut oves ſcabioſæ* ſeu leproſæ ſeparantur: *ita impiè viventes* non ſunt ferendi in publicis congregationibus Sanctorum. 17. *Sicut* enim una ſcabioſa *inficit totum gregem: ita*, niſi caveatur, *unius crimine ſeducuntur* & depravantur plurimi Chriſtiani. 18. *Sicut oves* ſtatim ab ipſa nativitate *agnoſcunt ſuas matres: ita Chriſtiani* dependent à lingua matris Eccleſiæ, cum ipsâ loqvuntur & ſentiunt, 19. *Sicut* paſtor quatuor debet ſuis ovibus: *ita Filius Dei*, qui ſeipſum nominat bonum Paſtorem, *hæc officia quatuor tùm corporaliter, tùm ſpiritualiter nobis præſtat.* 1. *Enim paſcit nos ſeu ornat* nos bonis corporalibus & ſpiritualibus, qualia ſunt valetudo, victus, hoſpitia mediocria, tranquillitas privata & publica; corpore & ſangvine ſuo etiam. 2. *Sicut paſtor gubernat oves*, ne à grege aberrent: *ita Chriſtus* dat nobis Spiritum S. gubernatorem omnium noſtrorum affectuum, noſtræ voluntatis & cordis in omnibus officiis, quæ noſtræ vocationi conveniunt, ne ruamus in errores, & in tragica ſcelera. 3. *Etiam potenti manu ſua*, & præſidio Angelorum *defendit nos* contra Diabolum, ejusq; organa Tyrannos & Hæreticos, qui fraude & vi oppugnant Eccleſiam. 4. *Infirmos & errantes Chriſtianos non negligit*

263

264

git vel rejicit, ſed pendentes de collo geſtat, & ſordes abluit ſuo ſangvine.

CONCLUSIONIS LOCO, quod fidibus lupi agninas malè obſtrepere ajunt, quod ovina tympana coram lupinis obmuteſcere ajunt, quod chordam lupinam cum ovillis extenſam ſolam obtinere, & reliquas rumpere ajunt, quod pellibus commixtis ovillas lanam amittere ajunt, id à doctiſſimo Conrado Geſnero rectè conciliatur, nimirum quod non ſit mirum lupinam naturam duriorem & ſolidiorem poſſe edere ſonum in fidibus & tympanis clariorem, & diutius durare, quam teneriorem ovillam, ſicuti aquilæ, utpote avis ſiccioris, penna poſita juxta anſeris, tanquam avis humidioris pennam diutius durat. Nam & anſerina ſola repoſita tamen citius conſumeretur,
265 quàm aquilina, etiam ſeorſim & longius ab anſerinis remotior cuſtodita. Eodem modo cadavera hominum ſicciorum tardius putreſcunt, quàm hominum pingvium & humidiſſimorum.

Obiter etiam monemus de Jacobo Gen. 30. v. 37. qui ſtatuit virgas varicolores in conſpectu ovium tempore, quo concipiebant. Notandum igitur eſt, illud, non ubique locorum valere poſſe ſtratagema. Iſtis in locis, ubi Jacobus degebat, toto mane usque ad meridiem latiſſimè in agris deſertis & in aquoſis circumagebantur oves, circaque meridiem ad puteum compellebantur, & adaquabantur. Per aquam igitur limpidiſſimam recreatis, vegetatis, ad venerem cupidioribus redditis ovibus ex aſpectu virgarum varicolorum imaginatio fuit fortior, quæ in aliis paſſim vix contingere poſſent.

DENI-

DENIQVE nervo contrahente, qui eſt in cavo femoris ſeu nervo coxæ, tùm in hoc potiſſimum, tùm in aliis animalibus non veſcuntur Judæi, quoniam in eo perſtrictum fuit cavum femoris Jacobi, Gen. 32. v. 25.

Caput XXIII.

DE CAPRA ET HIS COGNATIS. 266

INitio ex Grammatica notum eſt, juniora hæc animalia vocari hædos, deinde caprum marum caſtratum, hircum non caſtratum eſſe, capram dici, quæ peperit, capellam, quæ nondum peperit, capream eſſe capram ſilveſtrem, Damam eſſe ex genere caprearum, ſicut etiam rupicapram & orygem capricornum, ibicem. His ita relictis, 1. conſtat, hoc animal quaſi Satyrum noſtrum *vehementer amare dumeta & loca alia aſpera*, & ut eſt delicatum, decerpere tantum ſummitates arborum, imprimisque gaudere corticibus betularum, & foliis fruticum, diligere etiam rubos; neque offendi vepribus. 2. *Morſus tamen ipſius*, quod nunquam ſine febre eſſe putetur, propter anhelitum forſan calidiorem, *arboribus valdè eſt noxius*. Id quod eſt imago calumniatorum, qui perdunt & traducunt aliorum rectè dicta & facta. Sicut ergò in Lege locationis fundi excipi ſolet, ne colonus capram natam in fundo paſcat: ita omnibus bonis ſemper ob oculos eſſe debent verſus:

Quisquis amat dictis aliorum lædere famam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

267 3. *Perire dicitur ex eſu mellis*, à quo abhorret. Mel-
le tamen dilutum caprinum lac ſaluberrimum eſſe
creditur. 4. *Cum devorat herbam*, quæ dicitur E-
ryngium, *confeſtim quaſi attonita ſtat capra*, & reli-
quæ quoque quieſcunt, neque moventur, niſi paſtor
eam eximat. *Id quod pulchrum ſimulacrum δωρο-
φαγίας*, primo vehementer jus urgetur, poſt obla-
tum munus penè mutus fit judex, quia munera cor-
rumpunt ſententiam judicum, tollunt libertatem vo-
torum, ut verè poſſit dici, *pecuniam accepi, libertatem
vendidi.* Dependet etiam omnium mento villus,
quem *aruncum* vocant. Hoc ſi quis apprehenſam
ex grege unam trahat, cæteræ etiam ſtupentes ſpecta-
re referuntur. 5. Etiam ἐπιληψία *ſolet hoc ani-
mal infeſtari*, & tradunt veſcentes carnibus caprinis
præſertim vetuſtioribus etiam reddi pronos & obno-
xios huic malo. 6. *Hirci imprimis* vehementer
ſunt libidinoſi, quod ex transverſo intuitu apparet,
adeò ut ſi alios hircos videant coire, indignentur, &
in illos impetum faciant. Tanta autem in ipſis eſt
libido, ut ſæpè conſuetudinem inire moliantur cum
improbis fœminis. Refert Plutarchus, & Cœlius, &
alii de Crate interfecto ab hirco, *quod Crates amaſſet
capellam hirci, & ipſo vidente cum ipſa conſuetudi-*
268 *nem habuiſſet.* Valdè autem *tempore libidinis & ſu-
dant & fœtent*, unde factum eſt proverbium, Olet,
ut hircus, de hircoſis, hoc eſt, de hominibus, ſub
quorum aliis graveolentus odor percipitur. 7. *In-
ter ſanguinem hircorum, & Adamantem naturalis*

quæ-

quædam eſſe dicitur & mirabilis ἀδιάπαθεια, ſiquidem Adamas reſpuit omnia alia elementa. Non poteſt domari igne vel ictibus malleorum, ſed maceratur ſolo ſangvine hujus animalis. *Id quod eſt imago ſangvinis Chriſti*, quia portæ inferorum non potuerunt ulla virtute corporali deſtrui; ſed ſolo ſanguine Chriſti. 9. *Ex cornibus caprarum fiunt arcus*, quibus ipſis poſtea læduntur corpora caprarum. Id quod *etiam eſt imago illorum*, qui ſæpè fovent alios, à quibus poſtea opprimuntur, ſicut aviculæ ſuppeditant pennas inſigendas ſagittis, unde natum eſt Proverbium: *Video pennas meas in vulneribus meis.* 10. *Non proſunt hæc animalia vel ad bellum, vel ad aratrum*, niſi quod pelles veſtibus conficiendis conducunt. In Africæ quadam parte tonſiles capræ dicuntur eſſe à Textore, ex quarum villis nautæ rudentes conficiant. Caſpiæ ad magnitudinem equorum accedere ab Æliano perhibentur, & tàm molles habere pilos, ut ditiſſimi veſtes inde conficiant: Sicut in Arabia pannus contexitur etiam ex pilis aſinorum. In Lycia item ab eodem referuntur habere (Zambelitas) prolixiſſimos pilos, ut mulierum crines, Exod. 25. v. 3. & ſeqq. ad tabernaculi ſeu Templi portatilis extructionem jubentur, qui aurum, argentum, æs, hyacinthum, purpuram, coccum, byſſum non habent, ſaltem pilos caprarum conferre, & ex pilis caprarum in fila ductis facta ſunt ſaga ſeu cortinæ, ut illis cortinis ſericæ cortinæ habitationis Dei extrinſecus operirentur. Significatum fuit ad gloriam Dei & Eccleſiæ ædificationem unumquemlibet illud conferre debere, quod ipſi eſt in promtu, quale quale fuerit. Sed & hiſtoriæ profanæ docent, ex pellibus taberna- 269

bernacula fuiſſe in caſtris confecta (Cælius lib. 27. cap. 14.) Sicut in tabernaculo Moſaico ita dicto ex *parentibus arietum & taxorum conficiebatur tentorium*, Exod. cap. 26. v. 14. Aſper veſtitus Prophetarum innuitur, Hebræor. 11. v. 37. *cum dicuntur uſi ovillis & caprinis pellibus.* Quod alias attinet ad uſum caprarum, hædo, lacte, caſeo, & ut jam modò dictum eſt, pelle juvant. Nimis tamen multas ali non poſſe ſimul Gaberius Romanus eques apud Varro-
270 nem ſuo malo didicit, qui mille ſimul nutriturus omnes perdidit, adeò, ut ubi mille oves aluntur, vix centum capras ali debere putant. Melior eſt grex ex conſuetis, quàm collectis.

11. *Præ ferocia* ſæpè excutit hoc animal mulctram, & ita ſimul perdit lac. Id quod eſt imago illorum, qui quidem ſunt inſtructi egregiis donis, ſed tamen ſimul obnoxii graviſſimis peccatis, unde in proverbio dicitur, *Malum eſſe animal, quod multum præbet lactis, ſed tamen omnem copiam una vice turpiter profundit.*

12. *In more eſt poſitum huic animali ſubinde permutare locum*, conſcendere altos montes, circumſaltare &c.

13. *In Arabia mirificè amat ſurculum Cynnamomi*, quo monſtrato duci poteſt in quemvis locum; ſed eo negato murmurat & conqueritur, adeò, ut certum ſit, peculiarem συμπάθειαν eſſe inter hunc ſurculum, & inter capram, & eſt ille ſurculus ſimilis viti.

14. *Acutiſſimi auditus eſſe fertur*, & referimus, quod Horus habet, aliisque examinandum, non verò ſtatim credendum committimus, audire non tantùm auribus, ſed & quadam parte gutturis.

15. *Oves*

15. *Oves & Capras quibusdam locis per annum bis parere*, ait Ariſtoteles, & colligere ex hiſtoria Jacobi Gen. 30. aliqui conantur, licet eo loco videatur intelligendus Jacob de ovibus aliis maturius, aliis tardius natis, eadem tamen anni parte. 271

16. *Solertiam caprarum Mutianus refert* apud Plinium ſibi viſam in ponte prætenui, duabus obviis è diverſo (cum circumactum anguſtiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitatem cœcam torrente rapido minaciter ſubterfluente) alteram decubuiſſe, atque ita alteram proculcatæ ſupergreſſam. Id quod eſt pulchra imago concordiæ firmæ inter eos collegas in Republica, in Eccleſia, in privata converſatione, tanquam in anguſto ponte, ubi publici commodi cauſa alter alteri cedere nonnunquam novit, & de ſuo jure cedit, ne turbæ excitentur. Sic Jonathas virtute parcebat Davidi, quem ſciebat divina ſorte eſſe electum. Hæc latiſſimè tractari poſſunt.

17. P*atiens eſt & contenta*, & cubat etiamſi nihil ſubſternitur. Nimis multæ non poſſunt paſci ſimul, quia Gaberius eques Romanus mille nutriturus omnes perdidit apud Varronem.

18. *Hircus fiducia barbæ gregem antecedere perhibetur*, quia & ovis quamvis ſtulta, tamen campanu- 272
lam geſtans primum locum in egreſſu & ingreſſu ſibi rapere dicitur, adeò norunt ſeſe extollere, qui ſæpè minimis quibusdam donis divinitus ſunt inſtructi, ſicut ſemper VACUA VASA PLUS TINNIUNT.

Audimus etiam Philippum Melanchthonem crebrò dicere ſolitum fuiſſe (omnis fatuus eſt ſuperbus,

&

nedictionem, niſi veſte quadam obduceret ſuas manus, ut ſimilis fieret Eſavo hirſuto: *ita nos* non poſſumus fieri participes cœleſtis benedictionis, niſi ju-
259 ſtitiam Chriſti induerimus. 12. *Sicut* agnis Paſchalis & ſangvis poſtibus affuſus conſervabat Judæos ab interitu, ſed non proderat Ægyptiis: *ita ſangvis Jeſu Chriſti* non prodeſt, niſi qui fide vera ſunt præditi, & fidem ſuam bonis operibus teſtatam faciunt. 13. *Sicut* agnus Paſchalis *feſtinanter comedebatur, ita ut lumbi eſſent cincti*, & pauperes, qui non poterant habere proprium agnum, epularentur cum ſuis vicinis: *ita quoque* in apprehendendo ſangvine & merito Chriſti *non decet eſſe tardos*, neque diſſolutæ vitæ homines, neque invidentes proximis ſuis, &c.

II. Exod. 29. v. 15. *pro Sacerdotibus* conſecrandis etiam offertur 1. *Aries*. *Sicut* autem ſanguis hujus arietis *effunditur ſuper auriculam: ita quoque meritum Chriſti audiendum eſt*, quia ex auditu eſt fides. 2. *Sicut* ſanguis effunditur *ſuper dextram auriculam*, non ſuper ſiniſtram: *ita fides* requiritur ſincera. 3. *Sicut* ſanguine *oblinitur pollex* in manu dextra: *ita* quoque non ſufficit audire, *ſed manus admovenda eſt aratro*, cum regnum Dei non ſit in ſermone, ſed in virtute, & opera requirantur dextra, id eſt, divinitus præcepta, non ab hominibus excogitata. 4. *Sicut* ſangvis hujus Arietis *ſpargitur per circuitum* ſuper
260 altare: *ita ſangvis Chriſti ſpargendus eſt* per univerſum orbem, & una guttula ſanguinis Jeſu Chriſti, ſicut *Bernhardus* inquit, *ſufficit pro redemptione totius mundi, etiamſi mille eſſent mundi*. 5. *Sicut* ſangvis Arietis *ſpargebatur ſuper veſtes Sacerdotum*, quorum tamen multi erant hypocritæ: *ita multi ſunt indigni*

inter

inter convivas Chriſti. 6. *Sicut* partes hujus ſacrificii *quædam cedebant in uſum Sacerdotum*, ut pectus, ſignum ſapientiæ, & humeri, ſignum fortitudinis, quæ duæ virtutes imprimis decent Miniſtros. Quædam etiam dabantur populo: *ita quoque Miniſtris ſunt deſtinanda honeſta ſtipendia*, pro quibus Dei benedictionem experientur reliqui populi.

III. Valdè pulchrum eſt illud, *quod Chriſtus omnes pios comparat cum illo animali*, cum quo ipſe ſeſe contulit. Nec dubium eſt, illo ipſo ſignificari ſvaviſſimam & arctiſſimam copulam, quæ eſt inter Chriſtum & Eccleſiam. 1. *Sicut* Eccleſiæ veræ ſanctos mores deſcripturus Filius Dei tùm in Veteri, tùm in Novo Teſtamento, *non comparare Eccleſiam voluit* cum ſpelæis *Leonum*, quos metuere neceſſe habent omnia alia animalia, Nah. 2. v. 11. non *Luporum*, qui rapinis & uſuris exſatiari non poſſunt, non *Urſorum*,
qui nihil niſi damna aliis meditantur, non cum ſtabu- 261
lis ſuperborum & mordacium *Equorum*, non etiam cum antris ſimiarum, vulpium, felium, tanquam doloſorum & hypocriticorum animalium, non aſinorum pigrorum, non contentioſorum canum, non luxurioſorum porcorum, non ſalacium caprarum, non temulentorum gulonum; *ſed cum placidiſſimorum animalium ovili*: *ita quoque* Chriſtianos ante omnia fugere decet vitia jam enumeratorum animalium, quos malos mores in ſuperioribus indicavimus. 2. *Sicut* oves deſtituuntur *fraudibus*: *ita pii* debent cavere, ne doloſè cum aliis agant. 3. *Sicut* oves *nec hominibus* nec beſtiis *nocent*: *ita Chriſtiani* debent abſtinere ab injuriis erga notos & ignotos, erga bonos & malos, &c. 4. *Sicut ovis eſt patientiſſima*

 &

& placidiſſima: *ita humanitati* & manſuetudini, quàm maximè ſtudere decet Chriſtianum. 5. *Sicut* nulla eſt particula in ove ſine certa utilitate: *ita* Chriſtianum decet Deo & hominibus ſua tribuere. 6. *Sicut* oves amant munditiem: *ita* membra veræ Eccleſiæ debent mortificare actiones membrorum ſuorum per Spiritum. 7. *Sicut oves amant ſalubria paſcua* & limpidam aquam, neque quidvis promiſcuè
262 comedunt: *ita Eccleſia* non quasvis Judaicas fabulas, non Alcoranicas nugas, non Pontificias legendas, non detorſiones hæreticas alias recipiet. 8. *Sicut oves amant ſocietatem,* quem amorem clamore continuo produnt: *ita piis* nihil debet eſſe jucundius, quàm intereſſe aliorum piorum piis congreſſibus. 9. *Sicut oves difficulter ejiciuntur* ex domo, aut certè libenter redeunt: *ita danda opera piis eſt,* ne deſerant pios conventus, aut ad eosdem maturè revertantur. 10. *Sicut oves,* quæ ſemel longiùs à grege aberrant, *nunquam ſua ſponte ad gregem redire poſſunt*, imò etiam in fauces luporum incidunt, niſi quærantur & compellantur à paſtore: *ita pii* ex erroribus, & nonniſi per Filium Dei, & per verbum ejus eluctari poſſunt. 11. *Sicut* oves non coërcentur catenis: *ita pii* ſponte faciunt officia ſua. 12. *Sicut oves* à lupis infeſtatæ *nihil in ſeſe habent fortitudinis*, quâ ſeſe defendant: *ita caro non habet arma,* quibus ſe tueatur adverſus Dœmonis inſultus, ſed neceſſe habet confugere ad arma ſpiritualia, Eph. 6. v. 14. & ſeq. 13. *Sicut oves ſunt infirmis capitibus,* & per ſe nihil habent conſilii: *ita quoque ſua rationis auxilio* nihil in ſpiritualibus præſtare poſſunt homines. 14. *Sicut oves ſunt obnoxiæ* inter omnia animalia

malia cum equo & homine *plurimis morbis : ita quo-* 263
que Eccleſiam ſingulis ſeculis pluribus ærumnis ex-
ercere ſolet Deus, unde Pſal. 44. v. 23. *oves occiſionis*
dicuntur, quia ſicut lanii gaudent, cùm inveniunt o-
vem pingvem: *ita mali* lætantur Chriſtianorum
exagitationibus & morte. 15. *Sicut ovibus* pluri-
mum prodeſt *ſal : ita cruce coërcentur pii,* nec pec-
catis plena expandant vela, & ita ſub cruce creſcit
Eccleſia. 16. *Sicut oves ſcabioſæ* ſeu leproſæ ſepa-
rantur: *ita impiè viventes* non ſunt ferendi in publi-
cis congregationibus Sanctorum. 17. *Sicut* enim
una ſcabioſa *inficit totum gregem: ita,* niſi caveatur,
unius crimine ſeducuntur & depravantur plurimi
Chriſtiani. 18. *Sicut oves* ſtatim ab ipſa nativitate
agnoſcunt ſuas matres: ita Chriſtiani dependent à
lingua matris Eccleſiæ, cum ipſâ loqvuntur & ſenti-
unt, 19. *Sicut* paſtor quatuor debet ſuis ovibus:
ita Filius Dei, qui ſeipſum nominat bonum Paſto-
rem, *hæc officia quatuor tùm corporaliter, tùm ſpiri-*
tualiter nobis præſtat. 1. *Enim paſcit nos ſeu ornat*
nos bonis corporalibus & ſpiritualibus, qualia ſunt
valetudo, victus, hoſpitia mediocria, tranquillitas
privata & publica; corpore & ſangvine ſuo etiam.
2. *Sicut paſtor gubernat oves,* ne à grege aberrent:
ita Chriſtus dat nobis Spiritum S. gubernatorem o- 264
mnium noſtrorum affectuum, noſtræ voluntatis &
cordis in omnibus officiis, quæ noſtræ vocationi con-
veniunt, ne ruamus in errores, & in tragica ſcelera.
3. *Etiam potenti manu ſua,* & præſidio Angelorum
defendit nos contra Diabolum, ejusq; organa Tyran-
nos & Hæreticos, qui fraude & vi oppugnant Eccleſi-
am. 4. *Infirmos & errantes Chriſtianos non negli-*

 git

git vel rejicit, ſed pendentes de collo geſtat, & ſordes abluit ſuo ſangvine.

CONCLUSIONIS LOCO, quod fidibus lupi agninas malè obſtrepere ajunt, quod ovina tympana coram lupinis obmuteſcere ajunt, quod chordam lupinam cum ovillis extenſam ſolam obtinere, & reliquas rumpere ajunt, quod pellibus commixtis ovillas lanam amittere ajunt, id à doctiſſimo Conrado Geſnero rectè conciliatur, nimirum quod non ſit mirum, lupinam naturam duriorem & ſolidiorem poſſe edere ſonum in fidibus & tympanis clariorem, & diutius durare, quam teneriorem ovillam, ſicuti aquilæ, utpote avis ſiccioris, penna poſita juxta anſeris, tanquam avis humidioris pennam diutius durat. Nam & anſerina ſola repoſita tamen citius conſumeretur,
265 quàm aquilina, etiam ſeorſim & longius ab anſerinis remotior cuſtodita. Eodem modo cadavera hominum ſicciorum tardius putreſcunt, quàm hominum pingvium & humidiſſimorum.

Obiter etiam monemus de Jacobo Gen. 30. v. 37. qui ſtatuit virgas varicolores in conſpectu ovium tempore, quo concipiebant. Notandum igitur eſt, illud, non ubique locorum valere poſſe ſtratagema. Iſtis in locis, ubi Jacobus degebat, toto mane usque ad meridiem latiſſimè in agris deſertis & in aquoſis circumagebantur oves, circaque meridiem ad puteum compellebantur, & adaquabantur. Per aquam igitur limpidiſſimam recreatis, vegetatis, ad venerem cupidioribus redditis ovibus ex aſpectu virgarum varicolorum imaginatio fuit fortior, quæ in aliis paſſim vix contingere poſſent.

DENI-

DENIQVE nervo contrahente, qui eſt in cavo femoris ſeu nervo coxæ, tùm in hoc potiſſimum, tùm in aliis animalibus non veſcuntur Judæi, quoniam in eo perſtrictum fuit cavum femoris Jacobi, Gen. 32. v. 25.

Caput XXIII. 266

DE CAPRA ET HIS COGNATIS.

INitio ex Grammatica notum eſt, juniora hæc animalia vocari hædos, deinde caprum marum caſtratum, hircum non caſtratum eſſe, capram dici, quæ peperit, capellam, quæ nondum peperit, capream eſſe capram ſilveſtrem, Damam eſſe ex genere caprearum, ſicut etiam rupicapram & orygem capricornum, ibicem. His ita relictis, 1. conſtat, hoc animal quaſi Satyrum noſtrum *vehementer amare dumeta & loca alia aſpera*, & ut eſt delicatum, decerpere tantum ſummitates arborum, imprimisque gaudere corticibus betularum, & foliis fruticum, diligere etiam rubos; neque offendi vepribus. 2. *Morſus tamen ipſius*, quod nunquam ſine febre eſſe putetur, propter anhelitum forſan calidiorem, *arboribus valdè eſt noxius.* Id quod eſt imago calumniatorum, qui perdunt & traducunt aliorum rectè dicta & facta. Sicut ergò in Lege locationis fundi excipi ſolet, ne colonus capram natam in fundo paſcat: ita omnibus bonis ſemper ob oculos eſſe debent verſus:

Quiſquis amat dictis aliorum lædere famam,
Hanc menſam vetitam noverit eſſe ſibi.

267 3. *Perire dicitur ex eſu mellis*, à quo abhorret. Melle tamen dilutum caprinum lac ſaluberrimum eſſe creditur. 4. *Cum devorat herbam*, quæ dicitur Eryngium, *confeſtim quaſi attonita ſtat capra*, & reliquæ quoque quieſcunt, neque moventur, niſi paſtor eam eximat. *Id quod pulchrum ſimulacrum* δωροφαγίας, primo vehementer jus urgetur, poſt oblatum munus penè mutus fit judex, quia munera corrumpunt ſententiam judicum, tollunt libertatem votorum, ut verè poſſit dici, *pecuniam accepi, libertatem vendidi.* Dependet etiam omnium mento villus, quem *aruncum* vocant. Hoc ſi quis apprehenſam ex grege unam trahat, cæteræ etiam ſtupentes ſpectare referuntur. 5. Etiam ἐπιληψίᾳ *ſolet hoc animal infeſtari*, & tradunt veſcentes carnibus caprinis præſertim vetuſtioribus etiam reddi pronos & obnoxios huic malo. 6. *Hirci imprimis* vehementer *ſunt libidinoſi*, quod ex transverſo intuitu apparet, adeò ut ſi alios hircos videant coire, indignentur, & in illos impetum faciant. Tanta autem in ipſis eſt libido, ut ſæpè conſuetudinem inire moliantur cum improbis fœminis. Refert Plutarchus, & Cœlius, & alii de Crate interfecto ab hirco, *quod Crates amaſſet capellam hirci, & ipſo vidente cum ipſa conſuetudi-*
268 *nem habuiſſet.* Valdè autem *tempore libidinis & ſudant & fœtent*, unde factum eſt proverbium, Olet, ut hircus, de hircoſis, hoc eſt, de hominibus, ſub quorum aliis graveolentus odor percipitur. 7. *Inter ſangvinem hircorum, & Adamantem naturalis*

quæ-

quædam eſſe dicitur & mirabilis ἀντιπάθεια, ſiquidem
Adamas reſpuit omnia alia elementa. Non poteſt
domari igne vel ictibus malleorum, ſed maceratur
ſolo ſangvine hujus animalis. *Id quod eſt imago
ſangvinis Chriſti*, quia portæ inferorum non potue-
runt ulla virtute corporali deſtrui; ſed ſolo ſangui-
ne Chriſti. 9. *Ex cornibus caprarum fiunt arcus*,
quibus ipſis poſtea læduntur corpora caprarum. Id
quod *etiam eſt imago illorum*, qui ſæpè fovent alios,
à quibus poſtea opprimuntur, ſicut aviculæ ſuppedi-
tant pennas infigendas ſagittis, unde natum eſt Pro-
verbium: *Video pennas meas in vulneribus meis*. 10.
*Non proſunt hæc animalia vel ad bellum, vel ad ara-
trum*, niſi quod pelles veſtibus conficiendis condu-
cunt. In Africæ quadam parte tonſiles capræ dicun-
tur eſſe à Textore, ex quarum villis nautæ rudentes
conficiant. Caſpiæ ad magnitudinem equorum ac-
cedere ab Æliano perhibentur, & tàm molles habere
pilos, ut ditiſſimi veſtes inde conficiant: Sicut in A- 269
rabia pannus contexitur etiam ex pilis aſinorum.
In Lycia item ab eodem referuntur habere (Zambe-
litas) prolixiſſimos pilos, ut mulierum crines, Exod.
25. v. 3. & ſeqq. ad tabernaculi ſeu Templi portati-
lis extructionem jubentur, qui aurum, argentum, æs,
hyacinthum, purpuram, coccum, byſſum non ha-
bent, ſaltem pilos caprarum conferre, & ex pilis ca-
prarum in fila ductis facta ſunt ſaga ſeu cortinæ, ut il-
lis cortinis ſericæ cortinæ habitationis Dei extrinſe-
cus operirentur. Significatum fuit ad gloriam Dei
& Eccleſiæ ædificationem unumquemlibet illud con-
ferre debere, quod ipſi eſt in promtu, quale quale fue-
rit. Sed & hiſtoriæ profanæ docent, ex pellibus ta-
berna-

bernacula fuiſſe in caſtris confecta (Cælius lib. 27. cap. 14.) Sicut in tabernaculo Moſaico ita dicto ex *parentibus arietum & taxorum conficiebatur tentorium*, Exod. cap. 26. v. 14. Aſper veſtitus Prophetarum innuitur. Hebræor. 11. v. 37. *cum dicuntur uſi ovillis & caprinis pellibus*. Quod alias attinet ad uſum caprarum, hædo, lacte, caſeo, & ut jam modò dictum eſt, pelle juvant. Nimis tamen multas ali non poſſe ſimul Gaberius Romanus eques apud Varro-
270 nem ſuo malo didicit, qui mille ſimul nutriturus omnes perdidit, adeò, ut ubi mille oves aluntur, vix centum capras ali debere putant. Melior eſt grex ex conſuetis, quàm collectis.

11. *Præferocia* ſæpè excutit hoc animal mulctram, & ita ſimul perdit lac. Id quod eſt imago illorum, qui quidem ſunt inſtructi egregiis donis, ſed tamen ſimul obnoxii graviſſimis peccatis, unde in proverbio dicitur, *Malum eſſe animal, quod multum præbet lactis, ſed tamen omnem copiam una vice turpiter profundit.*

12. *In more eſt poſitum huic animali ſubinde permutare locum*, conſcendere altos montes, circumſaltare &c.

13. *In Arabia mirificè amat ſurculum Cynnamomi*, quo monſtrato duci poteſt in quemvis locum; ſed eo negato murmurat & conqueritur, adeò, ut certum ſit, peculiarem συμπάθειαν eſſe inter hunc ſurculum, & inter capram, & eſt ille ſurculus ſimilis viti.

14. *Acutiſſimi auditus eſſe fertur*, & referimus, quod Horus habet, aliiſque examinandum, non verò ſtatim credendum committimus, audire non tantùm auribus, ſed & quadam parte gutturis.

15. *Oves*

15. *Oves & Capras quibusdam locis per annum bis parere,* ait Ariſtoteles, & colligere ex hiſtoria Jacobi Gen. 30. aliqui conantur, licet eo loco videatur intelligendus Jacob de ovibus aliis maturius, aliis tardius natis, eadem tamen anni parte. 271

16. *Solertiam caprarum Mutianus refert* apud Plinium ſibi viſam in ponte prætenui, duabus obviis è diverſo (cum circumactum anguſtiæ non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitatem cœca torrente rapido minaciter ſubterfluente) alteram decubuiſſe, atque ita alteram proculcatæ ſupergreſſam. Id quod eſt pulchra imago concordiæ firmæ inter eos collegas in Republica, in Eccleſia, in privata converſatione, tanquam in anguſto ponte, ubi publici commodi cauſa alter alteri cedere nonnunquam novit, & de ſuo jure cedit, ne turbæ excitentur. Sic Jonathas virtute parcebat Davidi, quem ſciebat divina ſorte eſſe electum. Hæc latiſſimè tractari poſſunt.

17. P*atiens eſt & contenta,* & cubat etiamſi nihil ſubſternitur. Nimis multæ non poſſunt paſci ſimul, quia Gaberius eques Romanus mille nutriturus omnes perdidit apud Varronem.

18. *Hircus fiducia barbæ gregem antecedere perhibetur,* quia & ovis quamvis ſtulta, tamen campanu- 272
lam geſtans primum locum in egreſſu & ingreſſu ſibi rapere dicitur, adeò norunt ſeſe extollere, qui ſæpè minimis quibusdam donis divinitus ſunt inſtructi, ſicut ſemper VACUA VASA PLUS TINNIUNT.

Audimus etiam Philippum Melanchthonem crebrò dicere ſolitum fuiſſe (omnis fatuus eſt ſuperbus,

&

& omnis ſuperbus eſt fatuus) Et boni viri Germanicum noſtrum vocabulum Stoltz derivant ex Latino Stultus. Et pertinent huc verſiculi, qui attribuuntur Johanni Gerſoni Cancellario Pariſienſi:

Vidi ego veſicam modico turgeſcere flatu,
Quæ piſis ſonuit quattuor impoſitis;
Hanc puer unus acu pupugit, diſploſa repentè,
Vilis & absque ſono flaccida detumuit.

Notum etiam eſt de gloriabundis illud:

Capra nondum peperit & hædus ludit in tectis.

Item de aſſentatoribus, qui talibus Thraſonibus applaudunt, utrum ſtultior ſit, qui hircum mulget, an qui cribrum ſupponit, cum uterque æque ſit ridendus.

Porrò ſylveſtris capra nominatur caprea, ex cujus genere ſunt, Damæ, & rupicapræ, Item *Ibices* ſeu *capicorni, & oryges.* Capræ autem plurimùm valent viſu, & habent vocem debilem, ſed ſonoram: hanc
273 imitari ſolent venatores inflatis arborum foliis, & hoc modo evocare capream ex ſuis latibulis. Huc pertinent verſus Martialis:

Pendentem ſumma capream de rupe videres,
Caſuram ſperes, decipit illa canes.

Damæ autem à rupicapris ita differunt, quod Damæ non habent cornua ramoſa, ſed cornua verſus anticam partem flexa; ſed rupicapræ verſus poſticam.

Capricornus autem vel Ibex etiam ſpecies quædam eſt caprearum in Alpibus, major hirco, cornibus grandibus, quibus ſeſe excipit & fulcit, cum ex altis rupibus deſilit, ne terræ vel ſaxis allidatur. Eſtque mirandæ velocitatis, & cum omnia effugia ſentit ſibi eſſe inter-

interclauſa, concitatiſſimo curſu vertitur in venatorem, ipſumque præcipitat, & ita evadit.

Oryges à reliquis ita differunt, quod habent pilos verſos ad caput, Id quod *eſt imago inquietorum hominum*, qui nihil amant niſi novum & præpoſterum. Solent autem Oryges valdè eſſe feroces, contemnere Leones & Tygrides, neque ceſſare, niſi hoſtem interfecerint. Etſi autem omnes ſpecies hujus animalis amant ſaltationes, tamen Ibex apud Hebræos nomen habet ab adſcendendo & ſaliendo, & degit in ſummis 274
rupibus, ubi perpetuum eſt frigus, & perpetua nix: & ſine frigore excœcaretur, tantaque eſt celeritate, ut ex monte in montem oberret, modò ungulas figere poſſit.

Hæc de natura hujus animalis, à quo Sacra Scriptura ſæpè mutuatur imagines, quarum ſaltem duas lubet commemorare, *alteram* ex Levit. cap. 16. v. 10. 15. *alteram* ex Daniel. cap. 8. v. 5. Nam quod Chriſtus dicitur caprea ſeu hinnulus in Cantico Canticorum, de eo dictum eſt ſuperius in cap. de cervis. Et notum eſt, impios in extremo die comparari hircis, id eſt, libidinoſis, fœtidis propter peccata, & epilepticis, id eſt, obnoxiis non alicui morbo corporali, ſed ſpirituali ſeu peccato.

Levitici igitur 16. v. 15. deſcribitur *hircus vel caper* ἀποπομπαῖος *ſeu emiſſarius, qui offerebatur in expiatione publica ſeu generali* pro peccatis totius populi. *Itaq; talis hircus tantum offertur* per ſummum ſacerdotem, & quidem *ſaltem ſemel in anno. Ita etiam Chriſtus* tanquam ſummus Sacerdos ſeipſum obtulit, & *ſemel ingreſſus* eſt in ſanctum ſanctorum, ubi apparuit nubes, id eſt miracula ſunt edita teſtificantia hunc eſſe Filium Dei. Dum igitur hic unus

unus caper mactabatur, interim alter, cujus capiti im-
275 ponebantur imprecationes pro omnibus peccatis, e-
ducebatur in deſertum ſeu mundum relegabatur.
Quo ipſo indicarunt, Chriſtum debere exire extra
urbem, & pati pro nobis. Eduxerunt enim Chriſtum
extra portam, Hebr. cap. ult. & tali ratione cruci affi-
xerunt, ne poſſet intueri urbem ex cruce, unde pia
vetuſtas omnes imagines crucifixi in Templis ita
collocat, ut facies ſpectet occaſum. Poteſt etiam al-
ter paſſionem, alter reſurrectionem Chriſti notare.

Danielis 8. v. 3. 5. regnum Alexandri M. compa-
ratur cum hirco caprarum, quod ſuperius compara-
batur cum Pardo: *Ecce* (inquit textus) *hircus capra-
rum veniebat ab occidente ſuper faciem totius terræ,
non tangens terram,* habens cornu inſigne inter ocu-
los ſuos, & cucurrit ad Arietem in impetu fortitudi-
nis ſuæ, & percuſſit eum, & comminuit duo cornua
ejus. *Hic Græci comparantur capris, & Alexander
dicitur hircus caprarum,* quia oriundus fuit ex Græ-
ca gente. Ideò autem *Græci* dicuntur *capræ, quia*
ſunt valdè *ſagaces*, acuti, agiles, *ſed* tamen *ſimul mo-
biles*, & aliquo modo leves, ſicut dici ſolet, Romanis
naſci ſermonem in corde, ſed Græcis in ore, capræ ſunt
ſagaciores, acutioris viſus, & agiliores ad motũ quàm
276 oves. *Sicut autem hircus eſt* 1. ardentior, & 2. velocior,
& 3. potentior, & 4. libidinoſior Ariete: *ita Alexander
M.* vicit arietem ducem ovium, id eſt, Regem Perſicum
ſuo ſublimi cornu, id eſt, ſingulari ſua prudentia &
magnitudine animi. Et quidem non tetigit ipſe
terram, quia volavit, & contrivit duo cornua Arie-
tis, quæ ſunt Media & Perſia. Cùm autem creviſſet
ille hircus, & factus eſſet nimis magnus, *fractum eſt
cornu*

cornu ipſius magnum, id eſt, non in ſenecta periit, ſed in medio flore ætatis, id quod innuitur in vocabulo frangi. Atque quo die natus eſt Alexander Magnus, illo die conflagravit pulcherrimum Templum Aſiæ, nempe Epheſinum, unde prædixerunt Magi, eo die natum eſſe incendium Aſiæ. Ex ipſius cornu fracto orta ſunt alia 4. cornua, id eſt quatuor præcipui ſucceſſores Alexandri Magni, de quibus dictum eſt cap. 8. Porrò pro concluſione hoc notetur, ipſum Alexandrum Anno ætatis 23. veniſſe Jeroſolymam, ibique ſacrificaſſe, & explicationem hujus vaticinii de ſeipſo cum magno gaudio audiviſſe. Vide apud Joſeph. lib. 11. Antiquit. pulcherrimā illam hiſtoriam. Apud Martialem quidam conductus ad cauſam de tribus capellis incipit, pro more quorundam advo- 277
catorum exaggerare rem, & delabitur ad commemorationem bellorum, & ad alia huc non pertinentia: Illum feſtivè cliens in viam redire juſſit hiſce verbis, *Quid hæc ad rem, tu dic de tribus capellis.* Studioſis etiam non debet eſſe ignota commemoratio, quæ extat apud Herodotum lib. 2. de contentione inter Ægyptios & Phryges, *utri priores extitiſſent. Illud ſciſcitaturus Rex Pſammetychus duos pueros pauperes recensnatos tradit paſtori inter pecora educandos, & juſſit, ut nemo coram illis vocem ederet, ſed in ſolitaria caſa ambos ſibi ipſi relinqui, eisdemque in tempore capras admoveri, ubi lacte expleti forent, alia adminiſtrari. Hoc ideò faciebat, quod cuperet ex pueris, ubi inarticulatè vagire deſiſterent, audire, ſi quæ vox primò erumperet. Poſt aliquod exactum tempus, paſtori, qui hæc adminiſtrabat, aperienti januam, ambo infantes porrectis manibus procidentes BECCUS clamabant.*

mabant. Cumque hoc ſæpius facerent, ipſe rem Regi indicavit. Percontabatur igitur Rex, quinam homines BECCUS appellantur, & comperit Phryges ſic panem appellantes. Illo argumento Ægyptii conceſſerunt, Phryges eſſe priores Ægyptiis. Etſi verò WEKEN alicubi forma panis cujusdam appellatur, &
278 Becker ſignificat piſtorem panis, etſi etiam Phryges iſti Germanicâ quadam lingvâ tum uſi fuiſſe ab Hiſtoricis demonſtratur: tamen non eſt dubium, pueros auditum quotidie ſonum pecorum, ovium & caprarum expreſſiſſe. Nulla enim eſt naturalis lingva, ſed omnes diſcuntur. Nec Hebræa Judæis eſt naturalis. Judæus natus in Polonia, Germania, Gallia, uſu addiſcit eandem & ſimul ex Præceptoribus Hebræam lingvam. Sed hæc obiter.

CAPUT. XXIV.

DE SIMIA.

ETiam notum eſt animal hoc, cum quo cognationem habet *Cercopithecus* (Meerkatz) id eſt, Simia habens caudam, ſicut reliquæ Simiæ caudam non habent. Item Sphinx, hoc eſt, Simia habens villoſas comas, & mammas prominentes, item ſatyrus, qui eſt valdè inquietus, facie grata, geſticulantibus motibus, *Item Cynocephalus habens caput canis, & corpus Simiæ.* In Simiarum plusquam in hominum Anatomia verſatum fuiſſe Galenum, docent Veſalius & Columbus Anatomici. Sed ad ipſam propriè ſic dictam Simiam quod attinet

I. Acce-

1. *Accedit hoc animal in plurimis particulis corpo-* 279
ris proximè ad ſimilitudinem corporis humani. Valdè tamen fœdam habet faciem, nares ſuppreſſas, turpes rugas, neque aures habet immobiles, aliàs etiam non valet ad opera geſtanda, ſicut equi, ſed eſt γελατοποιόν. Habitat in montium cavernis & foraminibus, in rupibus etiam & arboribus.

2. *Quemadmodum* magnam habet ſimilitudinem cum corpore humano: *ita* quoque cupidiſſimè imitari ſolet geſticulationes & actiones humanas.

3. *Valde autem inepta eſt illa imitatio, quia plerumque imitatur prava.* Diſcit igitur omnis generis ludicra, canit fiſtulâ, agit aurigam, quærit pediculos, & alia. Ludit cum infantibus & canibus, ſæpè infantes non cuſtoditos ſtrangulat. Apud Ælianum quædam viderat lavari infantem à nutrice. Poſtea eadem abſente nutrice, nudavit infantem, & ſuperfudit aquam ſuccenſis carbonibus caleſcentem, atque ita interfecit.

4. *Sæpe autem hæc prava æmulatio cedit in detrimentum ipſius.* Cum enim ſit valido corpore, non poteſt vi aliqua capi, ſed dolis & fraude. Nam venatores in conſpectu ipſius ſeſe ſolent lavare aquis, induere calceos, applicare ſpecula capitibus: poſtea- 280
que diſcedunt, & relinqvunt vaſculum viſco plenum, ex quo cum lavat faciem, ſibimetipſi viſum intercipit. Præterea plumbeos aut alios relictos calceos ſolet induere, quibus laqueos innectere ſolent venatores, ut etiam ſpeculis addunt funes, unde cum induit calceos, vel applicat ſpecula capiti, non eſt a-

ptum ad fugam, ſed funibus retrahitur, ſicque venit in manus hominum.

5. *Eſt autem in Simiis* Φιλαυτία, adeò, ut laudes ſuas ſentiant, & ſpeculis vehementer delectentur.

6. *Nullum eſt animal, quod tàm impensè amet ſuos fœtus, atque Simia.* Solet enim ipſos omnibus monſtrare in ædibus, & gaudet, quando contrectantur, eos perpetuum fovet in ſinu, & complectitur, ac ſi eſſent pulcherrimi, cum tamen omnium ſint maximè deformes.

Dedit ei Deus ubera in pectore, non ut aliis animalibus in alio loco, unde etiam fœtus pectori admovere poteſt. Tanto autem amore fœtus ſuos proſequitur & complectitur, ut ſæpè ipſo complexu ipſos enecet. In fuga unum accipit prioribus membris, alium portat in dorſo. Et quidem illum recipit in
281 dorſum, quem minus amat, ſed cum urgente neceſſitate vix poteſt effugere, alterum abjicit, quem ulnis geſtabat, ſed alter in dorſo minus dilectus unà cum matre ſalvus & incolumis evadit. *Id quod eſt imago parentum, qui aliquos liberos immodico amore complectuntur, & reliquos tanquam minus blandos negligunt. Sæpè autem fit, ut qui minus diligebatur, ad frugem bonam perveniat, ſed alter valdè dilectus degeneret.* Cujus exempla habuimus in primis parentibus, qui magis amabant Cainum, quam Abelem, cùm tamen Cain rejiceretur unà cum totâ ſuâ poſteritate in diluvio, ſed alter pius & fidelis reciperetur. Præterea adeò mas Simia amat ſuos liberos, ut ſi filius videatur aliquid deſiderare, aut indicare, quaſi à matre fuerit malè tractatus, caſtiget matrem.

7. *Habet*

7. *Habet igitur corpus ridiculum, animam ridiculam.* Non autem ſufficit hoc animal eſſe deforme, & æmulum actionum humanarum, verùm etiam eſt malitioſum, indomitum, & habet morſum pernitioſum, & vix verberibus atque catenis coërceri poteſt. Et licet cicuretur, tamen citiſſimè redire poteſt ad ferocitatem.

8. *Omnibus cibis promiſcuè veſcitur etiam valdè immundis,* ſicut pediculos ſolet in os projicere, nucibus etiam & pomis, & vino delectatur, hocque ſæpè 282 inebriatur.

9. *Inter Simiam & leonem magna eſt ἀντιπάθεια,* quia Simia eſt verſutiſſima, ſed Leo ſicut cap. 6. dictum eſt, odit omnes dolos. Et illa ἀντιπάθεια eò usque ſe extendit, ut leo laborans febri vel alio morbo curetur, non niſi carnibus Simiarum. Adeò autem petulantiſſimum eſt hoc animal, *ut non vereatur etiam Leonem agitare per laſciviam affixa natibus illius.* Ælianus dicit, Indos ſimias rufas in urbem non introducere, quòd ſint libidinoſæ, & ſæpè moleſtent fœminas, attamen Dominum poſt multos annos facilè recognoſcit, injuriarum quoque diu manet memor, & ſimultatem diu exercet in eum, qui læſit.

10. *Simia ſemper manet Simia,* & licet pueris videatur pulchra, & veſtiatur purpurâ, & ab incautis ſæpe loco hominis ſalutetur, tamen non poteſt occultare fœditatem, verſutiam & malitiam. *Refert Gregorius Nyſſenus de Simia valde bene veſtitâ, quæ ſaltabat artificiosè in urbe Alexandrinâ tam diu, donec aliquis nuces amygdalas projiceret in medium, ad*

quas accurrens, & ita ſaltationem interturbans riſum movebat ſpectantibus.

Sic multi in omni officiorum genere majeſtatem
283 externam unicè curant & volunt honorari, ſed ſi privatum commodum aliquod ſeſe exhibuerit, continuò & faciliimè agnoſces tectam impietatem ſub honeſtiſſimi officii velamine. Etiam refertur ex Athenæo de Anacharſi Philoſopho, qui videns alias ineptias non riſit, ſed cum Simiæ inducerentur, cepit ridere, & interrogatus de cauſa reſpondit: *hæ beſtiæ ſunt factæ ad movendum riſum.* Hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus animalis, cui pulchrè poſſunt comparari omnes κακόζηλοι, omnes adulatores, omnes impoſtores, omnes ſcurræ & NUGATORES, denique etiam ipſe Diabolus, qui ſemper ſolet eſſe Simia Dei.

I. *Sicut igitur Simiæ non habent rationem hominis*, ſed ſine judicio, & citra reſpectum perſonarum, locorum & temporum æmulantur geſtus quosdam: *ita adulatores & ſimiles*, cum non poſſunt prodeſſe conſilio, *ſtudent imitari magnorum virorum πάρεργα, non ἔργα,* hacque ratione producunt ſuam ſtultitiam, vel amorem præpoſterum in theatrum, ſicut Polybius loquitur.

Sic tempore Philippi quosdam audimus non tantùm manum, ſed & omnem veſtitus rationem Philippi Melanchthonis æmulari ſolitos. Sic multi aliorum
284 geſtus & ſermonem in concionando æmulantur, ſæpè magnâ cum ſtultitiâ, citra judicium, ſine diſcrimine perſonarum, locorum, temporum, ſine omni fructu auditorum, tantum auræ captandæ gratia.

For-

Fortaſſis optimè huc poſſet referri, & cum Simiis comparari illa intolerabilis κακοζηλία Germanorum, quâ utuntur tùm in aliis rebus levioribus, tùm imprimis in veſtitu. Et huc pertinet nota hiſtoria de Duce quodam ſive Venetorum, ſive Turcarum, cujus juſſu pictor quidam habitus ſingularum nationum delineabat. Sed cum Germani eſſent pingendi, ipſe pinxit Simiam, geſtantem ſuum pannum in ulnis. Interrogatus pictor de cauſa *reſpondit: Sicut Simia imitatur actus omnes humanos, ita Germani in ſingulos annos mutant veſtitum, & æmulantur alias nationes: Idcircò dicebat, ſe reliquiſſe ipſis integrum pannum, ex quo veſtes, quas vellent, facerent.*

2. *Sicuti Simia* æmulando *actus humanos plerumque capiuntur; ita quoque adulatores* &. alii ſtultis & pravis æmulationibus nihil aliud lucrantur, niſi ludibria & detrimentum ſuarum rerum. Hujus exemplum habemus in Phaëtonte, qui adſpirabat ad currus paternos, ſed magnis excidit auſis.

3. *Sicut Simiæ ſunt ſuperbæ*, & delectantur ſpecu- 285
lis: *ita adulatores* præ reliquis omnibus *cupiunt laudari.*

4. *Sicut ſimiæ non tantùm ſunt animalia γελωτοποιά, verùm etiam malitioſa: ita quoque adulatores & ſcurræ* non tantùm captant riſum, ſed etiam quærunt interitum bonorum, ſicut aulica exempla nimis teſtatum faciunt.

5. *Sicut enim Simiæ* apud magnates & Principes in aulis, non apud Paſtores ovium *reperiuntur: ita quoque adulatores* & impoſtores conantur proximi eſſe regibus, ad quorum gratiam loqvuntur, & aliis ſtruunt inſidias.

6. *Sed ſicuti Simiæ* interdum proprios lædunt Dominos: *ita quoque* aſſentatores multoties ipſos ſuos Principes decipiunt, & in magna mala conjiciunt, cujus rei exempla nimis multa ſuppeditat hiſtorica lectio.

7. *Sicut* Simia petulanti agitatione non veretur commovere Leonem: *ita quoque* aſſentatores aulici ſæpè optimos & præſtantiſſimos ſervos de gradu dignitatis dejiciunt, calumniis opprimunt, & aliis modis exagitant, id quod expertus fuit Euripides. Cum enim valdè familiaris eſſet Archelao, aulici, quod noctu domum reverteretur ex aula, canes venaticos
286 in ipſum incitarunt, à quibus bonus Poëta fuit diſcerptus. Eandem fortunam expertus etiam Aratus, cui lentum venenum fuit ſuppeditatum: cum igitur finem vitæ perſentiſceret, exclamavit, hæc ſunt præmia Regiæ amicitiæ, fuge aulam!

9. *Verùm ſicuti* Simiæ nihil proſunt niſi ad comparandum riſum: *ita* tales nullius ſunt uſus, niſi cum riſus excitandus eſt, ſicut Aurelianus Imperator præſtantem virum habebat inſigni magnitudine, Bonoſum, quo tamen ad nullam rem poterat uti, niſi cum peregrini potu immodico eſſent excipiendi.

9. *Et ſicut Simia prodeſt Leoni contra febrim,* ſi devoretur: *ita quoque tandem aſſentatores* aut ipſi aut poſteri eorum graves luunt pœnas adulationis. *Hæc omnia pulchrè poſſunt accommodari ad Diabolũ,* Simiam Dei, qui Ethnicis per ſuas prophetiſſas ſolitus fuit prædicere futura, ſolitus etiam fuit miracula quædam fingere, ut in Ægypto per magos, & quæ ſunt hujus generis fermè infinita. Sed de his quaſi

noſtris

noſtris pygmæis quibusdam, quibus cercopitheci, cynocephali, ſphinges, ſatyri annectuntur, ſatis.

Caput XXV. 287

DE GULONE, ET SCIURO,
ET MUSTELIS VARIIS, COGNATISQUE QUIBUSDAM.

POſt abſoluta præcipua quadrupeda ſeu terreſtria quadrupeda, deinceps ſeqvuntur præcipua.

GULO *eſt animal quoddam veteribus incognitum, ſeptentrionale, voraciſſimum, magnitudine canis, facie felis, corpore & caudâ vulpis, colore muſtelino pulchro, ut in ſerico Damaſceno. Habet autem duas inſignes proprietates, 1. quod eſt crudele, 2. quod vorax. Solet enim arbores conſcendere,* & deſilire ſuper prætereuntes beſtias & homines, adeò inexplebili & crudeli voracitate laborat, & imprimis gaudet cadaveribus. *Invento igitur cadavere* tantum vorat, ut inſtar tympani extendatur, ſtatim autem quærit duas viciniſſimas arbores, & in anguſtiam illam per vim ſeſe intrudit, ventremque arctiſſimè conſtringit, ut violenter ingeſta violentius egerantur. Poſtea cum alvum hac ratione exoneravit, rurſus ad cadaver pro- 288
perat, & denuò devorat, quantum poteſt, iterumque intra arbores illud excernit, idque tamdiu facit, donec totum cadaver abſumatur. *In hoc turpi animali haud dubiè Deus ſpectandum voluit ſubjicere fœdiſſimam intemperantiæ ingluviem.* Videmus enim noſtra do-

domeſtica bruta, non multis exceptis, pleraque ſecundum naturæ ordinem in cibo & potu ſervare mediocritatem ſuæ naturę convenientem, neque blanditiis, nedum verberibus poſſe cogi, ut ſupra neceſſitatem aliquid recipiant. Sed verè dolendum eſt, illos, qui ad imaginem Dei ſunt conditi, & quidem hodie per totum orbem terrarum, adeò teterrimè violare naturæ ordinem, ut aliquid tetrius committant, quàm hæc ipſa beſtia. Sola autem turpis imago hujus beſtiæ quemlibet à deteſtando iſto flagitio avocare debebat. Quid? quod hæc contenta eſt uno cadavere, ſed homines ſine modo cibo & potu ſeſe onerant, faciunt ex nocte diem, & ex die noctem, & cum natura nihil amplius patitur, rurſus egerunt illud, & à vomitu confeſtim redeunt ad pocula. Quæri ſolet ab eruditis joci gratia, utrum in unâ urbe poſſint eſſe
289 antipodes, & reſpondetur affirmativè. Nimirum antipodes noſtri ſunt noſtri helluones, qui habent diem ſeu lucem, quando nos noctu dormimus, & viciſſim ipſi dormiunt, cum nos in die ſeu luce operamur.

SCIURUS notiſſimum animal inde nomen accepit, quod ſuâ prolixâ caudâ ſibimetipſi faciat umbram, & quoddam tegumentum. Æſtate congerit ea, ex quibus vivit hyeme. *Parum ſolet bibere, ſed plus comedere. Præterea cum ſatis comederit, reliquias diligenter cuſtodit & reſervat, in famis poſterioris uſum. Plurimum delectatur ſomno, ex quo etiam pingveſcit.* Itaque in cavis arboribus ſeſe occultat, & ſomno diuturno creſcit. In arboribus habitat, nidificat, parit, fœtum fovet, inquietum animal, cauda pro ala quaſi utens, cauda inſpecta ad ſaltum movetur.

Aquam

Aquam tranſiturus ligno inſidet, & caudâ pro velo
utitur, cibum in ore geſtans. Naturæ etiam mirabi-
li arte varia facit foramina, & ſuâ caudâ ſolet obtura-
re cavernas, ex illa parte, ex qua ſpirat ventus. Dum
igitur animadvertit aquilonem ſeu ventum ſpirare
à Septentrione, claudit cavernas ſpectantes Septen-
trionem & utitur cavernis ſpectantibus meridiem.
Aliqui ſcribunt, quod longè antea prævideat tempe-
ſtates, & ideò longè anteà cavernam unam obturet,
ſed hoc nimium eſſet. Singulis etiam annis mutat 290
ſuum pilum, unde fermè calveſcit, ſed mox pulchrio-
ribus pilis conſpicuum prodit. *Solet autem duplex
eſſe ſciurus, quidam rutilo, quidam verò cæſio colore
præditus.*

Ex hoc animali poſſunt depromi imagines in u-
tramque partem. *In bonam partem, ut ſit ſignum
frugalis hominis,* quia mira calliditate præditus eſt, &
non tantùm propter mutationem, & flatus fortunæ,
tempeſtivè ſibi proſpicit de idoneis remediis, contra
tempeſtates illas fortunæ. Prætereà non tantùm
publica mala ſingulari ſtudio declinare conatur, ve-
rùm etiam in totâ vitâ in victu & amictu adhibet
mediocritatem, nihil temerè profundit, ſed reliquias
reſervat, imprimis vitat pocula, non infert naturæ ſuæ
vim, mutat etiam & deponit antiquam vitam, ut ſem-
per in novitate obedientiæ laudem mereatur apud
Deum & homines. *In malam partem poteſt torque-
ri in iſtos, qui tantum ſuam cuticulam benè curant,*
non laborant, ſed tantùm vel edunt vel dormiunt.
Ubi verò ad labores eſt deſcendendum, facilimè fran-
guntur. Sciuri plurimum læduntur, cum intra ro-
tas coguntur decurrere. Nam nihil amplius deſide-

rat

rat Sciurus, quàm ut poſt ſumtum cibum dormiat, &
291 à ſomno novum habeat cibum, poſteaque repetere
illas vices perpetuo, niſi violenter cogeretur currere,
dum includitur rotæ.

MUSTELA.

Ita appellatur quaſi mus longior. Etſi enim
non pertinet ad genera murium, tamen dicitur magnam cum ipſis habere cognationem. Veteres putarunt, ipſum ore parere, & aure concipere, ideoque Judæis prohibitam, ut noſſent pernicioſiſſimum eſſe morem, ut quæ auribus acceperunt, eadem verbis exaggerantes majoribus malis involvant. Sed hoc eſt vanum. Parit enim & concipit ſicut reliqua ſimilia animalia. Si ita ſeſe haberet, quod tamen non eſt, tùm etiam eſſet pulchra imago naturalis ſermonis, quia nemo debet ore parere & proferre, niſi quæ prius aure concepit, juxta illud Sir. c. 18, 9. *Antequam loquaris, diſce.* Prohibita autem eſt in Lege divina hæc caro ideò, ut noſſent, non ad quemvis fortunæ ſtrepitum piis eſſe extimeſcendum, ſicut hoc timidiſſimum eſt animal, & clandeſtinas inſidias & clandeſtina furta, quibus gaudet hoc animal, vitandá eſſe piis.

1. *Eſt autem valdè timidum,* nec minus aſtutum,
& in domibus nutrit ſuos catulos, ſed propter timidi-
292 tatem quotidie transfert illos in alia loca & mutat
ſedem, ne nidus ipſius ab aliquo deprehendatur.
Dicitur etiam herbam quandam quærere peculiarem,
quâ fœtus caſu aliquo læſos ſolet ſanare.

2. *Ipſa verò naturale exercet odium cum ſerpentibus,*

ribus, & ipſi inſidiantur muribus. Et ſunt pudenda muſtelæ valdè fœda, id quod ſerpentes non poſſunt ferre. Sicut igitur ſerpens, ita quoque muſtela in domibus verſatur & inſidiatur muribus, & vivit ex muribus, & dicitur plures capere mures majores & minores, ut & talpas, quàm felis. Ita autem cum pleriſque comparatum eſt, ut odio habeant illos, qui ex eodem victu vivere coguntur. Poteſt autem muſtela mirabili quadam virtute indagare antrum ſerpentis. Itaque prius ſeſe perlinere & munire rutâ perhibetur, poſteaque intrepidè aggredi & interficere etiam magnum ſerpentem & baſiliſcum. *Id quod poſſet eſſe imago Chriſtianorum*, quos ſemper odit Diabolus, ſed à quibus ipſe rurſus vincitur beneficio rutæ, id eſt, prædicatione verbi de merito & ſanguine Chriſti.

3. *Præterea hoc animal, cum exarſerit irâ, malè olet*, & rabioſum non minus nocet, quàm canis, &
plurimum inſidiatur paſſeribus, & aliis parvis avi- 293
bus, eſtque velut lupus avium, & ova, quæcunque poteſt, aufert & deglutit. Sicut autem vivum perſequitur ſerpentes, ita quoque poſt mortem ipſius bilis flava ſeu fel prodeſt contra aſpides, & caro ipſius contra venena.

4. *Velociſſimum etiam eſt, & habet morſum noxium, mutat pilos, eſt inſtabile, ſagax & corpore flexili præditum.* Ruſtica ſeu Silveſtris muſtela eſt paulò major quàm domeſtica, & imprimis ſolet capere aviculas, ſicut felis. Domeſtica muſtela gallinis non nocere dicitur, ſed ſilveſtris, martes & iltiſſus, ſpecies muſtelarum, gallinas jugulare certò perhibetur. Iltiſſus in littore piſces & cumprimis ranas, in ſilvis volu-

volucres, in domibus venatur gallinas & columbas, & ne clamare poſſint, præmordet primò capita.

Muſtelæ etiam figuram, ſed tamen magnitudinem felis habent iſta animalia, quæ appellantur Martes ſeu Marti, & Zobeli muſtelarum genus pulcherrimum omnium. Eſt autem duplex genus, quia *quoddam* degit in urbibus, *quoddam* in ſilvis, & *quoddam aut* in abietibus (Dannenmarter) *aut* in fagis (Buchmarter) in cæteris pleriſque convenit cum muſtela, hæc tamen duo habet propria. 1. *Quod*
294 *ſtercora ipſius bene olent*, & hac ratione plerumque inveſtigantur. 2. *Quod* licet ova & gallinas, undecunque poſſit, comportet & dilaniet, tamen *propriis Dominis*, in quorum ædibus degit, *non modò nullum ovum vel gallinam ſubtrahere, ſed potius ſæpè numerò integra deponere dicitur*. Id quod eſſet *egregia imago gratitudinis*, cujus tamen quædam exempla etiam reperiuntur in furibus & in latronibus atque aliis, qui hoſpitum ſuorum ſolent aliquam habere rationem, Et ipſis beſtiis duplo deteriores ſunt, qui etiam nefarias manus vel injuriam inferunt illis, à quibus foventur. OBITER addimus, quod multi docent, ſciuros & muſtelas allio dentibus tentato in poſterum non mordere, immò cicures fieri.

Levit. 11. v. 29. *probibetur intra reliqua animalia* etiam Mygale, & videtur eſſe ſpecies muſtelæ nobis non ita benè cognita, & ſunt multi, qui in Levitico putant innui aliud animal huic tantum ſimile. Multa enim ſunt vocabula Latinæ verſionis Bibliorum, quæ non congruunt cum ipſis fontibus Hebraicis. Porrò Mygale 1. animal parvum, & inſtar muſte-

muſtelæ. 2. Rapinis omninò deditum. 3. Callidum & inſidiis multis inſtructum. 4. Gulæ & intemperantiæ deditum. 5. Cum videt aliquem ad ſe appropinquare, fingit ſeſe manſuetum, ſed mox, ubi ille acceſſerit propiùs, morſu eum petit, & venenum infundit in vulnus. Reliqua verò omnia habet communia cum muſtela. Si igitur in fontibus indicatur Mygale, certum eſt, prohibitione hujus animalis Deum nihil aliud voluiſſe ſignificare, quàm pios homines debere alienos eſſe ab his magnis vitiis, quorum ſimulacra quædam cernuntur in hoc ipſo animali. 295

Ad muſtelarum claſſem debet etiam recenſeri *Viverra*, animal notiſſimum, *parvo capite, dorſo rubente, ventre candido*, cujus cuti tam pertinaciter adhæreſcunt pili, ut citius detrahatur cutis, quàm extraheretur pilus. *Id quod eſt imago avarorum hominum, quibus citius poteſt excuti dens, quàm eximi nummus ex arcâ*, ut eſt apud Comicum. Alio nomine dicitur furo, ſeu furunculus, quia plurima furatur, & comportat in ſuos ſpecus ſine fine vel innumera grana pro hyeme, & illa quidem omnia pura ſine paleis; ita ut ſæpè dimidius modius in uno antro unius viverræ reperiatur, adeò ut rectè ſit dicta viverra, quaſi vi omnia ad ſe verrens, ein Hamſter. Quando maſculus timet, ne citò deficiat cibus, ab eſu arcet fœminam, ſed hæc clam aliud quærit fora- 296 men, & alium aditum ad cibos, *quæ eſt imago illorum*, qui in uxores ſunt nimis ſeveri, & tamen interim omnes dolos uxorum vel non ſatis poſſunt advertere, vel etiam avertere. Cætera cum muſtela habet communia, ſed magnum exercet odium cum cunicu-

lis,

lis, quos ſolet venari, & ex cavernis propellere in retia. Etenim tanta ipſis eſt ſub terra ferocia, ut cuniculum ſextuplo aut decuplo majorem tamen ſuperet, & interficiat, ſed extra latebras ſuas omnem hanc ferociam deponit, ſicut econtra canes domi ſæviunt, ſed in locis peregrinis ſunt mitiſſimi. Id quod eſt imago iſtorum hominum, qui ſemper domi latuerunt, & præ imperitia ſunt valde feroces, poſtea cum peregrinantur, fiunt valdè mites. Magna autem fuit gratia viverræ in venationibus veterum. Immittebatur enim in cuniculos in antris deliteſcentes, ut prædam eliceret.

Huc etiam referri debent Meles ſeu Dachſi, animalia valdè pingvia, & plurimum mordacia, quæ prævidentes tempeſtatem inſtantem, faciunt ſibi cavernas multiplici aditu, & obturant ſuis caudis villoſis illa foramina, unde flat ventus. Nimium eſt, quod aliqni de his & aliis animalibus ſcribunt, quod futuras
297 tempeſtates longè antea præſentiant. Eſt hoc hominibus, etiam aſtrologis impoſſibile, quia tempeſtates dependent ex arbitrio ſolius Dei. Sed jam in aëre præparationem tempeſtatum ſentire, & videre, & prædicere, nondum tamen niſi contingenter poſſunt, quia ſæpè Deus præparatam materiam oſtendit quidem; eam tamen aliò convertit, ut mutetur, quod nobis certò futurum videbatur. Sed ad rem. Hyeme etiam ſeſe hæc animalia abſcondunt & dormiunt, & ut ſimilia alia pingveſcunt. In magno metu propter canes ſolent continere flatum, & retento illo flatu diſtendere cutim, hacque ratione arcere ictus hominum & canum. *Præterea naturalis eſt ἀντιπάθεια, inter vulpem & hoc animal*, quia vulpes libenter occupat

ſpe-

ſpecum melium. Sed cum non poſſit robore vincere, ad fraudes confugit, atque foveam melium urinâ & ſtercore polluit, ſicque graviſſimo fœtore triumphat. Cum autem meles ſint quantitate vulpis, & ut aliqui exiſtimant, ex genere melium eſſe vulpes credantur, idcirco hîc pulchra eſt propoſita imago apoſtatarum. Semper enim hoc fit, ut omnis apoſtata ſit perſecutor ſui ordinis. Ita ſingulis ætatibus mundi hæretici tanquam apoſtatæ vehementer perſecuti ſunt membra veræ Eccleſiæ, & pugnarunt pro 298
manſionibus, ſemperque unus alterum è medio, & ex officio removere conatus fuit, & ſi non potuit aliquid efficere arte, confugit ad fraudes, ad ſortes, ad maledicta ſeu convicia. Non longè autem ſolent meles à cubilibus ſuis diſcedere, & quidem tantùm noctu, ubi ſciunt omnia eſſe tuta. Alio nomine diciturMelota, item taxus, etſi arbor quædam etiam hoc nomine appelletur. Absquè dubio ex hoc nomine natum eſt aliud nomen hujus animalis Dachſus.

Concluſionis loco obſervandum, quod muſtelæ variè ſcribantur poſſe cicurari, & quod cicuratæ multis in locis adhibeántur ad avium pullos ex arboribus afferendos, ad exturbandos columbarum pullos, ad expellendos ex cavernis cuniculos. Adeò nihil fruſtra fecit Deus, etſi nos omnium utilitates non ſtatim videmus univerſi.

ECHINUS ſeu ERINACEUS, ein Ygel/ HOLLANDIS, ein yſern Ferckel.

Notiſſimum etiam hoc eſt animal ſpinis acutiſſimis obſitum, unde impunè non poteſt apprehendi, & rectè eſt imago intractabilis ruſtici vel ſophiſtæ ſpinoſi, cum quo nemo poteſt converſari ſine lite.

Nidum dicitur habere prope ſepes dumoſas & vineas,
299 per autumnum, hyeme in cavis arboribus. *Porrò per æſtatem & autumnum cibos ſibi præparat* in futuram hyemem. Itaque arbores conſcendit, decutit poma, & poſtea ſeſe volutans, ea ſuis ſpinis infigit, unum ore captans, deportatque ad arbores cavas, in quibus habitat, ut inde & ſe & ſuos fœtus per hyemem nutriat. Facit idem in vineis & decutit colligitque uvas, ut ſæpè viſus fuerit uva mobilis: Duo foramina cubile ipſius habet, unum ad auſtrum, unum ad ſeptentrionem, & pro ratione tempeſtatis inſtar gubernatoris navis velum mutantis, ipſe quoque ea alternatim obſtruit & aperit. *Duos anos* ad ſtercus egerendum ſolus habere dicitur. Quando ſentit adeſſe aliquem, ut capiatur, *in globum ſeſe convolvit*, ita ut propter aculeos non poſſit ulla parte apprehendi. Sed cum deſperat de fuga, urinam ex ſe emittit ſupra dorſum, ex qua pellis dorſi putreſcit. Alias autem non emittit urinam facilè, ſed tantùm tunc, id quod revera facit ex metu, etſi antiquitas opinetur, illum hoc facere, quod homini pellem invideat. Calidæ autem aquæ affuſione reſolvitur globus, in quem ſe convolvit, ut capiatur, atque ex cute ejus fiant illa, quibus expoliuntur veſtes.

Hoc etiam ipſi eſt in more poſitum, ut quando u-
300 num pomum decidit ex ſpinis in itinere, *mox omnia abjiciat*, & redeat ad arborem. Præterea quia ſcit fœtus ſuos ſpinoſos, idcircò *contrahit alvum, ut remoretur partum*, ſed tamen mox durior & aſperior redditur fœtus, & cum majore cruciatu parit mater, ſicut ſæpe incidit in Scyllam, qui vult vitare Charybdim. Poteſt *Echinus eſſe pulchra imago hominis in-*

tracta-

tractabilis, & inſuavibus moribus præditi, cùm quo citra litem nihil agere poſſis, ſapienterque abſtinemus ab ipſo. Fruſtra enim ipſi perſuadebis, ut ex aſpero tibi fiat benignus, verus eſt verſus:

Οὐδέ ποτ' ἂν θείης λεῖον τὸν τραχὺν ἐχῖνον.

Ex ſcabro in lævem nunquam mutabis echinum.

Talis erat Cain ergà Abel: Saul ergà Davidem. Et facilius eſt cavere apertè ſeſe gerentes leones, quàm timidos & ſpinoſos echinos, ſeu fraudulenter aſtutos. Quamvis etiam vulpes multos novit dolos; tamen echinus ſolis ſpinis magna patrat: ita multi una fallacia in omnibus triumphant. *Huc pertinent Hyſtrices*, id eſt, porci ſpinoſi montani, qui tamen habent majores aculeos, quàm Erynacei, & illos inſtar ſagittæ emittunt, & ora canum vel manus hominum lædunt. Sicut autem præcedentia pleraque 301
animalia, ita hæc quoque per hyemem ſeſe occultant.

FIBER vel CASTOR.

Fiber *animal eſt* ἀμφίβιον, *& propè miſtum, habens* 4. *pedes, duos caninos, & duos anſerinos*, quibus remigat: conſtat autem priore parte tali, quæ habeat pilos, ſed in fine, vel altera parte corporis habet oblongam caudam ſquamoſam & latam, per omnia, ſicuti piſces ſolent habere. Membranę digiti ſunt interjectæ ad natandum utiles, ſicuti digiti ad eundum. Urinari diu non poteſt, ſed reſpirationis cauſa caput ſæpè exerit. Animal horrendi & potentiſſimi morſus, habitat libenter, ubi habitant piſces

& cancri, ſicut latrones in viis, per quas frequentia ſunt hominum itinera. Magnitudine plerumque ſolet conſpici inſtar mediocris felis vel canis. Ipſius teſticuli medium exhibent odorem inter bonum & malum, & plurimum proſunt contra morbos matricis, unde & à gravidis & aliis adhibentur, quoties ſentiunt aſcendere matricem ex loco legitimo. Scribunt autem caſtori ſeu fibro notum hoc eſſe, unde quando maximè urgetur, dicitur ſibimetipſi præcidere teſticulos, quod eos homini invideat, id quod tamen merè eſt fabuloſum. Retulerunt hoc ad illos,
302 qui ut poſſint ſalvi & incolumes effugere, ſæpè coguntur etiam illa, quæ cara ſunt, relinquere & amittere. Imprimis libenter degit circa littora ſeu ora fluminum, ubi fibræ arborum, ita ut caudam ſemper habeat in aqua, ſed reliqvum corpus in caverna arboris. Valdè autem magna aſtutia eſt in ipſo, quia arbores, juxta flumina ſuis dentibus acutiſſimis ita excavat, ac ſi ferro ſcinderentur, ſicut aliàs hominis aliqua parte comprehenſa non prius deſinit, quàm fracta concrepuerint oſſa. Ita autem excavat arbores, ut in illis tres vel 4. faciat contignationes, in quem uſum ex ſilvis ligna ipſemet cum ſociis advehit, ut dum creſcit aqua, aſcendat in ſuperiorem aliquam contignationem, ſed cum decreſcit aqua, iterum poſſit commigrare in inferiorem, ſicque habere ſemper caudam in aquis, ſed reliqvum corpus in ſicco. Hæc dicitur eſſe imago calliditatis, quâ poſſimus effugere pericula imminentia.

LU-

LUTRA.

Fibro valdè ſimile eſt hoc animal etiam ἀμφίβιον ſeu ἐνύδριον, quod vocatur Lutra. Item Enydris, Otter. Non autem eſt magna differentia inter fibrum & lutram quoad externam figuram. Nam teſte etiam Plinio fiber eſt lutra, cui acceſſit cauda piſcis, ſed lutra eſt fiber ſine cauda. Etiam morſu eſt 303
acerrimo, & multa alia habet communia cum fibro. Lutræ inſuper (ex cujus pellibus fiunt optima veſtimenta) cognatum eſt & aliud, quod dicitur Latax. Ottergebrem / quod ſicut Lutra victum petat ex aquis.

Hæc omnia animalia, Muſtelæ, Martes, Ictides, Viverræ, Zobelæ, Mygalæ & Meles. Item Erynacei, Fibri, Lutræ in deſertis locis habitantia (unde ſimul ſub Ohim & Zihim intelligi debent, Eſa. 13,21.) pulcherrimam continent imaginem Ruſticorum, & aliorum hominum, qui privatas agunt vitas, & tantum proſpiciunt ſibimetipſis & ſuis de neceſſariis partibus ad victum & amictum, neque in alias terras excurrunt, neque arte vel Marte, conſiliis vel aliis rebus juvant communem ſalutem Imperiorum, ſed tantum ſudant & feſtinant in augenda re œconomica pro ſe & pro ſuis.

1. *Sicut* enim *hæc ſunt animalia timidiſſima,* & fugiunt lucem atque conſpectum hominum: *ita quoque ruſtici, & plebei* vera fortitudine non ſunt præditi; ſed ſicut hæc animalia robore quodam valent & audacia, ita quoque ipſi robuſti ſunt, & impotentes, ut verè dictum ſit à Terentio, *homine imperito nihil quicquam eſt injuſtius.*

304 2. *Sicut hæc animalia maximam partem vitæ conſumunt ſub cavernis*, neque unquam longè egrediuntur, niſi noctu: cum omnia ſunt tranquilla, ut poſſint capere paſtum: *ita quoque plebei* nullas ſuſcipiunt peregrinationes artis & experientiæ comparandæ gratia, ſed ſi quid itineris faciunt, illud tantum faciunt propter victum & amictum. Et hac in parte judicantur eſſe felices, juxta dictum: *Crede mihi, benè qui latuit, benè vixit.*

3. *Sicut hæ beſtiæ ſuos catulos nutriunt in domibus*, in ſuis antris, non educunt in campos, qui ſunt loca venationum: *ita quoque iſti homines domi detinent ſuos libros*, non producunt in apertum, non ſinunt addiſcere illa, unde ad aliquam dignitatem poſſent emergere, quæ plerumque conjuncta eſt cum maximo periculo.

4. *Sicuti etiam hæc animalia nil niſi paſtum curant*, & congerunt magnos acervos frumenti, ſicut imprimis faciunt viverræ: *ita tales homines toti ſunt dediti ſtudio* augendi rem familiarem & theſauros domeſticos. *Atque ſicut* Leo quotidie cogitur eſſe ſolicitus de prædâ, cum hæ beſtiæ magnos acervos in ſuis antris habeant, unde per hyemem non tantum poſſunt vivere, verùm etiam pingveſcere cum
305 ſuis fœtibus: *ita* doctiſſimi, & alii excellentes, virtute, & artibus præſtantes Viri, qui re bellica juvant patriam, vel aliis modis vitam communem exornant, plerumque paupertatis malo laborant, neque ullos colligunt theſauros, id quod tamen faciunt plebei, quibus nunquam aliquid deſit.

5. *Sicut hæ beſtiæ non ſemper ſinunt uxores ſuas ſatiari* de acervis collectis, & ſicut uxores repulſæ alia quæ-

quærunt foramina tendentia ad acervos, unde duplo plus poſſunt comedere: *ita tales Eucliones,* non tantùm ſunt ſeveri in uxores, verùm etiam ſibimetipſis multa detrahunt.

6. *Et ſicuti hæ beſtiæ quotidie mutant ſuas ſedes,* ne otio pingveſcant: *ita quoque* tales homines quotidie transferunt ſuos theſauros, & in ſumma tranquillitate diteſcunt.

7. *Sicut hæc animalia præſentiunt ventos,* & contra illos ſeſe muniunt: *ita* tales homines non ex arte aliqua, ſed ex experientiâ olfaciunt mutationes, & contra illas ſeſe optimè norunt defendere.

8. *Sed tamen ſicuti Martes imprimis non devorant ova vel gallinas iſtorum,* in quorum ædibus degunt:
ita plebei cum aliàs valdè ſint inimici regibus, & tantum anhelent libertatem, tamen coacti illis, ſub quo- 306
rum vivunt poteſtate, optimè ſeſe norunt accommodare. Et hæc de iſtis.

ICHNEVMON.

Lutræ ſpecies in Ægypto eſt Ichnevmon, magnitudine felis, ſpecie muris, pilis ſimilibus ſuillæ ſetæ, degit inter arundineas ſegetes, gerit inimicitias cum Crocodilo, teſte Solino & Strabone l. 17. Trochilus avis parvula reliquias eſcarum ſectatur, & os Crocodili paulatim ſcalpit, & ſcalpturigine blandiente aditum ſibi in fauces usque facit: hoc Ichnevmon conſpicatur, penetratque beluam & vitalia erodit. Sic Chriſtus à morte paſſus eſt ſeſe devorari, & mortis regnum ea ipſa ratione deſtruxit juxta veterem verſiculum:

Mors mortis morti mortem mors morte redemit.

Caput. XXVI.
DE CROCODILO, LACERTA, SALAMANDRA, STELLIONE.

HÆ omnes nominatæ beſtiæ ſunt Lacertæ quædam, ſed tamen tùm magnitudine, tùm proprietatibus quibusdam multùm differunt.

307 ## *CROCODILUS.*

Crocodilus proprius eſt Ægypto, & animal ἀμφίβιον ſicut alia multa, quæ ſunt imagines V. C. Epiſcoporum Pontificiorum, qui ſimul ſunt Politici & Eccleſiaſtici: vel etiam illorum, qui ſunt homines omnium Religionum, apud Pontificios Pontificii, apud alios alii, cum perverſis perverſi, cum ſanctis ſancti, vel etiam adulatorum & falſorum amicorum, qui quibusvis adulantur, & apud unumquemlibet candorem præ ſe ferunt. *Eſt autem hoc animal quadrupes, quod parit ova, paulò majora anſerinis, quæ deponit in terram, ut ita excludantur.* Nullum autem eſt animal, quod ex tàm parvo & contemto initio in tantam excreſceret longitudinem atque hoc ipſum, & quod augeretur tamdiu, quamdiu viveret, vivit autem per 60. annos, & excreſcit in longitudinem 17. 18. & etiam 20. ulnarum vel cubitorum. Non autem tantùm magnitudine excedit, verùm etiam dentium & unguium immanitate armatum eſt, inſtar pectinis, & etiam cutem tantæ duritiei habet in tergo, ut duriſſimorum lapidum ictus refugiat, licet in ventre molliſſimum ſit & tenuiſſimum.

2. *Aliàs*

2. *Aliàs quia naturâ valde timidus eſt Crocodilus*, &
non niſi fugientes perſequitur, ſed inſequentes fugit, 308
inde eſt natum proverbium, *gloria Crocodilus*, tamen
victus cauſa aſſumit audaciam. Itaque longo
tempore prorſus immotus ſolet jacere, & ſeſe ſimulare
mortuum vel dormientem, & ore aperto invitare
aves, quas ex aëre ſe demittentes comprehendit
& necat. Unam tamen impunè patitur ex faucibus
ſuis edere, quæ dicitur Trochilus, quia ſolet interedendum
dentes ipſius purgare. *Id quod eſt imago
Tyrannorum*, qui ſæpè aliquid concedunt ſubditis,
quod nimirum ſciunt tendere in ſuum commodum.
Præterea hac quoque arte utitur Crocodilus ad accipiendum
victum. Dum enim fame ſtimulatur, os
ſuum implet aquâ, quam effundit in ſemitam, per
quam ſcit deſcendere animalia & homines, ita ut via
reddatur proclivior ad lapſum. Dum igitur jacent,
neque poſſunt ſubitò aufugere, correptos devorat, &
imprimis canes, qui non niſi fugiendo poſſunt bibere
ex Nilo, ſolet autem prius corpus animalium comedere,
& poſtea cum lacrymis addere caput, unde eſt
proverbium, *Lacrymæ Crocodili*, cum quis ſimulat
miſericordiam.

3. *Valdè jucunda & pulchra eſt* ἀντιπάθεια (*imago Diaboli & Mortis atque Christi Jeſu*) inter Crocodilum
& Ichnevmonem. Ichnevmon (ſic dictus 309
ab inveſtigando) eſt quaſi lutra quædam propria
Ægypto, ubi dicitur mus Indicus, & eſt ἀμφίβιον.
Quoties igitur Crocodilus vel ſomno oppreſſus, vel
ore hiante jacet in littore, ingreditur Ichnevmon
ſingulari fiducia in ventrem Crocodili ipſius. Utque

facilius deferatur Ichnevmon in ventrem Crocodili, prius limo ſolet oblinere corpus, ut ipſum reddat magis lubricum. Hoc ex improviſo illatum malum Crocodilus in ventre ſentiens, ſomno ſolutus, mox incitato curſu velut furioſus diſcurrit, & modò in profundam partem fluminis ſeſe mergit, modò in terram proſternit. Interea parvus mus Indicus nihil hæc curat, ſed præcipuè incumbit viſceribus & epati, ſvaviſſimoque cibo expletur, donec tandem eroſo ventre, & ſic interemto Crocodilo, vivus atque incolumis ex alvo egrediatur.

4, Poſtea etiam magna cum cura & ſolertia Crocodili ova, ubicunque poteſt, inveſtigat (unde & nomen, ſicut dictum eſt, habere putatur) inventaque ſubitò confringit & perdit. Præterea hoc quoque eſt Crocodili, ut valdè ſit guloſus, plurimùm comedat, lingvæ uſu careat, ſolus inter omnia animalia
31 ſuperiorem mandibulam moveat, in aquâ habeat hebetem viſum, in terris acutum, valdè metuat & fugiat ſerpentes, qui ſeſe involvunt in herbas, quas ſciunt eſſe gratas Crocodilo. *In his proprietatibus ipſe Deus pulcherrimam propoſuit imaginem Diaboli.*

Nam I. *ſicut Crocodilus eſt horrendum monſtrum*, & *ἀμφίβιον*, quod in terris & aquis prædatur: *ita* Diabolus in omni vitæ genere, in Eccleſia & in Repub. in populo DEI & extra Eccleſiam infinitis inſidiis graſſatur. Neque tantùm valet potentia, verùm etiam fraudibus & aſtutiis eſt plenus, ſicut Crocodilus eſt malitioſus & callidus.

2. *Sicut Crocodilus fugit inſequentes, ſed inſequitur fugientes: ita Diabolus* non audet cum illis congredi, qui ipſi reſiſtunt in verbo, & fide, & vera invocatione,

eatione, ſed crudeliter graſſatur in illos, qui non ſunt inſtructi armis ſpiritualibus.

3. *Sicut Crocodilus* patitur Trochilum impunè comedere ex ſuis faucibus: *ita ſæpè Diabolus* uni parcit, ut plures ad ſe alliciat.

4. *Sicut Crocodilus* lubricam reddit viam: *ita Diabolus* occaſiones jucundas offert, quibus avocet homines à virtute.

5. *Sed ſicut* deceptos devorat: *ita Diabolus* avo- 311
catos in æternum exitium perducit. *Orig. lib. 5.* contra cenſum invehitur in Ægyptios, qui colebant Crocodilum pro Deo, & inquit, illos peſſimè facere, qui parcunt animali vaſto, quod ipſum tamen non parcit hominibus. *Quid verò dicemus de pugna Ichnevmonis cum Crocodilo,* quæ dulciſſimè depingit victoriam Chriſti adverſus Diabolum.

Sicut enim 1. Ichneumon inſidiatur Crocodilo: *ita* Chriſtus apparuit in hoc, ut deſtruat opera Diaboli.

2. *Sicut* Ichneumon non poteſt interimere Crocodilum, niſi in ventrem ingrediatur: *ita* Chriſtus non potuiſſet vincere Diabolum & mortem, niſi ipſe fuiſſet ingreſſus in portas mortis, & in barathrum inferni.

3. *Sed ut Ichnevmon* limo ſeſe ungit & oblinit, ut facilius poſſit in ventrem Crocodili illabi: *ita Chriſtus* ut poſſit pati mortem, induit carnem noſtram, tanquam limum, & noſtra carne ac ſanguine involutus in diaboli fauces inſiliit.

4. *Sicut autem Crocodilus* initio tàm parvum murem non metuit: *ita Diabolus* floccifecit Chriſtum, quod videret ipſum infirma carne veſtitum.

5. *Ve-*

312 5. *Verùm ſicut Ichevmon audacter* ſolet erodere inteſtina & alvum Crocodili, & ita vivus redire in auras: *ita quoque Chriſtus* poſt deſtructas mortis portas, & proſtratam potentiam Diaboli glorioſus ex morte reſurrexit, atque per multos dies ſeſe multis in terrâ exhibuit vivum, & victorem Diaboli & mortis.

6. *Sicuti Ichneumon* ubique ſolet perveſtigare ova Crocodilorum, eaque inventa perdere: *ita Chriſtus* etiam, cum adſcendit in cœlos, tamen efficaciter reprimit Diabolos & eorum organa. Et *ſicut* infiniti gignerentur Crocodili, quia ſunt fœcunda animalia, niſi ab Ichneumone interimerentur: *ita* quoque Diabolus imperium mundi ſibi vendicaret, niſi ab ipſo Chriſto reprimeretur & vindicaretur.

LACERTA, SALAMANDRA, STELLIO.

Lacerta animal tam eſt notum, quàm quod notiſſimum eſſe poteſt. In Ægypto eſt quoddam genus Lacertæ, quod vocant Sciuncum ſeu ſcincum, & ex Ægypto ſolet ad nos deferri falſus Scincus, propinaturque magnatibus ad excitandam venerem. Et videtur nihil aliud eſſe, niſi genus Crocodili terre-
313 ſtris, quod habet ſquamas verſas ad caput, cutem autem tenuem & candidam. *Porrò noſter Lacertus* ſeu Lacerta *valdè amat hominem*, & conſpecto ipſo mirificè eſt geſticuloſa. Crebrò enim agitat caudam, & ita pueriliter blanditur ſicuti canis, vel aliud animal domeſticum. *Quin etiam* dum cernit in herbis latere ſerpentem, geſticuloſior eſſe ſolet, ut hoc ingeminato motu hominem contra venenum defendat,

dat, id quod eſt *viva imago illorum*, qui à natura habent inſitum venenum, nihilque magis quærunt vel poſcunt, quàm inſidias & injurias ſtruere & inferre aliis, ſed tamen divina providentia ita gubernantur ipſorum actiones, ut inviti cogantur prodeſſe. Cujus rei inſigne eſt exemplum in Bileam, qui maledicturus cogebatur benedicere, & Pharao funditus deleturus Judæos cogitur ipſos dimittere adhuc inſtructos magno viatico. Adeò verum eſt, quod dicitur in Proverb. Salomonis: Quando placent Domino viæ viri, etiam inimicos ſuos convertit ad ipſum. Sæpè hoſtes noſtri coguntur eſſe promotores noſtri, volente Domino. Sed hæc de illo animali ex ovis nato.

Salamandra (ein Molch) quaſi alba lacerta, etiam naſcitur ex ovis. Similima eſt lacertis, habens caudam prolixam & fluxuoſam, pedes aduncos, & acu- 314
tos, cutem aſperam & ſcabram, venenumque ſatis præſens. Etſi autem tanta dicitur eſſe ipſius frigiditas, ut etiam ignem poſſit extinguere, tamen experientia teſtatum facit, rem ſeſe aliter habere. Ipſa enim diutius in igne ſervata comburitur, etiamſi prima fronte videatur ab igne lædi non poſſe. Si in arborem irrepſerit, dicitur omnia poma inficere veneno, & necare illos, qui edunt. Saliva quoque ipſius, ſeu ſanies lactea ex ore per vomitum producta, in quamcunque partem corporis ſpargitur, facit decidere pilos. Utut autem ita ſeſe hæc habeant, tamen à porcis ſine omni detrimento devoratur. *Hæc eſt imago convitiatorum & improborum.*

1. *Sicut enim* Salamandra eſt ſpecies lacertæ: *ita* iſti ſunt ſoboles Diaboli.

2. *Et ſicut* Saliva Salamandræ facit decidere pilos: *ita* convitia improborum ſpoliant bonos omnibus favoris ornamentis.

3. *Et ſicut* Salamandra inficit poma venenis: *ita* iſti famam aliorum lædunt.

4. *Et ſicut* Salamandra in ſerenitate latet, *ita* in Rebusp. benè conſtitutis nullus conceditur locus improbis.

315 5. *Sicut Salamandra* tantum provenit in magnis imbribus: *ita* improbi non perveniunt ad vaſtigia rerum, niſi in ſeditionibus, cum omnia furſum & deorſum moventur, ſicut rectè dicitur in verſiculo.

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς, *id eſt, in ſeditione etiam quandoque peſſimus nebulo ad honores evehitur, cum ſcil. alii exturbantur.*

6. *Præterea ſicut* Salamandra videtur in dorſo habere ſtellulas: *ita* ſeditioſi & improbi præ ſe ferunt ſpeciem ſingularis pietatis.

7. *Verùm ſicut* Salamandra nihil poteſt magnopere prodeſſe: *ita quoque* improbi & ſeditioſi tantùm nati ſunt ad turbandas Reſpub. ipſi verò nihil dignum laude, & quod faceret ad conſervationem Rerumpublicarum, poſſunt vel meditari vel producere.

Ex horum animalium genere eſt etiam STELLIO, ſimilis Lacertæ, habens lucentes guttas in tergo, inſtar ſtellarum, invenitur in foraminibus domorum antiquarum, & novarum: Veſcitur araneis & rore, & ſingulis annis exuit cutem, illamque devorat, id quod vulgò fieri dicunt præ invidia, quia ſoleat ipſa prodeſſe morbis comitialibus. Eſt venenoſum animal,
316 callidis inſidiis gaudens tacitè & molliter ingreditur, & exercet odium cum Scorpionibus, ita ut horum

con-

conſpectum ferre nequeat. *Eſt autem in hoc quoq; imago improbi & maledicti viri, & nebulonis aſtuti,* qui ut ſtruat inſidias, modeſtiam ſimulat, & præ ſe fert ſtellas lucentes, id eſt, inſignem pietatem. Interim tamen veſcitur araneis, hoc eſt, ex ſeſe meditatur iniquitates. Et quæ ſcit prodeſſe communi ſocietati, illa invidet hominibus, & exercet odium capitale cum Scorpionibus, hoc eſt, neque ipſis improbis convenit cum improbis.

Caput XXVII.

DE CHAMÆLEONTE,

RANA ET TESTUDINE.

CHAMÆLEON.

Chamæleon, ein Ratten-Eyder/ eſt notum animal ex ovis genitum, & quadrupes in Aſia, fermè figuram lacertæ habens, quod plerumq; ore aperto ſolet inſpirare aërem, quo nullum aliud diligentius Ariſtoteles deſcripſiſſe fertur, timidiſſimum pariter & doloſiſſimum. Reperitur quoque in Africa, ſed frequentius eſt in Indiâ, & habet roſtrum ſuillum, & ſubit cavernas, latetque inſtar lacertarum. Etſi autem quoad externa, Crocodilo eſt 317 ſimile, tamen caudam habet ampliorem, & majorem curvaturam ſpinæ, & eſt, ut jam modò innuimus, ingenio valdè timido, ſed tamen doloſo & crudeli. Proprium ipſius enim eſt, præ metu in momento temporis aſſumere colorem illius rei, cui ſeſe applicat. Id quod Bodinus putat ideò fieri, quod habeat corpus valdè

valdè ſubtile & propè translucidum. Cuicunque igitur ſubjecto ſeſe accommodat, illius color translucet per corpus Chamæleontis. *Porrò hæc eſt imago non tantùm hiſtrionum, ſed & aulicorum & iſtorum,* qui licet ſint imbecilles, tamen fallacias ex fallaciis excogitent, ut ſeſe totos poſſint ſiſtere. Omnem autem colorem induit hoc animal, præter rubrum & album, quæ eſt ipſiſſima imago ſophiſtices, quæ valdè eſt multiplex, & vana, & mutabilis, ut ſubinde novam ſpeciem aſſumat, & imperitis fucum faciat: ſicque elabatur ex manibus comprehendentium ſeu refutantium. Item quando hoc animal moritur, ſolet palleſcere, ſed aliàs, licet ſit celſum, tamen non appetit tàm alios cibos, quàm aëris frigidi copiam. Maximos
318 etiam habet pulmones, ſed inter quos nihil continetur. *Congruit hæc imago ad adulatores & Sycophantas aulicos.*

1. *Ut* enim *Chamæleon* animal eſt timidiſſimum, ſubinde ſeſe mutat, & quemvis exprimit colorem, præter album & rubrum: *ita* adulatores aulici coguntur in perpetuo metu vivere, & ſæpè ad varias artes confugiunt, & dolos comminiſcuntur, omnibusque ſeſe applicant, ne capiantur.

2. *Sed ſicut Chamæleon* non poteſt album & rubrum colorem imitari: *ita* tales adulatores acerrimè oderunt claram & fulgentem lucem veritatis.

3. *Sicut Chamæleon ſemper hiat ore,* & habet magnos pulmones, ſed nihil intra: *ita Sycophantæ,* alieni ab omni honeſtate, tamen ſemper captant aures populares, & volunt videri boni, cum tamen non ſint boni, Bonorum ſymbolum hoc debebat ubique cerni: MALO ESSE quàm VIDERI. Hypocritarum,

rum, ſuperborum, & propriæ gloriæ cupidorum ſymbolum paſſim animadvertitur hoc, VIDERI quàm ESSE, ſcilicet malo. Tales nimirum ſunt, qui omnia componunt ad vendicandam auram popularem, & unicè dant operam, ut tantùm externis ceremoniis, geſtibus, locutionibus auctoritatem ſibi concilient. Magiſtri ceremoniarum improbiſſimi. 319

4. *Eſtque naturalis ἀντιπάθεια inter Chamæleontem & corvum,* Et quoties congredi volunt, corvus recordatur, quanta ſit vis veneni in Chamæleonte, unde ante pugnam & poſt pugnam veſcitur fronde lauri. Etſi igitur in pugna ipſa graviter afficitur, tamen tandem manet victor, interficit verſutum Chamæleontem & omnem nocendi facultatem ipſi adimit. Nemini eſt obſcurum, per laurum ſignificari veram pietatem & virtutem.

Sicut igitur corvus vincit Lauro: ita Sycophantis nemo poteſt melius reſiſtere, niſi vitæ innocentiâ & integritate virtutis, quæ vincit omnes calumnias. Et unicè dent operam pii, ut tantùm ſint conſtantes in pietate, honeſtate, hoc ſolo modo vincent tandem calumniam, hypocriſin, detrectationem, ſophiſticam improborum. Et ſicut Chamæleon mortuus palleſcit, ita tandem ſycophanta propia ignominia notatur. 2. Ariſtoteles lib. 1. Eth. cap. 10. *Hæc ipſa accommodat ad vitam humanam, & dicit, illum qui à fortuna dependet, vel uti Chamæleontem ſæpiſſimè variari, nunc eſſe divitem, nunc pauperem, nunc felicem, &c.*

II. Optimè poteſt *etiam referri ad mores Tyrannorum.*

1. *Sicut enim* Chamæleon habet roſtrum ſuillum: 320

ita quoque Tyranni vita ſua impura nihil ſunt, niſi Chamæleontes poreini.

2. *Et ſicut* Chamæleon tardiſſimè incedit: *ita*, ſicut de Nerone ſcribitur, *Tyranni* initio probitatem ſimulant, ſed mox adepti Tyrannidem, omnis generis flagitia liberè exercent.

3. *Præterea ſicut Chamæleon* omnes colores imitatur: *ita Tyrannus* omnium mores. Sed *ſicut Chamæleon ſe interdum* fingit manſvetum propter timiditàtem: *ita* quandoque miſericordiam ſimulat Tyrannus, modò eſt pallidus, modò niger, ſicut variæ maculæ deprehenduntur in Chamæleontibus.

4. *Sicut* Chamæleon album & rubrum non poteſt imitari: *ita* quoque Tyranni omnia poſſunt imitari præter honeſtam vitam. Illud Juliano objicit Nazianzenus Oratione 47. quod inſtar Chamæleontis & Protei omnia poſſit facere, ſed manſveſcere erga Chriſtianos non poſſit.

Poteſt autem Chamæleon etiam eſſe imago illorum, qui multa ſimul diſcunt artificia præ metu, quaſi uno genere ſeſe & ſuos non poſſent ſuſtentare.

Deinde ſicut Chamæleon, ita adulator imitatur
321 principis mores nigros ſeu malos, ſed albos & pudicos non poteſt repræſentare.

RANA.

Ranæ diſtingvuntur variis modis à Phyſicis & Medicis. *In mari* dicuntur *nullæ reperiri*, ſed tantùm *in hortis*, ſeu graminibus, ubi arbores adſcendunt, quæ ſunt virides, item *in lacubus*, *piſcinis & fluminibus*. Magis venenatæ potius dicuntur bufones, & reperiuntur in cavis &, opacis, & ſolitariis locis, unde non

progre-

progrediuntur niſi circa noctem cum veſpertilionibus & noctuis.

1. *Vulgatæ noſtræ Ranæ otioſis & odioſis ſuis coaxationibus nemini non ſunt moleſtæ.* Sonum illarum expreſſit Ovidius in Metamorphoſi de RUSTICIS mutatis in Ranas (quibus etiam noſtri ruſtici inter pocula meritò comparari poſſunt, & alii ineptè garruli & garrulæ.) Quanquam ſunt *ſub aqua, ſub aqua* maledicere tentant. Et Ariſtophanes in Ranis *COAXATIONEM* magis & vocalium ranarum hanc pulcherrimam deſcribit & exprimit *βρεκεκεκέξ κοάξ κοάξ.* Apud quosdam Græcos perhibetur parva rana vocari *βρέξας*, parvæ *βρέξαντες*, unde noſtra Germanica forſan prodiit, Froſch. . Epitheta pulchra Ranarum propria apud Homerum in *βατραχομυομαχία* quærant lingvæ Græcæ & Phyſicæ ſci- 322
entiæ cupidi Studioſi.

2. *Exiſtimantur autem Ranæ eſſe prænunciæ veris*, quod facilè admitti poteſt.

3. *Exiſtimantur etiam gigni ex putridis & lutoſis materiis, & fieri plures iis annis, qui ſunt humidiores*, ideoque plures ranæ parvæ haberi ſolent pro præſagio infelicium annorum. Ælian. Neapoli Puteolos iter faciens vidit (ut ipſe refert) caput ranæ repens, quod cæteras partes trahebat in luto. *Verum enim verò manifeſtè coire deprehenduntur*, & ſemina vel ova tandem copioſiſſima parere ranæ. Interdiu non coëunt nec poſſunt coire in undis, ſed interdiu magnis ululatibus fœminam ad venerem convocat mas, & expectat uterque noctem, quia metuunt homines, & beſtias, denique noctu liberrimè & diu ſeſe

oblectant coëundo. Quandoque ſemen vel ova ranarum, Froſchgereck/ ab incautis imprudentibus una cum potu imbibitur, undè ſæpè in multis hominibus natæ fuerunt ranæ, & hoc modo ſemina ſeu ova vermium cum cibis ingeri poſſe, quibusvis judicandum relinquimus. *Naſcuntur igitur ex ovis ranarum parvæ ranulæ*, quæ habent caudas longas ſub initium, quæ tandem coarctantur. In hyeme abſcon-
323 dunt ſeſe ranæ in rimis terrarum, quaſi mortuæ. In lacubus non conglaciatis ſemper reperiri Ranas ſcribitur. Quod ad nimias quandoque parvulas ranas attinet, unde anni infeliciores æſtimantur, proveniunt illæ eo pacto, quo nimis multæ erucæ, locuſtæque, quoties Dominus vult terram & agros propter peccata hominum deſolare. Exiſtimant aliqui ranas cum pluviis delatas, vi naturali ventorum in nubes fuiſſe raptas. Sed has divinitus procuratas dicendum eſt, ſive planè miraculosè, ſive ex terris aliis aliunde accumulatas, & in majorem perniciem unius populi ſuper agros iſtorum populorum deſuper cum pluviis immiſſas, quemadmodum ſubitò ex aquis in Ægypto magnas turbas Ranarum creabat Dominus.

4. *Si in ripam aliquis expoſuerit lucernam ardentem*, continuè ſtreperæ & querulæ illæ Ranæ *conticeſcere dicuntur.* Valdè etiam *vocales ſunt in aquis tepidis*, ſed obmuteſcunt, quando projiciuntur in fontes frigidiores.

5. Suis nimiis intenſioribus coaxationibus per inflata latera vulgò creduntur prædicere pluvias. Rectiùs autem ſenſerimus, ſi dixerimus eas præſentire jamjam imminentem in aëre mutationem, divinitus

præ-

præparari inchoatam. Pluviis enim aquis, tanquam 324
dulcioribus, videntur delectari.

6. *Pueri rubicundâ lanâ* aut rubente panno ad hamum alligato, *capere eas ſolent.*

7. *Apibus aquantibus ſtruunt inſidias,* & licet petantur aculeis apum, tamen illos ictus non ſentiunt.

8. *Factæ ſunt in uſum reliquorum animalium.* Quanpam multi *populi illis veſcuntur* itidem. *Pueruli* luſuri lapillulis *petunt Ranas,* quæ tamen ſerò moriuntur. *Ita* etiam nobiles multi & Reges hilarem vitam excitaturi ſumtus petunt, & exactiones à ſubditis nimium magnas; qui interim conficiuntur & extingvuntur. *Porrò ranæ ſunt imagines improborum* & convitiatorum garrulorum ruſticorum. 1. *Sicut* enim ranæ ſunt moleſtæ otioſis & negotioſis: *ita* quoque improbi & convitiatores nemini non faceſſunt negotia. 2. *Et ſicut* magna copia Ranarum indicare annum putatur infelicem: *ita* magnus numerus convitiatorum toleratus in Repub. eſt indicium malæ curationis & adminiſtrationis officiorum publicorum. 3. *Sicuti* Ranæ plus ſolito vocaliores prænunciare exiſtimantur mutationem tempeſtatis: *ita* quando nimis multum valent improbi apud Principes & magnates, certum eſt imminere mutationem. 325
4. *Et ſicut* ranæ potiſſimum inſidiantur apibus aquantibus: *ita quoque* impii non lædunt improbos, ſed bonos. 5. *Et ſicut* ranæ non ſentiunt ictus apum: *ita* tanta ſolet eſſe potentia improborum, ut excuſationes bonorum nullum reperiant locum apud magnates. *Et ſicut ranæ* etiam in aquis clamant, & quidem tantùm in aquis tepidis, ſed in frigidioribus con-

conticeſcunt: *ita* improbi tantum cum tempora ſunt mollia, poſſunt durare, neque ullas tolerare miſerias.

Apoc. 16. v. 13. *ex ore Draconis & ex ore beſtiæ, & ex ore Pſeudoprophetæ exeunt ſpiritus tres immundi in modum ranarum, hoc eſt, ex ore Satanæ oriuntur hæretici, cumprimis hucusque Monachi & hodiè Jeſuitæ;*
qui ſuis clamoribus & Philoſophicis, & Metaphyſicis
argumentis religionem unicè defendere & auctoritatem Papæ ſuprà omnes homines & Reges adſtruere
ſatagunt. 1. *Si Ranam* non vidiſſet aliquis, nec
videret etiamnum, ſed tantùm clamorem ejus audiret, putaret utique eſſe maximum quoddam animal:
ita imperiti non ſatis ad Scripturæ Lydium lapidem
argumenta Jeſuitarum examinantes, ea maximi ro-
326 boris & valoris eſſe exiſtimant, cum tamen reipſa nihil ſint aliud, niſi coaxationes ranarum, quibus aures & ora & ingenia aliorum obtundere moliuntur, ut Papæ ſedem firmam & ſtabilem retineant. 2. *Sicut rana* poſita ſuper aureum ſedile, tamen ſaltu petere geſtit lacum limoſum: *ita* Jeſuitæ ad ſcripturam adducti, tamen ad limoſa Philoſophica argumenta, & Patrum nudam auctoritatem ſeſe proripiunt, & ibi ſeſe tutos eſſe poſſe ſperant. 3. *Rana* vino non opus eſt, ſed aqua magis paluſtri: *ita* Scripturam ambiguam vocant Jeſuitæ, magisque confirmari docent homines ex qualicunque Patrum auctoritate.

Apud Athenæum lib. 6. Paraſitus quidam in utrumque paratus & omnia probans, dicitur eſſe, ſi aqua ſit bibenda, rana, ſi olera edenda, eruca.

RANA RUBETA GRANDISSIMA ſeu Bufo.

1. *Humida & marcida loca incolit*, Solis claritatem odit nec facilè ſuſtinet, ideoque interdiu latet;

noctu

noctu progreditur, præcipuè per vias tritas ab hominibus.

2. *Sub terra igitur habitat & humore terreſtri vivit*, herbas & lumbricos aliquando comedit, imò etiam terra veſci dicitur, & quidem certo pondere & certa menſura. Quantum enim anteriore pede con- 327
cludere poteſt, hoc illi pro cibo quotidiano eſſe dicitur. Timet enim (quod pulchrè fingunt Auctores) ne ſibi terra pro cibo deficiat. *Inde* natam eſſe ajunt picturam, quod *quidam avaram anum depinxerunt ſtantem ſuper bufone.*

3. *Porrò venenata eſt rubeta & perquam iracunda,* & ſi quid ei obtenditur, mordicùs arripit, & moritur potiùs, quàm remittat. Verberata dicitur virus è clunibus effundere & inficere verberantem. Pugnat cum araneâ, & ab ea vincitur; quia aranea ſupernè in filo deſcendit, & cerebrum pungit rubetæ. Optimè ab omnibus notanda eſt hiſtoria, quam recenſet ex Poncetto Cardinale Conr. Geſn. in loco de Ranis rubetis, & quidem hiſce verbis: *Quidam accepit cannam, in cujus ſummitate infixus fuerat bufo, & expellens cum ea animalia ex ſuo agro, reverſus domum, quamprimum cœpit comedere, evomuit cibum, quem tangebat, nec ceſſavit, donec cibus per manus alterius ei adminiſtratus eſt. Et ita intellectum eſt venenum à canna illa manibus ejus inductum, quod cum eſſet craſſæ ſubſtantiæ, nec aptum penetrare, cutem ſolùm infecit nullo vitæ periculo. Hæc ille.* Idem ex Matthiolo recenſet hæc ſequentia verba. *Rubetæ ut inficiant plantam aliquam, aut animal, quod cava earũ ingreſſũ propius ipſas acceſſerit, inflãt ſe, & contrahunt* 318
in ſeſe, & mox tenore illo remiſſo exprimunt, eliduntq; humo-

humorem quendam, quo vicina quæque leviter aſpergunt & inficiunt. Hoc modo emiſſione illius humoris aut etiam ſalivæ infectas herbas, fraga aut boletos, multos, qui guſtarunt, malè affectos conſtat, quosdam etiam mortuos. Hactenus idem. Jam verò conſideret unusquilibet diligenter, quàm varia præcepta dederit Deus ſuis Iſraëlitis de diſcrimine animalium, mundorum & immundorum, deque immundis non tangendis, de cadaveribus non tangendis, de immundis factis hominibus, ex aliquo contactu immundi animalis aut cadaveris, in locum peculiarem ſeparandis, de lotionibus multiplicibus & aliis adhibendis ad immundos iterum emundandos. Etſi verò illæ Leges Ceremoniales habuerunt ſuos ſingulares uſus & ſignificationes typicas; tamen & Morale aliquid continebant, & inter alia hoc ipſum, de quo jam ex hiſtoria allata vidimus. Paſſim in hortis ſuper gramina & fructus varii vermes quosdam humores ſuos emingunt aut exſpuunt, item faciunt muſcæ & araneæ, & mures & feles ſuper menſas noſtras, ſuper libros noſtros, ſuper veſtes noſtras, ſuper cibos no-
329 ſtros. Poſtea verò incauti multi manibus gramina, ore fructus carpunt, manibus menſam verrunt & purgant, &c. & continuò illotis manibus ad alios cibos ſumendos ſeſe accingunt. Non dubium eſt ſæpè puſtulas aut alia συμπτώματα contrahi ex hac civilitate morum, quam divinitus toties inculcatam videmus, neglecta. *Unda datur gratis, ſæpè lavato manus.* Sapientibus ſat dictum.

Poteſt autem bufo *pulchra eſſe imago invidorum, crudelium, & noxiorum hoſtium. De ſtolido* etiam vulgò

vulgò dicitur, eum tot habere ſenſus, quod habet pilos bufo.

TESTUDO.

Notiſſimum etiam hoc eſt animal plurium generum, quia ſunt terreſtres, maritimæ, quæ comeduntur, paluſtres, fluviatiles. Carnes teſtudinum quando modice devorantur, gravant ventriculum, ſed quando immodicè devorantur, leniunt ventriculum. Id quod etiam faciunt lactucæ. Hinc Doctiſſimus Vir Eraſmus Roterodamus in libello Similium hanc mutuò ſumit imaginem, quod quædam ſint res, quæ non recipiunt mediocritatem, ut ſtudere, profiteri veritatem, &c.

Deinde lentum, & ſupra omnem modum tardum
& trepidantem habent inceſſum teſtudines, ſemper- 330
que ſecum portant ſuas domos. Hinc Apelles, ſeu, ut alii volunt, Phidias, Venerem pingebat ſtantem in teſtudine, ut ſignificaret, *mulierem debere eſſe οἴκουρον,* non longè recedere à laribus domeſticis. Sicut enim viros illud commendat, quando de ipſis dici poteſt id, quod apud Horatium refertur ex Homero, *multorum mores hominum qui vidit & urbes,* ita maximum hoc eſt decus honeſtæ fœminæ, ſi ſemper deliteſcat, & verè ſit, ut Hebræi vocant, Alma, id eſt, occultata, quæ non diſcurrit per angulos urbium, non novit omnes, ipſa quoque innotuit pauciſſimis, ita ut verè de ipſa poſſit dici, quod eſt apud alium, de qua mentiri fama veretur. *Sicut* autem periculum eſt teſtudinibus, quando longè extra ſuas teſtas egrediuntur: *ita nihil eſt periculoſius,* niſi cum peregrinantur mulieres, id quod patet exemplo Dinæ.

3. *Origano ſolent uti teſtudines* contra ſerpentes & viperas. Cumque procedere volunt, emiſſis cornibus prius omnia explorant, num quæ ſint impedimenta, num ſatis tuta omnia.

4. Quando neminem animadverterunt præſen-
331 tem; ex teſtis aliquantulum prorepunt, ſed quando animadvertunt aliquem eſſe præſentem, mox contrahunt cornua, & redeunt intra teſtas. Unde ſumi poſſunt imagines in bonam & malam partem. *In bonam partem:* ſapientes homines decet eſſe teſtudines, qui in conſpectu & præſentia aliorum nihil dicent, ſed conticeſcent. *In malam partem:* hoſtes & proditores ita ſolent facere.

5. Valdè pulcherrimum eſt, quod Plutarchus recitat de maritimis teſtudinibus. *Nam cum volunt parere, diſcedunt ex mari in propinquam arenam, & ova ſua tegunt leviſſimis arenulis,* faciuntque ſibi notulas quasdam, ex quibus poſtea locum agnoſcant. Id quod eſt imago virtutis & prudentiæ. Hæ ſunt proprietates præcipuæ cum admixtis imaginibꝰ præcipuis, teſtudinis ovipari animalis & teſta tecti, unde nomen habet. Suntque præter teſtudines terreſtres etiam aliæ maritimæ & aquaticæ, de quibus videantur Medici & Phyſici. In Indico mari tam magnæ perhibentur eſſe, ut ſingularum ſuperficies contegant non parvas habitales caſas, inde etiam naves fiant. Ergo multò minus mirum eſt, quod de Æſchilo Poëta fertur, qui habuit caput calvum, ſuper quod aqui-
332 la mediocrem teſtudinem demiſit, putans eſſe ſaxum, unde ipſe extinctus fuit. Notus eſt Apologus de omnibus animalculis à Jove ad convivium vocatis, ad quod etiam omnia venerunt excepta teſtudine,

quæ

quæ Jovi ſeſe his verbis accuſavit: οἶκος φίλος, οἶκος ἄριστος, *propria domus, chariſſima domus*. Simia nihil tam vehementer metuere dicitur, atque teſtudinem.

※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※※

Caput XXVIII.

DE MURE, GLIRE, ET TALPA.

NOtiſſima quoque ſunt hæc animalia, & quod ad murem attinet, apud Plautum in Truculento dicitur *ſapiens beſtia*. Non enim uno confidit antro, ſed plura ſibi præparat, ut ſi obſideretur unum, mox aliunde haberet præſidium. Vice autem verſa rectè comparantur paraſitis mures apud eundem auctorem in Captivis. *Quaſi mures ſemper edimus alterum cibum*. Nam non tantùm valet hoc animal odoratu & guſtu, verùm etiam eſt guloſum, ita ut modico aliquo cibo eoque tenui poſſit decipi. Dicitur etiam aſſveſcere propriæ carni ſuæ ſpeciei, guſtat omnes caſeos & panes, & de optimo comedit. Alioquin *ſicut* è volucribus hirundines: *ita* è terreſtribus mures prorſus ſunt indociles. Ipſius urina 333
eſt contagioſa & admodum fœtida, & dicitur corrodere usque ad ipſa oſſa, præſertim tunc temporis, cum laſciviunt. Unde in hominibus excitare debet attentionem diligenter reponentem eſculenta & poculenta. Refert Lemnius lib. 2. cap. 10. de mure genito in ventriculo hominis, qui absque dubio comederat cibos, ſuper quos ſemen ſuum (ipſe Lemnius

ex

ex ſordibus exiſtimat) effuderat mus. Porrò in autumno illi, qui libenter degunt in ſylvis, ſpicas ſibi congregant, & quidem mas ſæpenumerò ſpicis ſeſe dicitur onerare ita, ut non poſſit ingredi, ſed ita onuſtus trahatur à fœmina: Id quod poſtea permutatim fœmina etiam faciat, & patiatur ſeſe onuſtam trahi à maſculo.

Tradit autem Ælianus, mures minimè eſſe vivaces, ſed ſuâ ſponte defluentibus inteſtinis citò emori. Et nulla re amplius egent, quàm calore. Unde mures Alpini in cavernulis obſtructis ſeſe in globum convolvunt propter frigus, & dormiunt per totam hyemem. Poſſunt autem portari in frigore ſuper fœno in corbibus, & dum à calore ſuperveniente reſolvuntur, incipiunt agitari. Ipſorum etiam epata
334 dicuntur cum Luna creſcere & decreſcere. Perhibentur migrare ex ædibus ruinoſis. *Veniſſe murem ducentis nummis Caſilinum obſidente Hannibale, eumque qui vendiderat fame interiiſſe, emtorem vixiſſe*, ex annalibus refert Plinius.

Nota Studioſis debet eſſe hiſtoria, quam recenſet Herodotus lib. 2. de Rege Ægypti, Sacerdote Sethone. *Hic Sethon militibus Ægyptiis noluit tantum indulgere, quantum illis indulſerant priores Reges. Itaque cum Ægyptum invaderet hoſtiliter Sennacheribus, Sethoni nulli milites auxilium praſtare voluerunt. Sacerdos conſilii inops dicitur apud ſimulacbrum comploraſſe, & obdormiſſe, & in ſomno Deum fauſta pollicentem vidiſſe. His igitur fretus cum paucis Spartanis aliis hoſti occurrit, & cùm perveniſſent propè hoſtes noctu, animadverterunt effuſam ipſis hoſtibus vim agreſtium murium, qui illorum tum pharetras,*

traſ, tum arcus, tum ſcutorum habenas abederant, ita ut poſtera die armis exuti fugam fecerint, multis amiſſis. Iſti Sennacheribo in templo lapideam ſtatuam poſuerunt, addito hoc ſenſu: IN ME QVIS INTUENS, PIUS ESTO.

Poſſunt autem imagines hinc peti in malam potiſſimum partem, quia repræſentantur timidi tamen fraudulenti, inſidioſi, furaces, imprimis verò Paraſiti, 335
quia maxima dulcedo exoritur huic animali ex furtis. Notum etiam illud eſt, quod Judæi tolerati inter Chriſtianos illam mercedem rependunt, quam hoſpiti ſuo in crumena mus rependit. 1. *Sicut* enim mus arrodit crumenam: *ita* quoque Judæi lædunt bonos mores, & rodunt bona ſeu divitias hominum, quas exhauriunt nimiis uſuris. 2. *Ut ſorex* ſuo ſe indicio, *ita*

Prodit Epops nidos & picus in arbore: lites
Sic propriæ vulgat ſtultus ubique domus.

Majores mures dicuntur Glires, absque dubio à gliſcere, quod eſt creſcere. Maximam enim partem *conſumunt ſomno, & tunc temporis creſcunt* atque pingveſcunt. Et poſtea *à lurconibus* quibusdam alicubi magna aviditate *expetuntur,* ita ùt referant, in quibusdam locis homines edaces & delicatos ſubvertere integras caſulas, tantum ut poſſint glirium reperire copiam. Auctores docent, quod viperæ venentur glires: & ſi invenerit totum glirium latibulum vipera, cum non poſſit omnes devorare, quòd pro ſatietate unum aut duos devoret, reliquis oculos expungat, excœcatosque nutriat allatis cibis, donec omnes devoret. Si igitur experti & intempeſtivi 336
lurcones

lurcones (qui ajunt glires & mures habere ſaporem carnium de pullis avium quarundam) in hos incidant, & in cibum ſumant, venenum ſibi ipſis ſumunt. Sic *inquit Epiphanius in fine 1. Tom. 2. libri contra Hæreſes*) *etiam tu, ô Origenes, à Græca Doctrina mente excæcatus venenum his, qui tibi crediderunt, evomuiſti, & factus es ipſis in edulium venenatum, ita ut per quæ ipſe injuria affectus es, per ea plus injuria affeceris.* Hæc ille. Verè autem his intempeſtivis *lurconibus comparari queunt, qui præteritis dulcibus eſcis ſacrarum literarum quærunt ſatiari ex Metaphyſicis, Ethnicis, Scholaſticis ſpeculationibus de articulis fidei Chriſtianæ.* Eſtque in ipſis magnum ſtudium colendæ ſocietatis, unde conjunctim diſcurrunt, adeò, ut hinc natum ſit proverbium: Currunt ſicut glires, cum aliqui conjunctis operis aliquid tentant. Socios ſuos vehementer amant, & alienos ſeu ignotos oderunt, & contra illos pugnant: *Deinde his animalibus eſt magnum ſtudium pietatis erga parentes ſenio confectos*, quibus proſpiciunt de victu neceſſario, illosque aliis etiam modis alunt & fovent. Et hinc quoque ſumuntur imagines in bonam & malam partem. In bonam, de ſtudio ſocietatis & pietatis erga parentes. In malam partem, de Endymi-
337 onibus & deditis ſomno.

TALPA (non tamen verè mus) etiam notiſſimum eſt animal, oculorum quidem uſu captum, ſed tamen valens auditu. Gravidæ fœtus diſciſſus habet oculos: Auditus ejus acrior ſub terra, quam ſupra terram, ideò moventes vel ſeſe in terram trahentes vermes & lumbricos longius audit. Id fit non

ex au-

ex auditus præſtantia, ſed ex continuitate commotæ terræ. Si oblongus meatus ſub terra excavetur, in quem aliquis vocem emittat aut loquatur, longè auditur, ſicut & ille, qui loquens per haſtas & ligna cava quamvis longa auditur. Et hanc ob cauſam Talpa longos circa ſe undique meatus fodit. Lumbrici ſentientes, ſibi imminere Talpas, ad ſoli ſuperficiem fugiunt. Verſatur igitur ſemper ſub terrâ, quam ſtudet excavare ejectis & excitatis quaſi folliculis, ut ſub illis ſibi fodiat cubilia. Unde Virgilius:

Aut oculis capti fodêre cubilia talpæ.

Diſputant autem, Talpam non poſſe dici animal, niſi etiam oculos habeat, tanquam inſtrumenta ſenſus cujusdam præcipui. Cum enim animal habeat ſuam formam à ſenſibus, neceſſe eſt, hoc etiam animal illo beneficio non deſtitui. Apparet igitur in diſſectio- 333
ne poſt cutem detractam orbiculus quidam in loco oculorum, adeò ut per ſe non deſtituatur viſus organo, ſed per accidens, quia ſemper verſatur ſub terra. Etſi autem oculorum beneficium ipſis deeſt, tamen natura, hoc eſt, Deus eis dedit præſtantem auditum, in uno recompenſans, quod in aliis eſt neglectum. Frumentum in areis plurimum depopulantur, & comedunt in fame radices ſub terra, & bufones & ſerpentes, habentque roſtrum inſtar porci. Solem plurimum oderunt & fugiunt, nec niſi ad horam unam & alteram poſſunt degere ſupra terram, pedesque quaſi digitos habent, id quod eſt imago falſitatis & cœcitatis, quæ non poteſt ferre Solem aut veritatem, ſed ſemper degit ſub terra aut in obſcuro. Nam ſicut tenebræ diſcutiuntur à Sole: Ita mendacium fugatur à veritate. Et de his quoque ſatis.

CA-

Caput XXIX.

DE MIXTIS ANIMALIBUS QUADRUPEDIBUS.

H*Actenus explicatæ ſunt proprietates illorum ani-*
339 *malium, quæ gignuntur ex ſuis ſimilibus: Nunc paucis reſtat dicendum de illis, quæ juxta autores oriuntur ex commixtione diverſorum, idque juxta anctores plerumque in Africa.* Nam in Africa propter ſiccitatem animalia ex variis locis concurrunt ad unum flumen, & exſtimulatâ libidine coëunt ſæpè diverſæ ſpecies, ut naſcantur mixta, ceu ſunt Leopardus, Camelopardalis, Mulus. Leopardus naſcitur ex coitu Pardi & Leænæ. Leo enim propter calidisſimum temperamentum non ita frequenter coit, & tamen Leæna libidinoſiſſima eſſe ſolet, unde ſeſe miſcet cum Pardo, & ita gravida facta excurrit in montes, quaſi prædandi gratia, ut poſſit parere ſine periculo. Parit autem Leopardos, id eſt, ſimiles Leonibus & Pardis. Hos igitur quando reperit Leo, mordicus dilacerat. Sed ne fiat, Leæna in ſeceſſibus parit. Similiter Camelopardalis naſcitur ex commixtione Cameli & Pardalis. Mulus ex aſino & equa, item ex tauro & aſina, ita canes producuntur ex commixtione vulpis & canis, item canis & lupi. Ita Lycopantheros gignitur ex Lupo & Panthera, ita in Rhætiâ crebro ex ariete & capra naſcitur miſtum animal, quod anteriore parte eſt ovis, ſed poſteriore capra. Utinam autem hæc mixtio ſolummodo lo-
340 cum retinuiſſet inter bruta animalia, neque etiam occupaſſet

cupaſſet homines. Refert Plutarchus in libro (*utra animalium*) de quodam Philino, *qui retulit ſe oculis ſuis vidiſſe Crocodilum cubantem cum muliere admodum appoſitè. Sic exempla non deſunt alia, & nata fuit puella ex homine & aſina.*

Etſi autem tales partus ex divina providentia nec ſemper diu vivunt, nec ſemper iterum gignunt; ſicut tamen quandoque fecerunt, & *ſicut apud Herodot. lib. 4. & 7. in obſidione Babylonis, & in exercitu Xerxis Mula peperit, tamen res per ſe eſt horrenda.* Plerumque in externis aliqua eſt cauſa monſtrorum: unde imitandus eſſet Thales Mileſius, de quo extat commemoratio apud Plutarchum. *Cum enim in congreſſum & convivium ſapientiſſimorum hominum in domo Periandri introduceretur, ſeu afferretur infans natus ex equa & homine, habens caput, & collum, & manus, & ejulationes, ſimiles hominibus, cætera verò omnia paria equis, varia audita fuerunt judicia.* Diocles *putabat, eſſe miraculum ſeu prodigium portendens diſſidia, ſeditiones & bella, ſed Thales contrarium exiſtimavit & conſuluit, ut deinceps paſtoribus equorum concederentur uxores, quod ex denegatis uxoribus in illam laſciviam prolapſi fuiſſent paſtores.*

Apud Sabellicum lib. 7. Ennead. 9. ſub Martino 341
Quarto P. R. cognata Pontificis peperit puerum villoſum & armatum ungviculis urſi. Hoc commotus Pontifex omnes urſorum imagines juſſit deleri. Peccant etiam in genus humanum omnes, quotquot in Bacchanalibus induunt larvas tetras, & ita ſpeculationi gravidarum nocent, cùm pro gravidis potius vehementius ſit rogandus Deus, ne monſtroſis ejusmodi perſonis puniatur genus humanum. Multum e-

nim tentat libido & ſpeculatio in libidine, ſicut mulieres gignunt fœtus labris bifidis, quando lepores aſpiciunt, & aliquæ pepererunt cornutos fœtus ex inſpecta pictura complectente fabulam Actæonis conversi in cervum. Ita conſtat, equos varicolores gigni, ſi ſtent in ſtabulis, quæ ſunt ornata tapetibus varicoloribus, & catella quædam peperit jubatos canes, dum quotidie jaceret in mollibus velleribus arietis. Refert Damaſcenus de Puella, *quæ pepererat hirſutum infantem, quia Divi Johannis Baptiſtæ imaginem habuerat ſemper ob oculos.* Similiter Quintilianus defendit mulierem, *quæ putabatur coiiſſe cum ſervo, propterea, quod pepererat atrum infantem. Deprehen-*
342 *ſa enim fuit in cubili ipſius imago Æthiopis.*

Porrò *quinque requiruntur ad aptam commiſtionem brutorum,* ſiquidem petulantia hominum non contenta eſt ſimplici naturæ curſu, ſed excogitavit mixturas, quarum omnium auctor primus eſt Ana, Gen. 36. qui reperit mulos, cum paſceret aſinos ſui patris, id eſt, qui coëgit coire aſinum & equam, ut inde naſceretur mulus.

1. *Animalia miſcenda non debet multum diſcrepare in magnitudine.* Non poſſunt miſceri canis & eqvus, ſed lupus & canis, aſinus & eqvus, Panthera & Leo. Sic homo nefando concubitu coit cum equis, capris, vaccis, ſuibus, &c.

2. *Non poſſunt naſci Bruta ex commixtione diverſorum, niſi geſtationis tempus in illis, quæ miſcentur, fuerit æquale.* Ergo canis ex homine non poteſt naſci, neque eqvus ex Elephanto, quia homo abſolvitur 9. menſium ſpatio, ſed canis paucorum.

3. *Illa animalia, quæ debent miſceri, neceſſe eſt*

eſſe

eſſe etiam ſalaciſſima, ut imprimis ſunt canes, vaccæ, hirci, ſues, aſini, &c.

4. *Neceſſe eſt fieri mixtionem tempore idoneo*, quod in plerisque eſt vernum. Ita à natura comparatum eſt, ut certo & ſtato ſaltem tempore veneri indulgeant, & pauca ſint, quæ perpetuis ſtimulis veneris torqueantur.

5. *Neceſſe etiam eſt, ut hoc fiat ætate floreſcente*, 343
ubi & poſſint gignere ſemen, illudque emittere, concipere, retinere. Hæ quinque Regulæ ſi fuerint in promptu, non tantum ſponte miſceri poterunt animalia, verum etiam cogi ſolent à paſtoribus, ut miſceantur, & ut inde nova ſpecies producatur.

Finis verò, cur Veteres coëgerint bruta, ut miſcerentur, eſt hic, *ut animalia*, quæ ex tali mixtione producuntur, *fiant fortiora.* Ita olim in India canes nati ex Tigride incredibili fuerunt fortitudine prædìti, id quod Philes ſapientiſſimus Rex memoriæ prodidit, & eſt nota commemoratio Æliani de Alexandri M. cane Indico, quem dono acceperat à Rege Indico. *Cum enim in Theatrum emitteretur Aper grandis, nullum pedem movere voluit canis Indicus, contemnens ſcilicet tam exiguum hoſtem. Deinde cum introduceretur urſus, aſpexit quidem ipſum canis, ſed tamen ne tunc aliquid tentavit quidem. Deniq; cum fortiſſimus Leo adduceretur, morditus ipſum comprehendit, ita ut dentibus conjunctis crepitus animadverteretur. Hic ſtatim Alexander juſſit abſcindere unum pedem canis, ſed canis Indicus tàm fortiter hoc fuit paſſus, ac ſi non fuiſſet ipſius pes, & interim nihilominus fortiſſimè continuit Leonem.* Abſciſſus eti- 344
am ſecundus fuit, tertius & quartus pes, ſed nihilo-

minùs conſtantiſſimè perſeveravit. Cumque tandem caput cani abſcinderetur, & reliqvum corpus abjiceretur, deprehenſi fuerunt dentes mortui capitis tàm accuratè conjuncti, ac ſi adhuc viveret canis. De ſimilibus idem eſto judicium. Quemadmodum verò omnes lineæ rectæ inter ſe ſunt æquales, ſed curvæ omnes inter ſe diſſentiunt, & habent infinitas ſpecies, ita quoque mixtorum animalium non poſſunt conſtitui certa genera, & vix pauca ſunt data. Leopardus, Camelopardalis, Mulus, quod ultimum genus eſt notiſſimum neque ſtupidum.

Et nota eſt narratio apud Plutarchum in libro (utrum Animalia.) Item apud Ælianum de *Mulo, qui cogebatur portare ſaccos plenos ſale. Cum igitur per flumen ipſi eſſet transeundum & ſal madefieret, ipſeque ſentiret, ex madefactione & reſolutione ſalis ſacculos fieri leviores: ſequentibus diebus totum ſeſe mergebat in aquam. Verùm Thales jubebat ſacculos replere ſpongiis, cumque graviores fieri animadverteret ipſos, tandem nunquam, cum ſalem portaret, iterum ſeſe immerſit.* Apud Herodotum Crœſus
345 ab oraculo nominatur Mulus, *quod eſſet natus ex patre Perſa, ſed ex matre Lydia.* Ipſe verò non intellexerat hoc, neque crediderat, illam contumeliam ſibi poſſe contingere ab oraculo, cui tot dona immenſa obtulerat. Et hæc quoque una fuerat cauſa, quod ex non rectè intellecto oraculo in magnum inciderat periculum, de quo legatur integra narratio in 1. lib. Herodot. Hoc ſupra quoque fuit annotatum ex Æliano de Simiis, quas non ſemper audent Indi adducere in urbes, propter ſummam libidinem, quia viſis mulie-

mulieribus exardeſcunt, & vix cohiberi poſſunt; Ergo monſtra talia, de quibus in hoc capite fuit dictum, non ſemper ſunt miraculoſa, & amandum eſt judicium Thaletis, quod apud Plutarchum extat & paulò ante eſt recitatum.

Porrò mixta animalia ſunt imagines illorum, qui
ſive in Eccleſia, ſive in bello, ſive in politicis negotiis
neutri parti adhærent, unde etiam neutrales appel-
lantur. Levitic. cap. 19. verſ. 19. expreſſe prohibe-
tur, *ne quis faciat brutum ſuum coire cum altero bru-
to.* Præterea alibi Exod. 22. Levitic. 19. 20. *etiam
probibet Deus, ne quis agros ſuos aret bove & aſino,
item ne quis ſpargat diverſa ſemina in ſuum agrum,
item ne quis utatur veſte, quæ eſt contexta lana & li-* 346
*no, quales tamen veſtes ſunt valdè commodæ, & pa-
ratu faciles,* propterea quod filum craſſius ſubnecti-
tur cum tenui, ne ſi tantum tenuia eſſent fila, majori
precio emerentur. Nihil verò aliud fuit ſignifica-
tum, quàm quod Matth. 16. jubetur vitare fermen-
tum, hoc eſt, ut 1. Pſ. explicat. *Non ſtare in conſilio
improborum, &c.* Olim apud Græcos Lege publica
illi omnes capite puniebantur, qui tempore ſeditio-
nis neutri parti acceſſiſſent. Et cum Mulus notius
ſit animal, inde ſumptæ imagines facilius intelligen-
tur.

Sicut igitur Muli neque equi, neque aſini ſunt, ſed conflati ex utriſque: *ita* neutrales neque calidi ſunt, neque frigidi, ut dicitur in Apocalypſi, cap. 5. & additur, utinam ſaltem tepidus non eſſes.

Deinde ſicut Muli ſunt infœcundi, ita Hypocritæ non illuſtrantur divinitus, neque ornantur donis ſpi-

ritualibus, & nullum faciunt fructum in vinea Domini.

3. *Sicut Muli* graviſſima coguntur geſtare onera: *ita* neutrales ab utraque parte perinde vexantur, non aliter (ut Pontanus explicat) quàm hi, qui medium domûs tabulatum incolunt, & à ſuperioribus lotio perfunduntur, ab inferioribus fumo vexantur.

347 Reliqua capita collationum facilè erit cuivis adjicere. Et hæc non tantùm de mixtis, de quibus Baptiſta Porta legatur, verùm etiam de ſimplicibus quadrupedibus breviter dicta ſufficiant.

SECUNDA PARS HISTORIÆ ANIMALIUM DE AVIBUS.

CAPUT I.

DE AQUILA.

POST quadrupeda terreſtria *ſequuntur Aëreæ ſeu volatilia*, non quod tantum ex aëre conſtent, ſed quod plus habeant aëris, quàm reliquorum elementorum, unde etiam volare poſſunt, præſertim quæ valdè ſunt pennoſa, & ita præ reliquis avibus plurimum aëris acceperunt, unde & caro talium animalium ſalubrior eſt carne reliquarum avium,

avium, quæ ſunt magis frigidæ, & amant lacus & ſtagna. Quemadmodum verò quadrupeda caudis & auribus ſuis præbent ſignificationes ſuorum affectuum, ita aves certis nutibus & vocibus animorum 348
ſuorum cupiditates exprimunt, ſicut videmus prodi venatores & peregrinantes à coturnicibus & perdicibus. Præ reliquis verò animalibus aves pleræque amant ſocietatem, & honeſtatem in generatione, quia magna cum ſolicitudine tempore veris quærunt ſibi ſocias, illis ſeſe applicant certis nutibus, valdè diligunt, pro ipſis pugnant, & in gratiam liberorum nidulos conſtruunt, fœtus ſuos nutriunt, & toto illo tempore generationis voluptatem ſuam declarant perpetuis cantillationibus. Id quod inde manifeſtum redditur, quia poſt completum amorem, & abſolutam generationem etiam canere ceſſant, Sed ad ipſas ſpecies eſt veniendum.

AQVILA.

Hæc avis meritò primum occupat locum, cum ſit Regina avium, valdè pennoſa & animoſa. Etſi autem multæ ſunt ſpecies, tamen omnes in hoc conveniunt, quod habent aduncum roſtrum, ungves incurvatos, vocem terribilem, non ſuavem, ſed clangentem & minacem, qua terretur omne genus animantium, item oculos improbos, frontem torvam, colorem inſuavem, funeſtum & nigricantem admixto fuſco colore. Atque licet maxima non multò major ſit anſere, tamen propter excellentem calliditatem animo valdè magno eſt prædita, ut & viſus bonitate 349
præ omnibus avibus. Unde Chaſci Romani illi, etſi dicerentur primi Reges ipſorum enutriti è lupis, ipſi-

que in vexillis poſterioribus uterentur imagine luporum, tamen ſemper in primo vexillo depinxerunt aquilam, tandemque planè relegatis lupis nihil niſi aquilas in omnibus vexillis voluerunt conſpici. Atque ſic imago aquilæ manſit inter inſignia Romanorum Imperatorum, quanquam hodiè meritò diviſo capite pingitur propter maximam ruinam Imperii Romani, à quo multæ partes ſunt ablatæ. Aduncis naſis præditos Phyſici ad exemplum aquilæ conſtituunt magnanimos.

Deinde hæc avis non eſt formoſa, non eſt canora, non eſt eſculenta, *ſed eſt carnivora,* rapax, prædatrix, populatrix, bellatrix, ſolitaria, inviſa reliquis omnibus, & peſtis reliquarum omnium, inimica pacis, horribilibus ungvibus prædita, veſcens ſerpentibus & cadaveribus, rapiens anſeres, lepores, damulas, cervulos.

Geſnerus recenſet, in quodam nido aquilarum col-
350 lectas fuiſſe trecentas anates, & centum anſeres, quadraginta lepores, & plurimos magnos piſces. Idcirco Leviticorum cap. 11. numeratur inter animalia immunda, quorum eſum prohibet DEUS, ut manifeſtè ſignificetur, pios, præſertim Reges, debere abſtinere ab iſtis proprietatibus aquilarum, voracitate, rapacitate, bellis, odiis & ſimilibus.

Porrò ſicut Scriptura à Leonibus mutuatur imagines in bonam & in malam partem: *ita* quoque multa ſunt in Sacris literis petita ab aquilis in bonam partem. Idcircò ſequentes præcipuæ proprietates diligenter conſiderabuntur.

1. *Magna eſt in hac ave fortitudo* animi, quia audet aggredi etiam magna animalia ut cervos.

2. *Eſt*

Digitized by Google

2. *Eſt in ipſa quoque non minor calliditas*, quia alas ſuas fortiſſimas & valdè pennoſas pulvere & arenis replet, poſteaque inſidet cornibus cervorum, & concutit alas ſuas pulverulentas de induſtria ſuper oculos cervorum, diligenterque providet, ut cervos ita poſſit aggredi in petris vel montibus. Ita enim fit, ut impediti viſu decidant & capiantur. *Quodque calliditate valeat, etiam hinc conſtat, quia teſtudines maritimas in ſublimè exportat, & dejicit ſuper ſaxa, ut ita frangantur.*

3. *Altiſſimum habent volatum*, adeò ut ſit dicta ar- 35 I
miger Jovis, quia ſæpè tam altè volat, ut non amplius poſſit videri, etiam tunc, cum cœlum eſt ſerenum. Propter hanc cauſam Johannes Evangeliſta comparatur aquilæ. Et quod in Proverbiorum 30. Salomonis dicitur, neminem poſſe noſſe veſtigia aquilæ in aëre propter altiſſimum volatum, illud interpres Gregorius Nazianzenus ſup. Orat. 6. de Spiritu S. accommodat ad Deitatem Chriſti, quæ ſit ineffabilis. Cum igitur Johannes Evangeliſta incipiat ſuam concionem ab æterna & infinita Deitate Chriſti, tanquam à Doctrina altiſſima, vetuſtas aquilam ei voluit attribuere.

4. *Etiam nidum ſuum tantum in petris*, altiſſimis montibus, præruptis ſaxis & longiſſimis arboribus ſolet ponere, unde Jeremiæ 49. dicitur, ſicut aquila exaltat nidum ſuum.

5. *Sicut* habet volatum & nidum altiſſimum: *ita quoque ſolitariam agit vitam* in præruptis montibus, neque volat vel prædatum excurrit, niſi poſt meridiem, ubi jam ſcit homines ex campis ad oppida properare.

6. Vi-

6. *Viſum habet acutiſſimum*, adeò ut Solis radios
352 ſine omni detrimento poſſit intueri, ita ut oculi non illacrymentur. Et hoc quoque inſtituit examen ſuorum fœtuum, quando jam poſſunt volare. Nidis enim eos expellunt, & in altum extollunt, & aſſuefaciunt, ut intueantur radios Solis adverſos. Illos autem tantum habent pro genuinis, qui radios Solis poſſunt ferre, cæteros verò excludunt, tanquam degeneres, qui ſolent connivere, oculos claudere & illacrymari. Imò & antea cum adhuc ſunt implumes, tamen ſæpè cogunt, & alis percutiunt, ut intueantur Solem, ſique nictent, præcipitant ex nidis. *Etſi autem in genere hæc debet eſſe imago de probandis & examinandis filiis*, utrum ſint apti ad ſtudia, vel ad alia negotia, in quam ſententiam uſurpatur à Nazianzeno intercedente pro filio ſuæ ſororis, qui erat idoneus ad literas: *tamen ſpecialius propoſita hic eſt ratio examinandi membra Eccleſiæ veræ*, & diſcernendi ea à mortuis membris. Tantum enim illa ſunt vera membra Eccleſiæ, quæ verâ fide intuentur Solem Juſtitiæ, & ſtellam Jacob, & lucem mundi atque lumen ad revelationem gentium, Jeſum Chriſtum. Etſi autem omnes adſpiciunt ſolem, tamen ſaltem genuini fœtus aquilæ hoc faciunt ſine nictatione. Ita multi dicunt: Domine, Domine, ſed ta-
353 men non omnes ſunt veri Chriſtiani, quia ſaltem conniventibus oculis & hypocriticâ fide Chriſtum complectuntur.

Sicut igitur aquilæ implumes fœtus cogunt intueri Solem: *ita* Eccleſia mater ſtatim parvulos debet aſſuefacere ad fidem in Chriſtum. Et *ſicut* aquila nictantes ejicit ex nido: *ita* Chriſtus & Eccleſia rejiciet

ciet pertinaces hypocritas. Et hac ſimilitudine uſus eſt ipſe Deus, Exod. 19. & imprimis Deut. 32, ubi de Judæis eductis ex Ægypto dicit: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & aſſumſit eum atque portavit in humeris ſuis.* Aliæ aves portant pullos in pedibus, quia metuunt alias altius volantes, ſed aquila nihil niſi ſagittas metuens geſtat ſuos ſupra alas & in humeris. Deque altiſſimo volatu aquilæ etiam teſtatur Abdias v. 4. & Job. cap. 39. Tam diu ſolet ipſa alere pullos ſuos, donec poſſint volare, & interim ſæpè provocat eos ad volandum, ut citius poſſint extrudi. Id quod debet eſſe imago piorum, qui maturè debent proficere in fide & invocatione Chriſti.

Sicut acutiſſimè, ita quoque longiſſimè videt Tanta enim eſt oculorum acies, ut altiſſimè exaltetur, atque adeò ut non amplius appareat humanis obtuti- 354
bus, & tamen interea ſeſe libret, ſique vel minimum piſcem in mari viderit, ſeſe demittat, aquas pectore diſcutiat, & prædam rapiat atque devehat. Et non tantum hoc, verùm etiam omnem aliam prædam ex longinquo poteſt videre.

8. *Præterea* ſicut altiſſimè volat, acutiſſimè & longiſſimè videt, *ita etiam volatum habet ſtupendæ celeritatis.* Dum enim vix oculis cernitur, & judicatur abeſſe longiſſimè, ſtatim in momento advolat, id quod ipſa Scriptura annotavit Jeremiæ 4. & Threnorum cap. 4. ubi dicitur, velociores aquilis: Et in Proverbiorum cap. 23. illæ divitiæ, *quæ ſine benedictione Dei cumulantur, dicuntur evaneſcere ſubitò, ſicut aquilæ celerrimè avolant.*

Et

Et hoc quoque Homerus indicavit. Il. ρ. de aquila loquens.

Illa etiam ſublime volans, cœloque propinquans,
Velocem pedibus leporem vidit eminus, atque arripit. Nota eſt qualis qualis Pindari cōmemoratio de Jove, quod duas emiſerit in diverſum aquilas, unā ab ortu, alteram ab occaſu, quæ convenerunt Delphis, ideoque Delphos credidiſſe, ſe ſitos eſſe in centro totius orbis.

Multi etiam dicunt, Hieroſolymam ſitam fuiſſe in
355 medio habitati orbis. Utrumque diſcrepat cum natura globi terreni, in quo quilibet locus poſſet accipi pro centro, unde infinita fierent centra. Illud autem verum eſt, Hieroſolymam fuiſſe ſitam in commodisſimo tali loco, unde faciliores eſſent peregrinationes in Indiam, Africam, Græciam.

9. *Diutisſimè vivit hæc avis,* neque videtur ex vulgi opinione mori tàm ſenio aut morbis, quàm fame. Ne enim in infinitum usque prædationes exerceret, ſapienti Dei conſilio ſecundum quosdam fit, ut quò diutius vivit, eò magis augeatur aduncitas roſtri, & quidem adeò, ut tandem non poſſit veſci carnibus, vel alios deglubere cibos, ſed tantum ſitiat & bibat ſangvinem. Inde natum eſt proverbium de ſenibus, qui plus delectantur potu, quàm cibo. (*aquilæ ſenectus.*) Cùm verò Pſal. 102. v. 5. dicatur: *Renovabitur ut aquilæ, juventus tua,* varii excogitati ſunt ab auctoribus modi, quibus hoc explicarent. 1. Rabini putarunt, *aquilam natam* 10. *annos evolare in ignem elementarem, ibique incaleſcere, adeò ut pennæ exurantur, & poſtea procidere in mare, ſicque novas*

novas recipere pennas. Et dicunt, *aquilam hoc facere ſingulis decenniis uſque ad* 100. *annum, & ita decies rejuveneſcere.* 2. Alii ſcribunt, *aquilæ, cum conſenuit, pennas & oculos computreſcere & gravari;* 356
unde ſeſe lavet in fonte quodam, & hac ratione rejuveneſcat. 3. Alii dicunt, *aquilam aduncum ſuum roſtrum allidere ad ſaxum aliquod duriſſimum, adeò, ut frangatur & decidat eminentia impediens geſtationem cibi ſolidi.* Sed hæc omnia ſunt fabuloſa: niſi quòd inde ſimilitudines aliquæ uſurpari & inſtrui queunt, nimirum quemadmodum ſecundum horum allegatorum auctorum communem opinionem, Aquila vetus, cui accrevit eminentia roſtri, volat ad petram, & decutit eam: Sic gravati peccatis per fidem ad Chriſtum petram evolare, & ſordes decutere vel deponere debent. Aliis plana ſententia videtur hæc eſſe: *Renovabitur ut aquila juventus tua,* id eſt, *DEUS redintegrabit vires tuas, ita ut poſſis comparari cum robuſtiſſima aquilarum juventute, quoad vigorem animi, quoad robur & celeritatem corporis, quoad agilitatem.* Sicut enim Leones, qui juvenes, reliquos omnes omnium ætatum Leones robore plurimum ſuperant: *ita* quoque aquilæ potiſſimùm in juventute ſunt robuſtiſſimæ, velociſſimæ, animoſiſſimæ & violentiſſimæ. Non igitur dicitur (inquiunt) aquilam ex ſeniori fieri juniorem, *ſed Deus permittit piis tales vires vegetas, quales* 357
ſunt aquilæ in juventute, ac ſi revera ſenectus mutaretur in juventam. Euthymius exiſtimat, *aquilam ſæpenumerô excutere antiquas pennas,* ut poſſint ſubcreſcere novæ. Et huc videtur ſpectare Eſaias cap. 40. v. 31. cum inquit: *Qui ſperant in Domino, muta-*

mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilæ, current & non laborabunt, ambulabunt & non deficient. Et hæc eſt ſententia expeditiſſima. *Sicut* enim ſerpentes quotannis ſenectam exuunt: *ita* inter volatilia aquilæ & ejus cognatæ rapaces aliæ aves. Confirmatur hoc à Michæa, qui inquit, *Calvitium tuum ſicut aquila, cap. 1. v. 15.* ſignificatur enim *pios futuros eſſe fatis benignis & aſſecuturos* aliquid ſine difficultate.

10. *Tanta in ipſa eſt aſtutia & ſapientia, ut ungues, quando ingreditur, contrahat,* ſicut etiam faciunt Leones, ut poſtea cum opus eſt, integris illis poſſit uti. Id quod Eraſmus *ad vigorem ingenii accommodat,* qui non eſt intendendus in res nullius momenti, ſed ipſi eſt parcendum, ut poſſit ad res magnas & utiles prodeſſe. Similiter ſuas vires non quaſi fert ad captandas muſcas, vel parvas aviculas, ſed eas reſervat ad capienda maxima animalia, anſeres, le-
358 pores, cervos, ſerpentes & cadavera. Valdè enim amat eſum ſerpentum & cadaverum, ſicut dicitur Jobi c. 39. 33. *Ubicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſt,* (*ſcilicet aquila.*) Id quod Salvator noſter Matth. 24. v. 28. ad ſeipſum & ad omnes pios accommodat, *Ubicunque eſt cadaver, ibi congregantur aquilæ.* Nominat autem ſeipſum cadaver, quia pro nobis mortuus eſt, ſed omnes pios nominat aquilas. *Sicut* igitur in fame præſertim aquilæ ex longinquo olfaciunt cadavera, & ſtupenda celeritate ad illa convolant: ita ad Chriſtũ convolant omnes pii verâ fide in hac vita.

11. *Nidum ſuum perhibetur conſervare contra venena, & alias ſordes.* Gemmam enim, quæ dicitur Ætites, fertur reponere in nidum, quod hæc gem-

ma

ma reſiſtit venenis. Et hac ratione ſuos fœtus præſervare contra necem dicitur. Præterea ſæpè ſolet luſtrare ſuum nidum herba quadam, quæ dicitur callitrichum, quæ ſcilicet capillos præſervat, ne defluant, & efficit pulchros atque criſpos capillos. Id quod debet eſſe imago ſtudii & induſtriæ, quæ requiritur in verâ Eccleſiâ. Hæc enim debet ſuos fœtus conſervare contra venenum, & ſæpè luſtrare templa, id eſt, ſæpius membra ſua lacte veræ doctrinæ inebriare, & ſi quæ hæreſes, vel ſi quæ vitia in uſum venerunt, herba ſalutari ſpiritualiter emundare. 359

12. *Niſi vehementer fuerit famelica, non integram prædam abſumit, ſed avibus quaſi communem exponit,* ſua tamen prius ablata portiuncula, ideò aves frequentes ſolent eam ſequi. Verùm ſi nullam aliam accepit prædam, vel ſi præda aliqua non ſufficit, ſibi proximam avem rapit, & in medium proponit. Id quod eſt imago avarorum Principum, qui ſæpè nimiis exactionibus ſuos ſubditos planè exhauriunt.

13. *Magna ſcribitur eſſe ἀντιπάθεια inter pennas aquilinas & inter pennas reliquarum avium.* Magna quippe harum pennarum caliditas eſſe putatur, ita, ut licet aliis rebus fuerint conſertæ hæ aquilinæ pennæ, tamen non conputreſcant. Deinde ſi admiſceantur pennis aliarum avium, dicuntur reliquas pennas devorare ſeu conſumere. Id quod docti homines paſſim accommodant ad bona Eccleſiaſtica, injuſtis modis translata ad poſſeſſores. Hæc enim bona tanquam ignis quidam conſumunt etiam reliquas divitias injuſtis titulis acquiſitas. Id quod infinitis exemplis poſſet declarari, niſi eſſent propter recentem memoriam odioſa.

Quid

360 Quid autem de pennis aquilinis ſit verè ſentiendum, an verè abſumant alias pennas, id ſuperius de ove & lupo monſtravimus. Non enim Phyſicè & realiter, & verè aquilinæ reliquas abſumunt, ſed ſaltem diutius durant, etiam ſeorſim aſſervatæ, aquilinæ, & citius in nihilum reſolvuntur anſerinæ, itidem ſeorſim ab aquilinis collocatæ. Interim tamen licebit uti ea ipſa ſimilitudine, modò ſemper adjiciatur talis formula: *Sicuti* ſecundum antiquam & vulgatam& communem plebis opinionem aquilinæ pennæ PERHIBENTUR vel CREDUNTUR abſumere alias; *Ita* quoque bona Eccleſiaſtica corrumpunt alias facultates.

14. *Ferunt hanc avem tutam eſſe contra fulmen,* cujus ratio non poterit alia reddi, niſi occulta, aut hæc, quod altiſſimum habet volatum, & celerrimè volare poteſt in alia loca, ubi à fulmine non petatur.

15. *Naturalis eſt ἀντιπάθεια & pugna aquilarum atque Draconum,* quia aquilæ inſidiantur Draconibus, ipſosque ungvibus ſuis dilaniant & conficiunt. Vice verſa adeò metuunt Dracones aquilam, ut naturali quadam aviditate inveſtigent ova aquilarum, & ea, ubicunque poſſunt, atterant & perdant. Præ-
361 terea quoties audiunt aquilæ per altiſſima loca volantis vocem & clangorem, ſumma cum celeritate in ſpeluncas ſuas ſeſe recipiunt & occultant. Hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus nobiliſſimæ avis, cujus etiam deſcriptionem tradit ipſe Deus Jobi 39. v. 30. his verbis: *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? in petris manet & in præruptis ſilicibus commoratur, atque in acceſſi, rupibus. Inde contemplatur eſcam, & de longè oculi*

oculi ejus proſpiciunt, pulli ejus lambunt ſanguinem & ubicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſt. Hæc ſunt verba ipſius Dei.

Etſi verò paſſim imagines quædam hactenus ſunt indicatæ, tamen cùm aquila ſit regina avium, ſicut Leo quadrupedum, idcircò Ezech. 17. propoſita deſcriptio eſt addenda. In illo enim loco duo potentiſſimi Reges, Monarcha Babylonicus, & potentiſſimus Rex Ægypti, deſcribuntur ſub allegoria aquilarum ingentium, quæ grandes habuerunt alas & celerrimum volatum, cujus capitis explicationem mutuabuntur ſtudioſi ex 2.Reg. 24. & 25. Ezechias enim ex merâ gratiâ à RegeBabyloniorum fuerat evectus ad dignitatemRegiam & conſtitutus ſuper Judæos, hac tantùm conditione, ut tributum ſolveret Mo- 362
narchæ Babylonico. Sed ipſe perfidè deſciſcebat à Babyloniis, & deficiebat ad Ægyptiacum Regem. Hinc igitur graviſſima ſcribitur ipſi comminatio, quod ab aquila Babylonica perfidè defecerat ad aquilam Ægyptiacam. Ideò autem dicuntur hi Reges aquilæ, quia altiſſimum habuerunt volatum, & celerrimum, & fuerunt prædatores, id eſt, quia ſapientiſſima conſilia, acre imperium, varias regiones habuerunt. In genere autem tum pii, tum mali Principes poſſunt comparari aquilis. *Pii Principes ſunt aquilæ*, id eſt, *ſicut* aquila acutiſſimè videt: *ita* quoque ipſi felices ſunt in conſiliis; Et *ſicut aquila* longiſſimè videt: *ita* ipſi non tantùm perpendunt illa, quæ ſunt ante pedes, verùm etiam de futuris maximoperè ſunt ſoliciti. Et *ſicut aquila* celerrimum habet volatum: *ita* ipſi operam dant, ne bona conſilia ita differantur, ut nunquam deducerentur in actum. *Et ſicut aquila*

 pro-

probat ſuos pullos: *ita* quoque ipſi removent hypocritas, & alios doloſos. Item *ſicut aquilæ* ſuos pullos ſuis alis defendunt adverſus Solem: *ita ipſi* ſuſcipiunt curam ſubditorum. Item *ſicut aquila* ſæpè luſtrat ſuum nidum: *ita ipſi* regiones ſuas purgant
363 ejectis & ſublatis latronibus, furibus, hæreticis. Et *ſicut aquila* cogit & aſſuefacit pullos, ut Solis radios intueantur: *ita* quoque pii Principes ſuos ſubditos ad veram religionem adducunt. *Et ſicut Dracones* audito clangore aquilarum fugiunt in ſpeluncas: *ita* cum hæretici, latrones & alii audiunt, ſe non poſſe tolerari à Principibus, aufugiunt. Et hoc eſt, quod Hercules olim inter reliquos labores dicitur confeciſſe Draconem, hoc eſt, exturbaſſe ex ſuis regionibus tales impios & perverſos.

Impii Principes etiam ſunt aquilæ, immunda animalia, quorum eſus prohibetur, rapacia, bellis tantùm nata, pugnacia. *Sicut* autem aquila dicitur in fame paſci cadaveribus: *ita* ipſi poſt magnas luxurioſas abliguritiones paſcuntur ſudore & ſangvine ſuorum ſubditorum. Præterea *ſicut aquila* dicitur eſſe armiger Jovis: *ita tales* ſunt virgæ Dei. *Atque ſicut* aquila dicitur non metuere fulmen: *ita impii* Principes hoc ipſo putant ſe ſalvos eſſe, quod ſunt armigeri Jovis, hoc eſt, quod per ipſos Deus punit mundum. Reliqua capita collationum quilibet propriâ induſtriâ adjicere poterit.

CA-

Caput II. 364

DE STRUTHIOCAMELO vel STRUTHOCAMELO, Strauß.

Στρουθός ſignificat paſſerem, στρουθίον paſſerculum, per Antiphraſin, quia eſt maxima avis ad Cameli prolixitatem erecta, unde compoſita voce nominari ſolet Struthiocamelus vel Struthocamelus. Dicitur etiam ſimpliciter Struthio vel Struthus, & non capitur, ut reliquæ aves, viſco aut calamis, ſed equis, canibus & retibus. Eſt enim maxima avis, magnitudine viri, & dorſo tam lato, ut puellum etiam inſidentem ſuſtinere poſſit, & reperitur in Africa, & in Æthiopia. *Ælian. lib. 9. de Anim. c. 58.* ex tribus minimis animalia maxima generari ait: Crocodilum inter aquatilia, Struthiocamelum ex avibus, Elephantem ex quadrupedibus. Ad nos rarò affertur. Venetias & Antverpiam ſæpiùs. Ejus deſcriptionem etiam habemus apud Jobum cap. 39. v. 16. & ſequentibus: *Penna Struthionis ſimilis eſt pennis herodii & accipitris: Quando derelinquit ova ſua in terra, tu forſitan in pulvere calefacies ea? Obliviſcitur quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui, fruſtrà laboravit nullo timore cogente. Privavit enim eam* 365 *DEUS ſapientia, nec dedit illi intelligentiam. Cum tempus fuerit, in altum alas erigit, dividit equum & aſcenſorem ejus.* Hæc ſunt magnifica verba Dei, de magnifica illa ave. Initiò autem, etſi Levit. cap.

11. v. 16. manifeſtè refertur inter aves immundas, tamen quæſtio à Philoſophis inſtituitur, utrum potius debeat annumerari terreſtribus, an verò volatilibus. Videtur enim eſſe quaſi mixtum quoddam animal, & neutrale, unde finxerunt fabulam, aliquando in prælio terreſtrium & volatilium Struthionem pollicitam eſſe illi parti auxilium, quæ vinceret, unde propter illam cauſam fuerit captus & punitus Struthius, atque ab utraque parte mutilatus, ut diſputetur hodie, cuinam parti propriè debeat attribui.

Quod non videatur eſſe avis, ex his concludere conantur.

1. *Quia non habet pennas* ſicut avis: ſed potiùs pilos quoſdam. Noti enim ſunt pili Struthionum, qui variis modis colorantur, & geſtantur à Nobilibus & militibus. Neque enim ita proveniunt, ſicut habentur, ſed arte pinguntur, **die Strauſsfedern.**

2. *Quia propter gravitatem* & magnitudinem,
366 ſiquidem viri longiſſimi ſtaturam ſuperat, quoties erigit collum, *non poteſt volare in ſublime*, & ita à terra recedere, vel ſaltem paucis digitis, ſicut tamen aliæ aves faciunt. Magna quidem eſt ipſius celeritas, adeò ut eqvus non poſſit ipſum aſſequi, quia cum inſtat tempus fugæ, non tantùm pedibus ſuæ ſaluti conſulit, verùm etiam alas tanquam carbaſa extendit, ut repleantur vento. Partim igitur currit, partim volare videtur. Sed tamen à terra nunquam attollitur, itaque etiam capitur venationibus, ſicuti cervus.

3. *Quia palpebras habet*, quales tamen nulla habet avis.

4. *Quia*

4. *Quia glaber eſt toto corpore* & ſuperiore etiam parte colli.

5. *Quia pedes ipſius non ſunt diviſi in digitos*, ſicut reliquarum avium, ſed deprehenduntur eſſe biſulci, ſicut ovium & vaccarum.

6. *Quia magnitudo ipſius tanta eſt*, ut rectius diceretur beſtia terreſtris, quàm volucris.

Verum inter aves ideò referimus Struthiocamelum. 1. *Quia Scriptura* hoc expreſsè facit Levit.
11. v. 16. & Deut. 14. v. 15. 2. *Quia* in inferiore
parte ſui corporis habet pennas. 3. *Quia* eſt bi-
pes. 4. *Quia* parit ova. 5. *Quia* volat, ſi non altè, 367
tamen utcunque.

Porrò cum ſit avis, & habeat collum longiſſimum inſtar cameli, idcircò dictus fuit Struthiocamelus. Proprietates ipſius ſunt hæ ſequentes.

1. *Ovis ſuis nunquam incubat*, & hoc videtur eſſe factum ex divina providentia, quia pondere & onere ſui corporis illa comprimeret. Itaque foveam idoneam præparat in deſertis Arabiæ, quæ eſt plena arenis, & in illam projicit ſua ova, areniſque & pulvere tegit, ſicque diſcedit, & nunquam ad ea fovenda ulterius redit. Interim ergò ille, qui creat reliqua omnia, etiam horum ovorum habet curam, & in arenis ea fovet & animat, ut ſuo tempore legitimo excludi poſſint. *Et hoc eſt inſigne exemplum*, quod Deus non tantùm curet propagationem generis humani, verùm etiam ſingularum beſtiarum curam gerat diligentiſſimam. Immò ſi curat Deus ova hujus ſtolidiſſimi animalis, cur non multò magis curaret fœtus hominum, qui ſunt conditi ad imaginem ipſius. Afferuntur autem ova Struthionum ex A-

rabia, Africa & Æthiopia ad nos usque & obducuntur auro, uſurpanturque pro poculis, quia ſunt valdè magna, & habent teſtas duriſſimas.

368 2. *Pulli Struthionum divinitus excluſi miſerabiliter lamentantur*, quod deſtituantur parentibus, unde Micheæ cap. 1. v. 3. ſumitur imago: ſicut etiam Job. cap. 30. v. 29. cum conſtitueretur in maximis anguſtiis, comparat ſeſe pullis Struthionum queritantium, cum inquit, *Frater fui Draconum & ſocius filiorum Struthionis.*

3. *Quando tamen excluſi ſunt, & jam incipiunt aliqùo modo adoleſcere, pater recognoſcit & nutrit quoque ſuos pullos.* Immò ſæpè capitur propter pullos. Venator enim circa nidum ponit peracutas ex ferro cuſpides ſpiculorum more tectas, & poſtea latet. Struthus rediens, & ſitienter cum pullis eſſe cupiens, alis paſſis intra nidum contendit, & ſibi ipſi acerbam parit mortem. Unde venator parentem cum filiis ſimul capit.

4. *Tantæ eſt caliditatis hæc avis, ut ſine omni delectu paſſim, quæcunque poſſit accipere, devoret, & devorata etiam concoquat*, immò, quod addunt aliqui, ut etiam ferrum poſſit digerere, id quod tamen ab aliis rectè refellitur, licet inter ſimilitudines adhiberi nihilominus poſſit, adhibita ea limitatione: quam cap. antecedente de pennis aquilinis monſtravimus.

369 5. *Tanta eſt ipſius magnitudo*, ut quando extollit collum ſuum, emineat ſupra eqvum, & ſupra ipſum equitem impoſitum equo.

6. *Propter magnitudinem & fortitudinem nihil curat eqvum & equitem*, ſed partim fugat, partim ungulis ſuis biſulcis comprehendit lapides, quos projicit

cit in venatores, non ſine detrimento ipſorum, unde eqvus eum metuit.

7. *Vt plurimum amat & inhabitat loca ſolitaria & deſerta*, inde Deus minitans deſolationem regnorum minatur tales futuras terras, in quibus habitent Struthiones, & *Threnor. cap. 4. v. 3.* dicitur: crudeles ut Struthiones in deſerto.

8. *Cum planè* non poteſt effugere, ſed videt ſibi præcluſam eſſe omnem ſpem, *tanta eſt ſtoliditatis*, ut collum ſuum frutici ingerat, & ita exiſtimet, ſe toto corpore latere.

9. *Plurimùm delectatur cadaveribus*, & Levitici 11. cap. prohibetur ipſius eſus, absque dubio propter hanc cauſam, ne homines imitentur mores ipſius.

Eſt enim Struthius viva imago inſipientium.

1. *Sicut* enim hæc avis eſt pulcherrima: *ita* quoque inſipientes & ſtulti plerumque abundant opibus & divitiis.

2. *Sicut* hæc avis non curat ſua ova, ſed tantùm tegit ſub arenam: *ita inſipientes* & divites non curant inſtrui liberos in pietate & artibus liberalibus, ſed ſufficit ipſis, ſi arena tegantur, id eſt, ſi poſt mortem parentum hæreditatem opimam conſeqvantur, unde poſſint feliciter vivere. 370

3. *Sicut hæc eſt* grandis avis: *ita* divites & inſipientes valent auctoritate præ reliquis omnibus.

4. *Sicut* hæc avis odit eqvum, & projicit lapides in venatores: *ita* quoque divites & inſipientes oderunt Miniſtros verbi, qui in Propheta comparantur equis.

5. *Sicut* hæc avis devorat omnia ſine delectu: *ita*

 inſipien-

inſipientes & divites omnia faciunt promiſcuè ſine judicio, multa ad ſe rapiunt per fas & nefas.

6. *Et ſicut hoc* animal potius videtur terreſtre quàm volatile: *ita* quoque divites ita ſe gerunt, ut potius ad hanc, quam ad alteram vitam adſpirent.

7. *Sicut* enim hæc avis à terra non attollitur: *ita* ipſi abjecti ſunt ſicut pecora ad paſtum.

8. *Et ſicut pennæ* Struthionum variis coloribus pinguntur: *ita* iſti delicatè vivunt, in omnis gene-
371 ris voluptatibus helluantur, ſcortantur, uſuras exercent, &c.

9. *Sicut autem Struthio* occultans collum putat ſe toto corpore latere: *ita* quoque iſti divites & inſipientes, ſi quid noctu & clam faciant, putant illud etiam à Deo ignorari. *Vel ſicut Struthio* occultans collum, putat ſe non poſſe videri: *ita* inſipientes, ſi unam habeant virtutem, putant illam tanti eſſe momenti, ut reliqua vitia omnia præponderet & extinguat. Et ſic infantes, item ſtulti manibus tegunt faciem, putantque ſe totos latere.

10. *Sicut ex ovis Struthionum* fiunt pocula, quæ obducuntur auro: *ita* tales divites curant ſibi extrui poſt mortem egregia & aurea monumenta, ac ſi illis ipſis omnem totius vitæ maculam poſſent eluere.

Aliqui hoc animal valdè ambiguum comparant cum neutralibus, qui duobus dominis inſerviunt, & ſunt quaſi Mars, qui nunc in hanc nunc in aliam partem ſeſe inclinat, unde pulcherrimè apud Homerum nominatur ἀλλοπρόσαλλος. Hebræi hanc avem etiam vocant Jaënach ab ululando, Septuaginta verterunt Sirenem Job. 30. v. 29. quia præſertim in ſolitudi-

litudine vagantibus & ululantibus plus ululant de- 372
ſerti pulli, unde Mich. 1. v. 3. Faciam planctum ſicut Draconis, & luctum ſicut filiæ Struthionis, ſed de hac ave ſatis.

Caput III.
DE PHOENICE.

P*Hœnix tanquam maximum quoddam avium miraculum proponitur*, & ſcribitur naſci in Arabiâ, ab aliis alibi, absque omni coitu ex propriis cineribus, vivere 660. annos, ſecundum alios longe diutius, diciturque tantum una eſſe in toto orbe hæc avis, rarò conſpici, habere magnitudinem aquilæ, fulgorem auri circa collum, in cauda roſeas pennas, in facie criſtam, in capite apicem. Duo autem inſignia ſunt, quæ commemorantur de hac ave.

1. *Quod in toto orbe ſit unica ſaltem, rariſſimeq; conſpiciatur.* Unde Proverbium natum eſt: *Rarior Phœnice, de viro inſigni, cujus maxima ſolet eſſe raritas.* Ita ſuo tempore Philippum Melanchthonem nominabant Phœnicem Germaniæ, deque eo verſum uſurpabant:

Nulla ferent talem ſecla futura virum.

Etſi verò, ut hoc obiter admiſceamus, rarò Deus ta- 373
les excitat heroes, tamen pro potentia ſua nunquam imminuta poſthac virum & viros Melanchthone duplo & triplo ſapientiores poſſet producere.

2. *Quod dicitur naſci extra conſuetudinem* communem reliquarum avium. Nam putatur præſentire

tire finem vitæ ſuæ, ideoque conſtruere nidulum ex calidiſſimis aromatibus, ex caſia, ex ſurculis thuris, & ex ſimilibus, quæ facilimè poſſint inflam̃ari. Conſcendens igitur nidum, expectat donec ille exardeſcat, unde inflammata, tandem emoritur. Hinc Bodinus & Turnebus exagitant illos, qui dicunt ſe comediſſe inteſtina Phœnicis. Poſtquam autem combuſta eſt, ex cineribus ipſius dicitur primò fieri ceu vermiculus quidam, ſed mox ex vermiculo ſcribunt naſci ovum pullum, de quo etiam Ovidius loquitur:

Una eſt quæ reparet, ſeque ipſa reſeminet ales,
Aſſyrii Phœnica vocant.

Porrò hunc novum pullum dicunt priori inſtituere parentationem, & nidum combuſtum referre in celeberrimam urbem Heliopolin propè Panchaiam, alii aliam nominant, ubi nidum reponat in aram. Modus quo utitur pullus in deferendo nido, ita de-
374 ſcribitur, *quod* 1. *ex Myrrha* componat ovum, quantum ipſe ferre poſſit.

2. *Quod* experiatur, utrum poſſit illud ferre.

3. *Quod* ovum evacuet, & cineres parentis infundat.

4. *Quod* foramen alia myrrha compleat.

5. *Quod* tantum onus deportet in templum Solis.

Ex his, quæ commemorata ſunt, ſingulis ſeculis *pii Patres ſumſerunt imagines in explicandis articulis fidei noſtræ, & confirmandis illis contra incredulos Ethnicos.* Nam Cyprianus in explicatione Symboli, cum gentes non crederent, Filium natum eſſe ex Patre ineffabili modo, exempli loco qualemcunque ſimi-

ſimilitudinem adducit ſumptam à Phœnicis mirabili nativitate. *Alii eandem ad carnem Chriſti applicant*, quæ nata eſt ſine uſitato naturæ ordine & citra virile ſemen, cœleſti virtute intra aromatica ligna, hoc eſt, intra uterum virginis ex ſacro cinere ſeu ſangvine Mariæ per Spiritum ſanctum ſanctificato, qui tandem poſt vitæ curſum impletum membra ſua dat aromatibus, hoc eſt, cruci, unde vermis factus moritur & mox regeneratur.

1. *Sicut igitur Phœnix* præſentit mortem: *ita Chriſtus* ſuam prædixit mortem. 375

2. *Et ſicut Phœnix* ſibi conſtruit nidum, in quo emoriatur: *ita Chriſtus* non prohibuit mortem à ſeſe, ſed ſponte poſuit animam ſuam.

3. *Sicut item Phœnix* ex ſuis cineribus reviviſcit: *ita Chriſtus* ex mortuis reſurrexit propriâ poteſtate.

4. *Sicut item junior Phœnix* cineres, ex quibus natus eſt, portat in templum Solis: *ita Chriſtus* Patri exhibet ſua vulnera, & ita pro nobis intercedit.

Poſſent hæc omnia *ad martyres, pro verbo Dei trucidatos pulchrè adaptari*, qui reſeminabuntur in altera vita. Poſſent etiam dici de iis, qui ex injurioſis carceribus, calumniis, curis, malis eluctati incipiunt refloreſcere. Alii item *hanc avem conſtituunt typum reſurrectionis mortuorum*, pro qua pii Patres maxima ſuſtinuerunt certamina, & plurimos conflictus habuerunt cum Ethnicis, qui imprimis hunc articulum nolebant credere, ſicut ille præfectus in Actis Apoſtolorum cap. 25. v. 24. audiens ex Paulo, reſurgere debere mortuos, reſpondebat per ludibrium, Paulum nimiis ſtudiis factum eſſe fatuum.

1. *Sicut* igitur hæc avis ſibimetipſi præparat ni- 376
dulum

dulum mortis: *ita Chriſtiani* ſemper debent eſſe parati, ut evocentur ex hac vita, ſibi maturè præparent loculos, Sed *ſicut* hæc avis ex propriis cineribus reviviſcit: *ita* Chriſtiani ex pulveribus reſtaurabuntur.

2. *Sicut Phœnix* non poteſt reſtaurari, niſi prius comburatur: *ita* quoque niſi moriantur corpora noſtra, non poſſunt reſurgere, ſicut granum non creſcit in culmum, niſi prius computreſcat.

3. *Et ſicut Phœnix* ignorat coitus corporum, & illecebras libidinum, & de ſuo ſurgit rogo: *ita* tantùm illi ſunt in perpetuum victuri, qui contemnunt illecebrás mundi.

4. *Sicut denique unus Phœnix* longiſſimè vivit, *ita Chriſtiani* in perpetuum vivent.

Nam cum vitâ Phœnicis dicunt fieri converſionem Anni Magni conſtantis aliquot millenariis annorum, & cum novo Phœnice reverti eaſdem ſignificationes tempeſtatum & ſiderum, tamdiuq; durare, donec rurſus novus exoriatur Phœnix.

Et *ſicut* toto orbe unus eſt Phœnix, cum aliæ aves ſint plurimæ: *ita* ſemper vix quarta pars agri dominici bonum recipit ſemen, & bonos fert fructus.

377 Et hæc eſt explicatio hujus avis, ſicut veteres illâ utebantur contra gentiles.

Maximè verò hodiè diſputatur inter Doctos, utrum ſit talis avis in rerum natura. Herodotus illa quæ audivit ipſe ex Heliopolitanis de Phœnice, dicit ſibi non videri veriſimilia. Item ſe nunquam Phœnicem vidiſſe niſi in pictura, ubi pictæ eſſent pennæ, colore partim rubido, partim alio, &c. *Plinius lib. 10. cap. 2.* ita commemorat de Phœnice: *Allatus eſt in*

urbem

urbem Claudii Principis cenſura, anno urbis 800. & in comitio propoſitus, quod actis teſtatum eſt, ſed quem falſum eſſe, nemo dubitaret. Hæc Plinius. Unde patet, aliam avem, quæ in Ægyptum devolaverat, habitam fuiſſe pro Phœnice, cum tamen non fuiſſet verus Phœnix. Et apud Ariſtotelem, alioſque probatiſſimos Auctores etiam nomen hujus avis non extat, quod pro fabuloſâ eam haberent, ſicut *Cardanus lib. 10.* expreſsè docet. Et *Julius Cæſar Scaliger exercitatione 233.* reſpondens Cardano, inquit, *Phœnicem non videri omnino fabuloſum, idque eſſe cognitum ex navigationibus Indicis, & in India vocari Semendam, ſed mox addit, illam hiſtoriam valdè elevari per illam deſcriptionem, quod referunt Phœnicem habere roſtrum triplici ordine, id eſt, roſtrum tri-* 378
fiſtulare, per quod cum ſpirat, edere poſſit ſonos muſicos, & hinc inventum eſſe inſtrumentum, quo paſtores ſolent uti, quod vocant utriculum. Contra verò apud Patres Eccleſiaſticos & celeberrima & creberrima eſt mentio hujus avis, de qua Lactantius ſcripſit peculiare carmen, fecitque ejuſdem mentionem Nazianzenus in ſuis carminibus. Extat item memoria lib. 5. Conſtitutionum Apoſt. cap. 8. apud Ambroſium ſuper Pſ. 118. item in oratione de fide Reſurrectionis dicit, ſe cognoviſſe illam avem ex crebra revelatione, & ex auctoritate Scripturarũ. Poſteaque repetit ejusdem mentionem lib. 5. Hexaêmeri cap. 23. Sicut & Tertul. de reſurr. Quæ cum ita ſint, Studioſi in declamationibus & aliàs iſtas ſimilitudines, quæ apud patres extant, benè poſſunt imitari. Sed tamen, cum neque ſit in orbe terrarum talis avis, quæ comburatur ipſa, cum Deus benedixerit avium generi

generi & velit aves ex avibus proſeminari, cum quo
verbo Dei Gen. 1. manifeſtè pugnat fabula Phœni-
cis (Lyra ſuper Levit. 11. hiſtoriam fictam illam tan-
quam veram recitat) debent hoc facere moderatis
verbis, qualia ſunt, referunt de Phœnice, ſcribunt eſ-
379 ſe avem, &c. ne affirmativè & planè talem eſſe ſtatu-
ant. Pugnat etiam hæc fabula cum hiſtoria diluvii:
ubi ſemper bina individua includuntur, quomodo
igitur Phœnix ſemper in toto orbe erit una avis. A-
liæ item aves nidum conſtituunt pro pullis educan-
dis, hæc pro morte ſua: aliæ aves gaudent Sole, hæc
enecatur à Sole: Sed ſatis de hac fabuloſa ave.

CAPUT IV.

DE PELECANO.

PElecani nomen extat in veteri verſione Biblio-
rum Pſ. 102. v. 7. *Similis factus ſum Pelecano
ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in tecto.*
Ubi tamen alii vertunt onocratulus. Extat item
mentio Levit. 11. v. 18. & Deut. 14. v. 17. & tamen
Hebræi dicunt, ſe neſcire, quænam ſit illa avis. Exi-
ſtimant eruditi, non eſſe aliam, niſi quam *Plinius lib.
10. cap. 40. ex Ariſtotele. lib. 8. de Hiſt. Animalium
cap. 12.* vocat Plateam, quaſi diceret latam. Exiſti-
mant etiam hanc Plateam dici Pelecanum à Πελεκάω,
quod eſt rodere, quod ſoleat roſtro percutere & rode-
re arbores. *Eſt igitur hæc avis potiſſimum Ægyptia,*
gaudens ſolitudinibus, præcipuè juxta Nilum fluviũ,
380 ſimilis *Cygno* quoad magnitudinẽ corporis. Alas ha-
bet

bet valdè magnas, ſed *corpus* admodum *macilentum.* Ideò autem ſemper manet macilentus Pelecanus, quia habet valdè lubrica inteſtina, in quibus alimentum non poteſt retinere, ſed illud ſine coctione citò transmittit & ejicit. *Suntque duo genera Pelecanorum,* unum quod gaudet aquis & ſtagnis, & hoc veſcitur piſcibus, de quo Ariſtoteles in loco jam allegato: alterum verò amat loca ſolitaria terreſtria, & hoc veſcitur venenoſis ſerpentibus, lacertis & aliis cibis ſimilibus. Cumque utrumque genus amet ſolitudines, idcircò David. Pſal. 102. v. 7. *comparat ſeſe Pelecano, eo tempore, cum maximè angeretur.*

Significare voluit, ſe in tantis conſtitutum eſſe anguſtiis, ut quærat loca ſolitaria & ſecreta, quæ ſunt grata & jucunda contriſtatis & mœſtis hominibus, & fugiat commercia hominum. Illud tamen genus, quod juxta aquas vivit, non dicitur adeò vehementer abhorrere à conſuetudine reliquarum avium, ſed ex aliis locis advolat ad aves, quæ ſolent ſeſe ſubmergere in mare, ut capiant piſces. Harum enim avium capita ſingulari quadam aſtutia mordet, & ita mordicus detinet neque dimittit, niſi prædam, quam cœperunt, ipſis extorqueat. *Quæ eſt genuina imago Chriſti,* qui advolavit ad portas inferni, ubi homines immerguntur in æternam perniciem, & morſu corripuit diabolos & mortem, atque ipſis extorſit prædam. Valdè autem pulchrum eſt, *quod Pelecanus non detinet* aves apprehenſis caudis vel pedibus, quia ſic poſſent elabi, ſed firmiter apprehendit caput, ita ut non poſſint ſine periculo aufugere. 381

Nam eodem modo Chriſtus conterere debuit non caudam vel ventrem ſerpentis, ſed ipſum caput, quod

eſt

eſt æterna mors & diaboli poteſtas. Hanc ſuſtulit è medio & nos ex illorum poteſtate eripuit. De cujus capitis contritione infrà plura de ſerpentibus.

Præterea *hoc ſecundum genus Pelecanorum ſolet devorare conchas marinas*, & illas magno calore ventris ſui coquere, coctasque rurſus evomere, & denique ex apertis conchis optima eſculenta eligere, & teſtas relinquere. *Hæc etiam pulcherrimè conveniunt cum noſtro Salvatore.* Ipſe enim implevit ſeſe conchis, hoc eſt, ſubiit mortem, ipſamque ſua virtute divina confecit, & rurſus evomuit, & abjectis teſtis, id eſt, proſtratis viribus mortis elegit eſculenta, id eſt, liberavit homines, quos captivos mors detinebat.

382 Deinde Pelecanus terreſtris Levit. 11. v. 18. videtur nominari Porphyrio, & commemoratur inter aves immundas, abſque dubio propter hanc cauſam, quod promiſcuè intra ſua viſcera quemvis etiam venenatum recipit cibum. Significatum igitur eſt, illos eſſe immundos, qui quidlibet pro quolibet arripiunt in negotio religionnm. Omnia tamen ſuo pede, quo pro manu quâdam utitur, ſicut & Pſittacus, aquæ applicare ſolet, antequam edat. Legatur etiam *Ariſtoteles lib. 9. de Hiſt. Animalium cap. 10.* Et hæc eſt hiſtoria de Pelecano, quem alias vocant Plateam.

Alia ſunt apud pios Patres, ut apud Auguſtinum, apud Gregorium, & ſimiles, quæ plus delectationis, quàm certitudinis habent. *Scribunt enim naturalem eſſe ἀντιπάθειαν inter ſerpentem & inter Pelecanum.* Quando igitur Pelecanus evolat, ut pullis ſuis quærat alimenta, interim ſerpens per arborem irrepit in nidum ipſius, & ſuo halitu venenoſo atque morſu noxio

noxio interficit pullos. Mater reverſa domum, dicitur per triduum lugere pullos, ſed poſtea confodere proprium pectus ſuo roſtro, & ſangvine proprio conſpergere pullos, eosque hac ratione vivificare.

Alii verò inquiunt, pullos Pelicani ſemimortuos edi in lucem & exanimes. Sicut igitur catulos leo- 383
num referunt excitari rugitu patris, ita putant hos pullos exanimes vivificari ſangvine materno. Porrò mater adeò dicitur debilitari effuſione ſanguinis, ut fermè emoriatur, unde pulli coguntur evolare, & ſibimetipſis quærere victum. Ex his autem aliqui commoti στοργαῖς revertuntur, & afferunt cibum matri; quidam verò tanquam degeneres negligunt piam matrem, quapropter ipſa quoque convaleſcens gratos ſolet refovere, ſed ingratos à ſe repellere & odiſſe. Etſi autem hæc ita ſeſe habere non putantur, immò prorſus fabuloſa ſunt, tamen nihil obſtat, quò minus ſtudioſi ex illis ſimilitudine utantur. Diabolus enim tanquam ſerpens vehementer odit Chriſtum, tanquam Pelecanum. Et cum non poſſit ſuam poteſtatem convertere in ipſum Chriſtum, aggreditur pullos ipſius, Adamum & Evam, & reliquos omnes, quos ſuis noxiis venenis in æternum ſeducit. Et æterna morte periiſſent omnes homines, niſi Chriſtus proprio ſangvine nos redemiſſet. *Sed* ſicut diverſi ſunt pulli Pelecanorum: *ita* quoque inter homines aliqui gratâ mente accipiunt & ſibi applicant beneficia Filii Dei, alii verò vulnera ipſius contemnunt, ſicut fiebat in ipſa paſſione, unde rurſus ipſe 384
Chriſtus aliis vitam æternam diſtribuit, aliis æternum exitium deſtinavit. De his legant Studioſi Auguſtin. ſuper 102. Pſal. Gregor. ſuper 5. Pſal. pœniten-

tialem; item in Epiſt. ad Præſidium, excepto Theodoreto, Arnobio, Cajetano, Caſſiodoro & reliquis. *Iterum autem monemus Studioſos, ut quando hinc ſimilitudines petere libet, tum utantur his adjectionibus; Quemadmodum Veteres retulerunt: Sicut Patres ſcripſerunt; nimirum, ne alios in his fabulis confirment.*

CAPUT V.

DE PAVONE.

HÆc avis ſicut eſt pennoſiſſima & pulcherrima, utpote cui Deus palmam dedit inter aves, ita tamen corpore eſt tenuiore & volatu non valet, & quinque inſignia habere ſcribitur vitia: 1. *Quod eſt callida.* 2. *Ambitioſa.* 3. *Invida.* 4. *Malevola.* 5. *Libidinoſa.*

Et 1. *quidem optimè intelligit*, ſibi datas eſſe pulcherrimas pennas, quas etiam ſæpè, numerò explicat & expandit, tanquam ſpeculum vel rotam.

2. Propter hanc egregiam formam *tanta eſt am-*
385 *bitionis*, ut quando jam explicavit pennas, etiam ſuperbum, regium, majeſtaticum adjungat inceſſum. Soli igitur adverſo expandere ſolet pennarum ſuarum gemmeos colores, idque potiſſimum duob⁹ modis. 1. *Quando incedit in pratis pulchris*, vel quando videt accedentem fœminam pulchrè ornatam. Tunc enim colore florum in pratis, & ſplendidis veſtibus fœminæ commovetur, ut & ſuam pulchritudinem ſpectandam exhibeat. 2. *Quoties laudatur*, & coram

rum pictore, cum depingitur, quem facile patitur ſa-
tiari ſpectando, & caudam ſuſtinet ad laſſitudinem
usque. Sentit igitur laudis iſtius de ſuis pennis
præconium, unde *Ovid.*

Laudatas oſtendit avis Junonia pennas,
Si tacitus ſpectes ipſa recondit opes.

Hinc natum eſt proverbium de illis, qui propter lau-
des ſuas vehementer ſuperbiunt: *Laudata Pavone*
ſuperbior & acrior. (*Solet tamen idem facere cum*
urgetur ab æſtu Solis. Tunc enim iterum ſolet ex-
pandere ſua ornamenta pennarum, & ita ſibimetipſi
facere umbram & tegumentum contra ferventes ra-
dios Solis.) Huc pertinet, *quod Pavo etiam explicat*
ſuas pennas, cum videt gemmeas picturas & ſimilia
incitamenta. In pennis enim Pavonis ſimile quid
præſtantiſſimis picturis, gemmis, & ſtellis elucet; &
cauda ejus eſt, ut pratum conditum pulcherrimis flo- 386
ribus. Hoc autem ex Phyſicis conſtat, plures cerni
colores, quàm revera inſunt. Cujus rei cauſa eſt,
quod duo colores varii inter ſe commixti, gignunt
tertium in oculo videntis. Nam radius Solis mix-
tus cum coloribus Pavonis, & cum umbris penna-
rum, ex reflexione multos alios producit in aërem,
& in oculum videntis.

3. *Quando luxuriat in venerem,* ut tunc ſponſæ magis placeat. Nota, quando criſtæ enaſcuntur Pavonibus, tum patiuntur langvores, ut infantes dentientes.

4. *Invidia in ipſo etiam magna deprehenditur,* dum ſtercus ſuum, quod plurimùm prodeſt in medicina, ſtatim reſorbet, unde rariſſimè invenitur. Etſi enim aliàs hominem amat, & ei cum quadam reve-

rentia, & pudore cedit in via, imò etiam auxilium ipſi affert, quando videt eſſe læſum ab aliis beſtiis, tamen hoc beneficium invidet homini. Aliis tamen hæc videtur eſſe fabula, nec immeritò, potius dicendum eſt, quòd ea abſcondat munditiei cauſſa, ut felis.

5. *Malevolus ideò eſt*, quia non diligit ſuum fœtum, imò ſolet quærere ova, & cum invenit, perdit.

387 6. *Illud autem facit propter libidinem, ut plus poſſit luxuriare.* Hoc autem, cùm optimè noverit fœmina, abſcondit ova, vel noctu parit, & in locis excelſis. Viſis enim ovis mas incubaret, & ſuo incubatu frangeret. Alii dicunt, Pavonem & Pavam contendere de incubatu, quod pater tàm ſit cupidus fœtus atque mater, & patrem gravitate ſua ovis nocere. Et hoc eſt longè veriſimilius. His vitiis & illud annumeretur, quod ſæpenumerò terrere conatur hominem accedentem, dum ſcilicet alis crepitat, & ſic metu inani ſpectatorem perturbat. Veteres dixerunt, Pavonem habere tria propria: *Vocem Dæmonis, caput ſerpentis, & paſſum latronis.* Habet enim vocem admodum terribilem, quæ ſæpè totam viciniam poteſt inquietare.

Optimus tamen eſt cuſtos ædium, & ſine mora atque intermiſſione prodit furem & indicat ignem excitatum domino & domeſticis. Noctu ſemper clamat, id quod dicunt fieri, quòd putet ſe amiſiſſe pennas; alii quod præſagiat tempeſtates: rectius ſentiunt illi, qui dicunt, ex Phyſica conſtitutione Pavonis calidiore hoc dependere, quæ quieſcere nunquam patitur. Deinde *caput ipſius eſt quidem criſtatum, ſed tamen valdè infirmum*, deforme & inſtar ſerpentis.
388 Denique *inceſſum habet valdè clandeſtinum inſtar latro-*

latronis. Pennas ſuas ſolet cum foliis arborum deponere, & tunc cum mœſtitia quadam latet, ſed easdem recipit primo Vere cum foliis arborum. Etſi verò inimitabilis eſt pulchritudo Pavonis, qua patitur ſatiari ſpectatorem, in illo Vere & cœlo cœlorum, præſertim quando in prato incedit, tamen quando pedes ſubitò inſpicit, ſtatim remittit animum, & circulum pennarum. *Id quod ſapiens vetuſtas juſſit conſiderare ſuperbos. Etſi* enim interdum habet homo, propter quod exultet, *tamen* ſi inſpexerit ſuam originem, & vitæ ſuæ conditiones mortales, ſtatim remittet aliquid de altis ſpiritibus. Alii tamen, ut & Scaliger, hæc merè fabuloſa tradunt, quia nec pedes Pavonis per ſe ſunt indecori, niſi cum cauda collati. *Carnem habet adeò calidam & firmam*, ut non niſi difficillimè concoquatur, & vix aut tardiſſimè computreſcat. Pullis tamen pavonum urtica, cum tangunt, eſt lethalis. *Alias mutuus eſt amor inter columbas & pavones*. Indicus pavo, qui hodie incipit eſſe frequentiſſimus, non tàm eſt pulcher, quàm eſt noſter pavo, & valdè iracundus, abundans bile, & habet pellem circa caput, cujus colorem pro voluntate ſua poteſt mutare. Olim in Græcia nulli fuerunt pavones. Et Alexander Magnus, cum primum vi- 389
deret eum in Indiâ, vehementer admiratus eſt, & prohibuit, ne quis eam avem occideret. Et tandem cum in Græciam inferretur, magno cum quæſtu tantùm magnatibus fuit monſtratus, & non niſi tardè exhibitus promiſcuæ multitudini.

Hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus avis, *quæ eſt genuina imago divitum, item illorum, qui à natura ornati ſunt corporis aliqua pulchritudine*.

1. *Sicut* igitur hæc avis eſt avidiſſima laudum: *ita* quoque φίλαυ]οι, Thraſones, divites & pulchri, & imprimis fœminæ magno cum conatu ſectantur judicia & præconia formæ & divitiarum.

2. *Et ſicut* Pavo interdum ſponte incipit rotare caudam: *ita tales* homines interdum ſponte in ſuas laudes prorumpunt.

Sicut item Pavo ſuum ſtercus invidere hominibus dicitur: *ita tales* homines ſuas opes & divitias, & corporis formam, quæ re ipſa ſunt ſtercora, non benè collocant ad publicam utilitatem, ſed ſibimet ſolis reſervant.

3. *Sicut* item Pavo propter libidinem dicitur non diligere fœtum, ſed & ova frangere: *ita tales* ho-
390 mines non ſunt ſolliciti de poſteritate, modò ex animi ſui ſententiâ jucundam tranſigere poſſint vitam.

4. *Et ſicut* Pavo vocem habet terribilem: *ita quoque ipſi*, cum loqvuntur, nihil niſi inepta proferunt, & ſtultitiam latentem produnt, & reliquis convivis ſunt moleſti, quia nihil aliud didicerunt, niſi de agris, fimis & lignis loqui.

5. *Et ſicut* Pavo caput habet infirmum: *ita* in ipſis nulla eſt prudentia.

6. *Et ut* Pavo habet paſſum latronis: *ita quoque* ipſi per fas & nefas cumulant divitias.

7. *Sed ſicut* Pavo habet carnes difficillimæ concoctionis: *ita* ipſi avari ſimul difficillimè doceri poſſunt de virtute, nec quæ habent, aliis libenter communicant.

8. *Et ut* Pavo ſub hyemem deponit pennas, tuncque latet, & contriſtatur: *ita* ſæpenumerò tales amittunt ornamenta fortunæ, & illas miſerias ægerrimè

poſſunt

poſſunt ferre, tuncque latent nec amplius jactitant, non crepitant alis, non terrent alios inani metu, quia pennæ ſunt evulſæ, & anima nullis eſt inſtructa dotibus & ejusmodi bonis, quæ etiam ex naufragio cum aliquo poſſint enatare, ſicut ille dicebat, ſe omnia ſua ſecum portare.

9. *Sicut enim* pullis Pavonum urtica eſt lethalis: *ita* talibus hominibus vel mediocris aliqua ærumna 391
perpetuum infert exituum. *Deinde poteſt eſſe Pavò imago Dæmonis*, qui habet adſpectum bonum, dum ſubjicit pulchras cupiditates, mox verò inſtar latronis necat. Eadem *ratione accommodaretur hîc icon ad hæreticos, ſycophantas & calumniatores*, qui & ipſi ut Pavones, veſtitu ſunt angeli, voce diaboli, inceſſu latrones. *Denique docti non debent æmulari Pavonem*, qui oſtentat ſuam caudam, cum habet admiratores: abſcondit, cum nullos habet applauſores, ſed communicent ipſi doctrinam liberaliter & fideliter, ſive applauſum mereantur, ſive non mereantur. Præſertim concionatores imitentur id, quod Chriſoſtomus de Lazaro concione prima ſcribit: *Aquarum venæ, etiam ſi nullus veniat aquatum, manant tamen, & fontes quamvis hauriat nemo, tamen ſcatebras emittunt, & amnes, etiamſi nemo bibat, nihilo ſecius fluunt: Sic oportet & illum, qui concionatur, quamvis nullus auſcultet, tamen præſtare, quidquid in ipſo ſitum eſt. Qui hodie quod audivit, repulit, cras fortaſſis audiet ac recipiet: tum qui hodierno craſtinoque die contemſit, fortaſſis poſt dies complures præbebit animum iis, quæ dicentur.* Hæc ille.

generi & velit aves ex avibus proſeminari, cum quo
verbo Dei Gen. 1. manifeſtè pugnat fabula Phœni-
cis (Lyra ſuper Levit. 11. hiſtoriam fictam illam tan-
quam veram recitat) debent hoc facere moderatis
verbis, qualia ſunt, referunt de Phœnice, ſcribunt eſ-
379 ſe avem, &c. ne affirmativè & planè talem eſſe ſtatu-
ant. Pugnat etiam hæc fabula cum hiſtoria diluvii:
ubi ſemper bina individua includuntur, quomodo
igitur Phœnix ſemper in toto orbe erit una avis. A-
liæ item aves nidum conſtituunt pro pullis educan-
dis, hæc pro morte ſua: aliæ aves gaudent Sole, hæc
enecatur à Sole: Sed ſatis de hac fabuloſa ave.

Caput IV.

DE PELECANO.

PElecani nomen extat in veteri verſione Biblio-
rum Pſ. 102. v. 7. *Similis factus ſum Pelecano
ſolitudinis, factus ſum ſicut nycticorax in tecto.*
Ubi tamen alii vertunt onocratulus. Extat item
mentio Levit. 11. v. 18. & Deut. 14. v. 17. & tamen
Hebræi dicunt, ſe neſcire, quænam ſit illa avis. Exi-
ſtimant eruditi, non eſſe aliam, niſi quam *Plinius lib.
10. cap. 40. ex Ariſtotele. lib. 8. de Hiſt. Animalium
cap. 12.* vocat Plateam, quaſi diceret latam. Exiſti-
mant etiam hanc Plateam dici Pelecanum à Πελεκάω,
quod eſt rodere, quod ſoleat roſtro percutere & rode-
re arbores. *Eſt igitur hæc avis potiſſimum Ægyptia,*
gaudens ſolitudinibus, præcipuè juxta Nilum fluviũ,
380 ſimilis *Cygno* quoad magnitudinẽ corporis. Alas ha-
bet

bet valdè magnas, ſed *corpus* admodum *macilentum.* Ideò autem ſemper manet macilentus Pelecanus, quia habet valdè lubrica inteſtina, in quibus alimentum non poteſt retinere, ſed illud ſine coctione citò transmittit & ejicit. *Suntque duo genera Pelecanorum,* unum quod gaudet aquis & ſtagnis, & hoc veſcitur piſcibus, de quo Ariſtoteles in loco jam allegato: alterum verò amat loca ſolitaria terreſtria, & hoc veſcitur venenoſis ſerpentibus, lacertis & aliis cibis ſimilibus. Cumque utrumque genus amet ſolitudines, idcircò David Pſal. 102. v. 7. *comparat ſeſe Pelecano, eo tempore, cum maximè angeretur.*

Significare voluit, ſe in tantis conſtitutum eſſe anguſtiis, ut quærat loca ſolitaria & ſecreta, quæ ſunt grata & jucunda contriſtatis & mœſtis hominibus, & fugiat commercia hominum. Illud tamen genus, quod juxta aquas vivit, non dicitur adeò vehementer abhorrere à conſuetudine reliquarum avium, ſed ex aliis locis advolat ad aves, quæ ſolent ſeſe ſubmergere in mare, ut capiant piſces. Harum enim avium capita ſingulari quadam aſtutia mordet, & ita mordicus detinet neque dimittit, niſi prædam, quam cœperunt, ipſis extorqueat. *Quæ eſt genuina ima-* 381
go Chriſti, qui advolavit ad portas inferni, ubi homines immerguntur in æternam perniciem, & morſu corripuit diabolos & mortem, atque ipſis extorſit prædam. Valdè autem pulchrum eſt, *quod Pelecanus non detinet* aves apprehenſis caudis vel pedibus, quia ſic poſſent elabi, ſed firmiter apprehendit caput, ita ut non poſſint ſine periculo aufugere.

Nam eodem modo Chriſtus conterere debuit non caudam vel ventrem ſerpentis, ſed ipſum caput, quod

eſt

eſt æterna mors & diaboli poteſtas. Hanc ſuſtulit è medio & nos ex illorum poteſtate eripuit. De cujus capitis contritione infrà plura de ſerpentibus.

Præterea *hoc ſecundum genus Pelecanorum ſolet devorare conchas marinas*, & illas magno calore ventris ſui coquere, coctasque rurſus evomere, & denique ex apertis conchis optima eſculenta eligere, & teſtas relinquere. *Hæc etiam pulcherrimè conveniunt cum noſtro Salvatore.* Ipſe enim implevit ſeſe conchis, hoc eſt, ſubiit mortem, ipſamque ſua virtute divina confecit, & rurſus evomuit, & abjectis teſtis, id eſt, proſtratis viribus mortis elegit eſculenta, id eſt, liberavit homines, quos captivos mors detinebat.

382 Deinde Pelecanus terreſtris Levit. 11. v. 18. videtur nominari Porphyrio, & commemoratur inter aves immundas, abſque dubio propter hanc cauſam, quod promiſcuè intra ſua viſcera quemvis etiam venenatum recipit cibum. Significatum igitur eſt, illos eſſe immundos, qui quidlibet pro quolibet arripiunt in negotio religionnm. Omnia tamen ſuo pede, quo pro manu quâdam utitur, ſicut & Pſittacus, aquæ applicare ſolet, antequam edat. Legatur etiam *Ariſtoteles lib. 9. de Hiſt. Animalium cap. 10.* Et hæc eſt hiſtoria de Pelecano, quem alias vocant Plateam.

Alia ſunt apud pios Patres, ut apud Auguſtinum, apud Gregorium, & ſimiles, quæ plus delectationis, quàm certitudinis habent. *Scribunt enim naturalem eſſe ἀντιπάθειαν inter ſerpentem & inter Pelecanum.* Quando igitur Pelecanus evolat, ut pullis ſuis quærat alimenta, interim ſerpens per arborem irrepit in nidum ipſius, & ſuo halitu venenoſo atque morſu noxio

noxio interficit pullos. Mater reverſa domum, di-
citur per triduum lugere pullos, ſed poſtea confode-
re proprium pectus ſuo roſtro, & ſangvine proprio
conſpergere pullos, eosque hac ratione vivificare.

Alii verò inquiunt, pullos Pelicani ſemimortuos
edi in lucem & exanimes. Sicut igitur catulos leo- 383
num referunt excitari rugitu patris, ita putant hos
pullos exanimes vivificari ſangvine materno. Por-
rò mater adeò dicitur debilitari effuſione ſanguinis,
ut fermè emoriatur, unde pulli coguntur evolare, &
ſibimetipſis quærere victum. Ex his autem aliqui
commoti στόργαις revertuntur, & afferunt cibum ma-
tri; quidam verò tanquam degeneres negligunt
piam matrem, quapropter ipſa quoque convaleſcens
gratos ſolet refovere, ſed ingratos à ſe repellere & o-
diſſe. Etſi autem hæc ita ſeſe habere non putantur,
immò prorſus fabuloſa ſunt, tamen nihil obſtat, quò
minus ſtudioſi ex illis ſimilitudine utantur. Dia-
bolus enim tanquam ſerpens vehementer odit Chri-
ſtum, tanquam Pelecanum. Et cum non poſſit ſuam
poteſtatem convertere in ipſum Chriſtum, aggredi-
tur pullos ipſius, Adamum & Evam, & reliquos o-
mnes, quos ſuis noxiis venenis in æternum ſeducit.
Et æterna morte periiſſent omnes homines, niſi Chri-
ſtus proprio ſangvine nos redemiſſet. *Sed* ſicut di-
verſi ſunt pulli Pelecanorum: *ita* quoque inter ho-
mines aliqui grata mente accipiunt & ſibi applicant
beneficia Filii Dei, alii verò vulnera ipſius conte-
mnunt, ſicut fiebat in ipſa paſſione, unde rurſus ipſe 384
Chriſtus aliis vitam æternam diſtribuit, aliis æternum
exitium deſtinavit. De his legant Studioſi Augu-
ſtin. ſuper 102. Pſal. Gregor. ſuper 5. Pſal. pœniten-

tialem ; item in Epiſt. ad Præſidium, excepto Theodoreto, Arnobio, Cajetano, Caſſiodoro & reliquis. *Iterum autem monemus Studioſos, ut quando hinc ſimilitudines petere libet, tum utantur his adjectionibus ; Quemadmodum Veteres retulerunt : Sicut Patres ſcripſerunt ;* nimirum, *ne alios in his fabulis confirment.*

CAPUT V.

DE PAVONE.

HÆc avis ſicut eſt pennoſiſſima & pulcherrima, utpote cui Deus palmam dedit inter aves, ita tamen corpore eſt tenuiore & volatu non valet, & quinque inſignia habere ſcribitur vitia: 1. *Quod eſt callida.* 2. *Ambitioſa.* 3. *Invida.* 4. *Malevola.* 5. *Libidinoſa.*

Et 1. *quidem optimè intelligit,* ſibi datas eſſe pulcherrimas pennas, quas etiam ſæpè, numerò explicat & expandit, tanquam ſpeculum vel rotam.

2. Propter hanc egregiam formam *tanta eſt am-*
385 *bitionis,* ut quando jam explicavit pennas, etiam ſuperbum, regium, majeſtaticum adjungat inceſſum. Soli igitur adverſo expandere ſolet pennarum ſuarum gemmeos colores, idque potiſſimum duobus modis. 1. *Quando incedit in pratis pulchris,* vel quando videt accedentem fœminam pulchrè ornatam. Tunc enim colore florum in pratis, & ſplendidis veſtibus fœminæ commovetur, ut & ſuam pulchritudinem ſpectandam exhibeat. 2. *Quoties laudatur,* & co-

rum pictore, cum depingitur, quem facile patitur ſa-
tiari ſpectando, & caudam ſuſtinet ad laſſitudinem
usque. Sentit igitur laudis iſtius de ſuis pennis
præconium, unde *Ovid.*

Laudatas oſtendit avis Junonia pennas,
Si tacitus ſpectes ipſa recondit opes.

Hinc natum eſt proverbium de illis, qui propter lau-
des ſuas vehementer ſuperbiunt: *Laudata Pavone*
ſuperbior & acrior. (*Solet tamen idem facere cum*
urgetur ab æſtu Solis. Tunc enim iterum ſolet ex-
pandere ſua ornamenta pennarum, & ita ſibimetipſi
facere umbram & tegumentum contra ferventes ra-
dios Solis.) Huc pertinet, *quod Pavo etiam explicat*
ſuas pennas, cum videt gemmeas picturas & ſimilia
incitamenta. In pennis enim Pavonis ſimile quid
præſtantiſſimis picturis, gemmis, & ſtellis elucet; &
cauda ejus eſt, ut pratum conditum pulcherrimis flo- 386
ribus. Hoc autem ex Phyſicis conſtat, plures cerni
colores, quàm revera inſunt. Cujus rei cauſa eſt,
quod duo colores varii inter ſe commixti, gignunt
tertium in oculo videntis. Nam radius Solis mix-
tus cum coloribus Pavonis, & cum umbris penna-
rum, ex reflexione multos alios producit in aërem,
& in oculum videntis.

3. *Quando luxuriat in venerem,* ut tunc ſponſæ magis placeat. Nota, quando criſtæ enaſcuntur Pavonibus, tum patiuntur langvores, ut infantes dentientes.

4. *Invidia in ipſo etiam magna deprehenditur,* dum ſtercus ſuum, quod plurimùm prodeſt in medicina, ſtatim reſorbet, unde rariſſimè invenitur. Etſi enim aliàs hominem amat, & ei cum quadam reve-

rentia, & pudore cedit in via, imò etiam auxilium ipſi affert, quando videt eſſe læſum ab aliis beſtiis, tamen hoc beneficium invidet homini. Aliis tamen hæc videtur eſſe fabula, nec immeritò, potius dicendum eſt, quòd ea abſcondat munditiei cauſſa, ut felis.

5. *Malevolus ideò eſt*, quia non diligit ſuum fœtum, imò ſolet quærere ova, & cum invenit, perdit.

387 6. *Illud autem facit propter libidinem, ut plus poſſit luxuriare.* Hoc autem, cùm optimè noverit fœmina, abſcondit ova, vel noctu parit, & in locis excelſis. Viſis enim ovis mas incubaret, & ſuo incubatu frangeret. Alii dicunt, Pavonem & Pavam contendere de incubatu, quod pater tàm ſit cupidus fœtus atque mater, & patrem gravitate ſua ovis nocere. Et hoc eſt longè veriſimilius. His vitiis & illud annumeretur, quod ſæpenumerò terrere conatur hominem accedentem, dum ſcilicet alis crepitat, & ſic metu inani ſpectatorem perturbat. Veteres dixerunt, Pavonem habere tria propria: *Vocem Dæmonis, caput ſerpentis, & paſſum latronis.* Habet enim vocem admodum terribilem, quæ ſæpè totam viciniam poteſt inquietare.

Optimus tamen eſt cuſtos ædium, & ſine mora atque intermiſſione prodit furem & indicat ignem excitatum domino & domeſticis. Noctu ſemper clamat, id quod dicunt fieri, quòd putet ſe amiſiſſe pennas; alii quod præſagiat tempeſtates: rectius ſentiunt illi, qui dicunt, ex Phyſica conſtitutione Pavonis calidiore hoc dependere, quæ quieſcere nunquam patitur. Deinde *caput ipſius eſt quidem criſtatum, ſed tamen valdè infirmum,* deforme & inſtar ſerpentis.

388 Denique *inceſſum habet valdè clandeſtinum inſtar latro-*

latronis. Pennas ſuas ſolet cum foliis arborum deponere, & tunc cum mœſtitia quadam latet, ſed easdem recipit primo Vere cum foliis arborum. Etſi verò inimitabilis eſt pulchritudo Pavonis, qua patitur ſatiari ſpectatorem, in illo Vere & cœlo cœlorum, præſertim quando in prato incedit, tamen quando pedes ſubitò inſpicit, ſtatim remittit animum, & circulum pennarum. *Id quod ſapiens vetuſtas juſſit conſiderare ſuperbos. Etſi* enim interdum habet homo, propter quod exultet, *tamen* ſi inſpexerit ſuam originem, & vitæ ſuæ conditiones mortales, ſtatim remittet aliquid de altis ſpiritibus. Alii tamen, ut & Scaliger, hæc merè fabuloſa tradunt, quia nec pedes Pavonis per ſe ſunt indecori, niſi cum cauda collati. *Carnem habet adeò calidam & firmam*, ut non niſi difficillimè concoquatur, & vix aut tardiſſimè computreſcat. Pullis tamen pavonum urtica, cum tangunt, eſt lethalis. *Alias mutuus eſt amor inter columbas & pavones.* Indicus pavo, qui hodie incipit eſſe frequentiſſimus, non tàm eſt pulcher, quàm eſt noſter pavo, & valdè iracundus, abundans bile, & habet pellem circa caput, cujus colorem pro voluntate ſua poteſt mutare. Olim in Græcia nulli fuerunt pavones. Et Alexander Magnus, cum primum vi- 389
deret eum in Indiâ, vehementer admiratus eſt, & prohibuit, ne quis eam avem occideret. Et tandem cum in Græciam inferretur, magno cum quæſtu tantùm magnatibus fuit monſtratus, & non niſi tardè exhibitus promiſcuæ multitudini.

Hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus avis, *quæ eſt genuina imago divitum, item illorum, qui à natura ornati ſunt corporis aliqua pulchritudine.*

poſſunt ferre, tuncque latent nec amplius jactitant, non crepitant alis, non terrent alios inani metu, quia pennæ ſunt evulſæ, & anima nullis eſt inſtructa dotibus & ejusmodi bonis, quæ etiam ex naufragio cum aliquo poſſint enatare, ſicut ille dicebat, ſe omnia ſua ſecum portare.

9. *Sicut enim* pullis Pavonum urtica eſt lethalis: *ita* talibus hominibus vel mediocris aliqua ærumna 391
perpetuum infert exituum. *Deinde poteſt eſſe Pavo imago Dæmonis*, qui habet adſpectum bonum, dum ſubjicit pulchras cupiditates, mox verò inſtar latronis necat. Eadem *ratione accommodaretur hîc icon ad hæreticos, ſycophantas & calumniatores*, qui & ipſi ut Pavones, veſtitu ſunt angeli, voce diaboli, inceſſu latrones. *Denique docti non debent æmulari Pavonem*, qui oſtentat ſuam caudam, cum habet admiratores: abſcondit, cum nullos habet applauſores, ſed communicent ipſi doctrinam liberaliter & fideliter, ſive applauſum mereantur, ſive non mereantur. Præſertim concionatores imitentur id, quod Chriſoſtomus de Lazaro concione prima ſcribit: *Aquarum venæ, etiam ſi nullus veniat aquatum, manant tamen, & fontes quamvis hauriat nemo, tamen ſcatebras emittunt, & amnes, etiamſi nemo bibat, nihilo ſecius fluunt: Sic oportet & illum, qui concionatur, quamvis nullus auſcultet, tamen præſtare, quidquid in ipſo ſitum eſt. Qui hodie quod audivit, repulit, cras fortaſſis audiet ac recipiet: tum qui hodierno craſtinoque die contemſit, fortaſſis poſt dies complures præbebit animum iis, quæ dicentur.* Hæc ille.

392
CAPUT VI.
DE GRUIBUS.

GRues nomen acceperunt à ſono, quia ſolent gruere. Apud Plutarchum nominantur *ultores Ibyci*. Cum enim latrones incidiſſent in hunc Poëtam, & ipſe evadere nullo modo poſſet, & videret prætervolantes grues, in ipſa morte petiit, ut grues mortem ipſius ulciſcerentur. Tandem ſedentibus his latronibus in foro, iterum prætervolarunt grues, & ipſi cœperunt dicere, ecce ultores Ibyci. Diu verò jam fuerat deſideratus Ibycus. Cumque ai qui audiiſſent illam vocem, & indicaſſent, in tormentis latrones confeſſi ſunt cædem: apud Plutarchum de futili loquacitate. Nominantur etiam aves Palamedis, quia Palamedes ex ordine & figura, quam obſervant inter volandum, literas aliquas reperiſſe ſcribitur. Etſi verò videntur feroces, tamen cum capiuntur, *aſſuefieri poſſunt, & doceri*, ut ſaltent, & quoscunque geſtus ipſis exhibuerit magiſter, eos imitantur, deprimendo caput, attollendo, agitando alas, diſcurrendo in circulum. *Suntque in ipſis exempla pulcherrimarum virtutum*. 1. *Speciem* enim *ſuam* præ reliquis avibus omnibus ardentiſſimè *amant*. 2.
393 Cum multæ ſint aves, quæ ſolitariam degunt vitam: tamen hoc genus ſocietatem ſuam amat, tum intervolandum, tum inter paſcendum.

3. *Vix in ullo genere avium animadvertitur tantum ſtudium ordinis, atque in hiſce.* Ducem enim ſolent eligere inter volandum, & quidem illum, qui ætate & experientiâ reliquis antecellit: Deinde agmen

men claudere coguntur iſtæ, quæ etiam ſunt ætate & calliditate ſuperiores: in medium includuntur juniores & imperitiores. *Quæ eſt ipſiſſima imago ritus & ordinis militaris*, ubi ſtrenui & fortiſſimi milites præcedunt, ſed in fine agminis non minus ſtrenui diſponuntur, in medium verò conſtituitur promiſcua multitudo, quæ ab ultimis fortiſſimis contineatur & urgeatur. Hinc veteres oratores putabant, diſputatoribus & declamatoribus idem eſſe faciendum, & argumenta maximè cogentia proponenda ſub initium, ut ſtatim à principio ferirent animum judicis. Quo facto exiſtimabant parum referre, ſi ſubjiciantur infirma aliquot argumenta, quæ non tam poſſint lædere judicem, utpote cujus animus jam modo forti aliquo argumento erat occupatus. Sed in fine itidem unum fortiſſimum judicabant eſſe ſubjiciendum, ut 394
ita ſtimulus relinqueretur in mente judicis & auditorum.

4. *Si quando dux eſt defeſſus, revolat, & ſtatim alius ex ſenioribus in locum ipſius ſubſtituitur.* Id quod etiam accidit, ſi quando ex nimiis clamoribus cœperit rauciorem habere vocem, ut non amplius poſſit acclamare, & ſuo clamore urgere ſequentes, ut ſint impigræ.

5. *Altiſſimum autem ſolent ſequi volatum*, ut regiones, ad quas volunt contendere, ex longinquo poſſint videre. Quando tranquillè volitant, tum præſagire putantur ſerenitatem, ſed quando feſtinant & ſubinde clangunt, tempeſtatem prædicere, & ſi ſentiunt, ſtatim ſeſe demittere. Rectius ſentiunt qui dicunt, eas clangorem edere, ne ſeparentur aliæ ab aliis nimium.

6. *Noctu excubias agunt aliquæ ex ipſis, ut cæteræ poſſint ſecurius dormire. Et quæ vigilant, illæ lapillos tenent altero pede, quia ſaltem altero pede ſtant.* Si ergo obdormiverint, per dilabentem lapillum excitantur, ſæpè recto capite vigil ſpectat, & clangore quodam ſignificat, ſi quid adſit. Signum gruis tenentis lapillum pede aliqui Typographi ſibi ſelegerunt pro ſigno diligentiæ maximæ, qualem certè im-
395 primis hoc genus hominum adhibere debebat. Bibulorum populus, ut Philoxenus apud Athenæum, optat ſibi collum tricubitale gruis.

7. *Meritò autem admiratione dignus eſt modus,* quem intervolandum obſervant, qui refert literam Δ ſeu figuram trianguli, quam Ambroſius vocat ordinem literatum, de quo ita diſſerit *Cic. in 2. de Natura: Illud verò ab Ariſtotele animadverſum, à quo pleraque, quis poteſt non mirari, Grues eum loca calidiora petentes maria transmittunt, trianguli formam efficere: ejus autem ſummo angulo aër ab iis adverſus pellitur: deinde ſenſim ab utroque latere tamquam remis, ita pennis curſus avium levatur: baſis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea tanquam à puppi ventis adjuvatur, eaque in tergo prævolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet, ubi nitatur, revolat, ut ipſe quoque quieſcat, in ejus locum ſuccedit ex iis, quæ acquieverunt, eaque viciſſitudo in omni curſu ſervatur:* Hæc Cicero. Aliis putatur eſſe Y Latinum, à pluribus judicatur Græcum Δ, de quo ordine Martialis:

Turbabis verſus nec littera tota volabit;
Unam perdideris ſi Palamedis avem.

Ergò

Ergò ut dictum eſt, aër facilius indicitur ab agmine in oxygonum triangulum compoſito, ex quo tamen 396 interdum ſit hexagonum, præſertim cum ventus exoritur. In hoc ordine omnes ducem ex æquo ſatis ſpectare, nec alter alterius proſpectum impedire poteſt, quia vento ſecundo omnes ex æquo fruuntur. Nunquam enim adverſo vento volant, niſi cum eſt fugiendum. Contrarium faciunt piſces, qui ſemper contra fluctum natant.

8. *Fugiunt autem Grues frigiditatem adventantis hyemis, ut æſtate poſſint redire.* More igitur Regum Perſicorum æſtiva ac hyberna conficiunt. Uno quidem die non pauca ſpacia, ſed ampliſſima peragunt, & imprimis petunt loca valdè longinqua, ubi tunc temporis inveniunt homines facientes ſementem, ut ita ſtatim habeant & locum commodum, & neceſſarium victum. Toto autem tempore itineris ſuſcipiunt mutuas vices, ut dictum eſt, ſomni, vigiliarum, ducatus, & primatus. Nam per aliquot horas vigilant, poſtea aliæ vigilant. Antequam ex Thracia fugiant in Ægyptum, effœtæ dicuntur ſeipſas curſu macerare circa gregem, ut decidant & emoriantur, quod non poſſint ſufficere ad longinqvum iter.

Quando ex Cilicia devolant, & jam appropinquant ad montem Taurum, ubi ſunt plurimæ aquilæ, 397 ibi lapillos recipiunt in ore, ut ita ſibimetipſis imperent ſilentium, ne incidant in ungves aquilarum. Faciunt autem illud noctu, ne etiam poſſint videri ab aquilis. Cum autem vident advolantem aquilam, ſtatim ſeſe in orbem quaſi in aciem contrahunt, & conglomerantur. Aliàs enim non libenter conturbant ordinem, niſi vel aquilam viderint, vel venato-

rem, vel præſenſerint mutationem aëris. Itaque nautæ, cum vident turbari ordinem à gruibus, metuunt ventos.

9. *Tanta etiam eſt in his avibus pietas*, ut ſi quas amiſerint ſocias, vel alias ſciverint errantes, ſine intermiſſione ſuo clangore vocent & requirant.

10. *Uſitatum* ipſis eſt, ut junco paluſtri ſeſe purgent.

11. *Lacrymæ ex vitibus ſunt ipſis certum venenum* & exitium.

12. *Etſi* multarum virtutum inſignia occurrunt in hac ave, *tamen hoc admodum in ipſis eſt culpandum, quod ſæpenumerò tam acri odio invicem exardeſcant*, & interdum tam acriter inter ſe pugnent, ut non animadvertant vel metuant etiam venatorem, imò ut malint expectare hominem, & in pugna
398 capi, quàm in concordiam redire cum ſocio. Id *quod eſt certa imagò hodierni ſtatus in Germania* propter diſſenſionem Pontificiorum & Reformatorum, inter quos tam acre eſt certamen, ut utraque pars malit venire in Turcarum poteſtatem, quàm diſſentientibus ſociis ſubjugari. Fabula illa de gruibus pugnantibus cum pygmæis, id eſt, homunculis vix cubitalis ſtaturæ, extat quidem apud Ariſtotelem & apud Plinium, ſed omni jure negligitur.

Et hæc de proprietatibus Gruum, in quibus *pulcherrimam habemus imaginem optimæ formæ regiminis.*

1. *Sicut enim Grues amant ſuam ſpeciem, & colunt mutuam amicitiam*, non una vel terret, vel abigit alteram, nulla etiam facilè devorat alteram, aut etiam ſuperbit ſuper alteram: *ita quoque optima eſt Reſp.* ubi

ubi nec duces & Magiſtratus propter dignitatem ſuperbiunt, aut etiam exactionibus torquent miſeros ſubditos, ſed propter officium faciunt, quæ digna ſunt tali officio, in cæteris verò ſibimetipſis exæquant ſubditos.

2. *Sicut* Grues ſenioribus demandant officia: *ita* in Repub. benè conſtituta indignis intercludenda eſt omnis occaſio adſpirandi, ad ſuperiores dignitates. *Sicut* enim Phaëton propter imperitiam accendit ter- 399
ras: *ita* væ terræ, cujus Rex puer eſt, & ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.

3. *Sicut* Grues ſuſcipiunt mutuas vices vigiliarum, ſomni, ducatus, *ita* feliciſſimà eſt illa Reſpublica, ubi nulla dominatur προσωποληψία, ſed omnia æqualiter fiunt inter æquales, quia *æqualia non faciunt bellum*, ſic dicitur in proverbio.

4. Et *ſicut* Grues hyeme fugiunt: *ita* Reſp. felix eſt tunc, cum contra bella maturè ſeſe poteſt munire.

5. Et *ſicut* Grues conſpecta aquilâ conglomerantur in circulum: *ita* tempore neceſſitatis ſociis non ſunt deneganda auxilia, ſed vires conjungi debent. Non enim probandum eſt illud cujusdam apud Xenophontem, ita ſapienti agendum eſſe tempore belli alieni, ne videatur ullius partis eſſe amicus. Verba apud Xenophontem hæc ſunt: *Nec in bello quis amicos ulla ratione alia pluribus beneficiis adfecerit, quàm ſi hoſtis eſſe putetur, nec inimicos ulla ratione alia quis affecerit detrimentis pluribus, quàm ſi amicus eſſe videatur.* Hæc ibi.

5. *Ut item* grues præſagiunt tempeſtatem, quando tur-

400 odo turbant ordinem: *ita* neceſſe eſt inſtare mutationes, quando turbatur harmonia ſtatuum vitæ.

6. *Sicut* autem lacrymæ ex vitibus ſunt venenum gruum: *ita* omnium malorum in Rep. origo eſt immoderata potus cupiditas & ebrietas, atque vita immodeſta. Cætera capita collationum per ſe ſunt facilia. *Et poteſt Grus eſſe imago ſeduli hominis, item ſapientis hominis*, item hæc, quæ jam ſunt breviter dicta, *poſſunt in ſpecie applicare ad unumquemlibet ſtatum*, Eccleſiaſticum, Politicum & Oeconomicum.

CAPUT VII.
DE OLORE vel CYGNO.

NOta eſt illa avis, candida, major anſere, habens argutisſimam vocem, prope ſimilem ſibilo anſerino. Unde Julius Cæſar Scaliger anſerem & olorem facit duas ſpecies, ſi non omnino unius & ejusdem, tamen valdè cognati generis. Notum eſt illud: *Anſer inter Olores*. Victus tamen idem eſt olori & anſeri, at Olor herbis virentibus ac ovis piſcium veſcitur, granis ſegetum &c. 1. Autem hoc animal admodum eſt mite & placidum. 2. *Pedes habet valdè latos, ſicut ſimiles quædam aves.* 3. *Po-*
401 *tisſimum amat loca amœna juxta fluvios.* 4. *Vita ipſius valdè eſt proba* & innocens, ſicut color gratus eſt & albus; ſed ut probis eſt moribus, ita quoque ſobolem gignit & educat copioſam, ut verè de ipſo poſſit dici, *Cygnum benè naſci, probè vivere, multam gignere ſobolem*, tanquam ſpem poſteritatis, & ſuaviter

viter tandem ſeneſcere. 5. *Cautè etiam vivit*, etſi enim ex fluviis ſæpè avolat in pelagus, tamen nunquam, ſicut mergi, ſub aquas ſeſe confert, ſed uſitatas exercet natationes. 6. *Quanquam* totum corpus aliquam præ ſe fert firmitatem, *tamen præcipuum ſuum robur habet in alis*, unde illas ſæpe expandit, præſertim flante Zephyro. Et ſunt aliqui, inter quos Nazianzenus Orat. 2. de Theologia, item Epiſt. 1. *qui ſentiunt, non ore canere cygnum, ſed expanſas alas inflari à Zephyro, & ita edi ſonum ſeu vocem coactam.* 7. *Veſci ſolet urticis*, ut ita comprimat & extingvat flammas libidinum. 8. *Cum omnibus avibus colit pacem*, ſolummodo cum aquilis exercet naturalem pugnam. Et quidem olor ipſe aquilam nunquam laceſſit; neque etiam unquam facit initium pugnæ. *Id quod eſt viri moderati & prudentis*, alios non turbare, neque etiam provocare. Verùm laceſſenti & inſidias ſtruenti aquilæ nequaquam cedit, ſive robur 402
animi, ſive cætera ſpectes. Sæpè igitur vincit aquilam, & in pugna valdè eſt fortis, ut verè hic poſſit locum habere illud, quod dicitur: *Furor fit patientia ſæpius læſa: item, Furor arma miniſtrat; item, Telum vel ira facit.* Sæpè quidem nutrit aquilam, ſed malam reportat mercedem. Et *hæc eſt imago perpetui diſſidii inter literatos, & inter politicos equites*, qui non poſſunt ferre doctos, à quibus tamen omnis generis accipiunt officia & beneficia. Et ſicut Oratores atque Senatores amantes quietem, item Poetæ, ſunt cygni, ita atroces gubernatores, barbari nobiles, turbulenti milites, ſunt aquilæ. 9. *Etſi hæc, quæ hactenus ſunt dicta, ſuam merentur prædicationem, tamen hoc admodum eſt dignum reprehenſione*

in

in hac ave, quod cum hæc avis alioquin non ſit carnivora, tamen per iracundiam ipſi Olores ſeſe inter ſeſe devorant, & unus Olor conſumit alterum Olorem. Id quod & huic avi, & præterea accipitribus, ſed nulli præterea ſolet eſſe familiare & uſitatum. Quæ videtur eſſe cauſa, quod Levitic. 11. verſ. 18. & Deuteri. 14. v. 17. hæc avis annumeratur reliquis, quarum eſus Judæis prohibitus fuit, *ut ſignificaretur, piis hominibus unicè hoc eſſe cavendum, ne mutuas exerceant*
403 *lanienas.* Id quod tamen uſitatiſſimum eſt, & frequentiſſimum inter literatos. *Sicut* enim cygnus devorat cygnum: Ita ſæpenumerò doctus doctum odit, & è medio tollere ſtudet. Hæc ſunt præcipua de proprietatibus Cygni vel Oloris. Valdè celebratum eſt in omnium penè auctorum ſcriptis illud, quod Martialis hoc diſticho eſt complexus:

Dulcia defecta modulatur carmina lingvâ
Cantator cygnus funeris ipſe ſui.

Ideò enim dictus fuit famulus Apollinis, & à plerisque exiſtimatur ſentire finem vitæ ſuæ, id quod maximum eſſet Dei donum, propterea quaſi ſentiret, in morte nihil eſſe doloris, quod tamen multi homines ignorant, ita putant ipſum magno animo expectare mortem, & ante ſuam mortem ſibimetipſi canere carmen funebre, unde Proverbium eſt natum de cantilena cygnea, id eſt, ſuaviſſima. Sic ergo putatur ſeipſum honorare, & ſeipſum lugere, quod nullus poteſt inter homines facere. Atque Cygnum ſuaviſſimè canere ante mortem ex amore mortis inſtantis, hinc probant, quod irati vel contriſtati nunquam poſſint ſuaviter canere. Et quidem aliqui ſentiunt, ideò ſuavius canere cygnum, quod habeat collum procerum,

rum, & quod ſemper in longis inſtrumentis ſuavior formetur modulatio, quàm in brevibus. 404

Quidam verò, ut de Nazianzeno antea eſt dictum, judicant non ore, ſed alis effici vocem. Et quidem Ariſtoteles lib. 9. cap. 12. de Hiſt. animal. ita ait: *Canere ſoliti ſunt, & præcipuè jam jam morituri.* Item: *& tum quidam, cum in mari Africo navigarent, multos canentes voce flebili, & mori nonnullos conſpexere.* Hæc Ariſtoteles. Hinc Pythagoras putavit, cygnos habere immortalem animam, & ideò ſuavius canere, quod ſpiritus & anima per longum collum erumpat. Hæc eſſent pulchra imago Doctorum, qui plerumque ſuavius cantant, quando per ætatem maturuit judicium, & florere incipit eloquentia. Plerumque enim ita comparatum eſt cum ipſis, ut ſæpè ex fervore juvenili multa proficiſcantur acerba & inepta, & ſæpè falſa, quæ tandem ſerò deplorant & corrigunt. *Ad pœnitentiam properat, qui citò judicat.* Verum enim verò Plinius lib. 10. cap. 23. rectè *refellit hoc cygni canticum, illudque falſum eſſe probavit aliquot experimentis.* Et rectè Ariſtoteles dicit multos ceciniſſe, & aliquos tantùm ex illis eſſe mortuos. Fieri ergò poteſt, ut interdum aliqui cantent ante mortem, ſed non hoc verum eſt de omnibus. Omnia animalia fiunt triſtiora & taciturniora, cum 405 eſt ipſis moriendum; inde miraculum debet exiſtimari, quod Chriſtus aliter quàm alii homines, ſcilicet inter clamorem validum & lacrymas obiit Hebr. 5. v. 7. *Porrò cygnus eſt pulcherrima imago tùm ordinis literati, & imprimis boni Theologi, Muſici: tùm Eccleſiæ.*

1. *Sicut* enim *Cygnus* eſt avis placidiſſima: *ita*

quoque Eccleſiam valdè exornant mores mites & humani.

2. *Sicut Cygnus* habet latiſſimos pedes, quibus firmiter poteſt inſiſtere; *ita Eccleſia* nititur firmiſſimo & ſtabili fundamento, quod nec ipſæ portæ inferorum poſſint evertere, Jeſu Chriſto.

3. *Sicut Olores* moderatam agunt vitam, multos educant pullos, & ſeneſcunt ſuaviter; *ita* Eccleſia benè eſt morata, multos inſtruit in fide Catholica, & ità ſuaviter vivit usque in ſenectam.

4. *Sicut Cygnus* amat loca amœna circa fluvios; *ita Eccleſia* non quærit ſplendorem imperiorum Politicorum, & ſedes ſuperbas, atque delicias mundi, ſed ipſi ſufficit Sacra Scriptura, pax & mediocris victus, etiam in ipſa cruce.

5. *Sicut Cygnus* non ſponte ſe mergit in undas; *ita*
406 *quoque Eccleſia* non temere ſeſe objicit periculis, quia qui amat periculum, peribit in ipſo.

6. *Sicut Cygnus* compeſcit libidinem uſu urticæ; *ita Eccleſia* meditatione verbi, in honeſtis laboribus ſeſe exercet, ut ſit tuta contra flammas.

7. *Sicut Cygnus* pugnat cum aquilâ: *ita Eccleſiæ* perpetuum certamen eſt cum tyrannis, quos tamen ipſa non provocat. Et *ſicut Cygnus* vincit alarum robore; *ita* omnes Tyrannos vincit Eccleſia his duabus alis, in quibus confidit, nempe in verbo & in precibus. His enim armis victi ſunt Maximinus, Julianus, & alii innumerabiles perſecutores.

8. *Sicut* Cygnus dicitur pulchrè canere ante obitum; *ita Eccleſia* ſcit ſibi imminere mortem, & mortem eſſe viam ad vitam, unde canit ſicut *Simeon*. Imò

Imò magno animo ſæpè perfert ſupplicia pro Chriſto, ſicut de Stephano dicitur.

Ibat ovans animis & ſpe ſua damna levabat.

Et talis eſt Bellerophon apud Euripidem, cujus animam ita introducit ipſe loquentem ante mortem: *Vade, quæ eras pia in Deos, auxilium ferebas peregrinis, tuis civibus nunquam eras moleſta.*

Annotatione hoc in loco dignum quoque eſt illud, 407
quod beatiſſimæ memoriæ Martyr Johannes Huſſius B. Circa annum Chriſti 1414. cum contra publicam fidem, & datum ſalvum conductum in Concilio Conſtantienſi, potius obſtantienſi, combureretur à Pontificiis, quos acerrimè fuerat inſectatus, demonſtratis erroribus ipſorum, in ipſa morte, absque dubio divino inſtinctu, hæc verba protulit: *Nunc aſſatis anſerem, ſed poſt* 100. *annos veniet olor, quem non poteritis aſſare. Etſi autem aliqui putant,* hanc fuiſſe ſancti Martyris mentem, quod poſt 100. annos, id eſt, indefinitè poſt *multos annos hujus facti redditurí eſſent rationem, tamen* cum præciſè Anno Chriſti 1517. reverendus Pater, Doctor Lutherus cœpit inſurgere adverſus Papam, *absque dubio divina illa fuit prædictio. Seſe igitur vocavit anſerem, ſed Lutherum cygnum.*

1. *Sicut anſeres* non promiſcuè quidvis deglutiunt, neque cibum, qui objicitur, cum ſilentio devorant: *ita ſanctiſſimus Martyr* Johannec Huſs non cum ſilentio accepit cibum, quem Papa animabus hominum objiciebat, ſed illum explorabat, & clamore prodebat impuritatem. Verùm hunc anſerem non potuerunt ferre Pontificii, verùm ax medio ſublatum aſ- 408
ſârunt.

2. *Sicut autem olor* ſuavius canit, quam anſer, & numeroſam gignit & educat ſobolem; *ita divinæ induſtria Lutherus*, quæ fuerant cœpta à Johanne Huſſio, felicius continuavit, & longè plus perpurgavit opus religionis, quàm ullus unquam antea fecerat, & diſcipulos genuit innumeros, ita ut impoſſibile jam ſit Papæ, opus illud cœptum impedire.

3. Verùm *ſicut Cygnus* non ſolet aſſari; *ita* quoque *divinus vir*, quanquam ſæpè optarat, ſe poſſe pati pro veritate mortem, divinitùs ex innumeris periculis quovis tempore fuit liberatus. Sed de his quoque ſatis. Obiter tamen admoneo, in ſecundo tomo operum Huſſi, non Huſſo, ſed Hieronymo Pragenſi aſſcripta reperiri verba hæc: de rationibus reddendis poſt centum annos.

Caput VIII.

DE CICONIA.

HÆc eſt illa avis, de qua *Auctor Philomelæ*:
Glottorat immenſo de turre Ciconia roſtro.

Et hac glottoratione ver prænunciat, conjugem
409 ſalutat, gratias Deo factori agit. Græcis Ciconia dicitur πέλαργος à πέλον nigrum & ἀργὸν album, quia pennas habet partim albas partis nigras. In noſtra lingua nomen habet à στοργῆ, id eſt, ab ardenti & pio amore mutuo, qui eſt inter parentes & liberos, ut etiam inter ipſos mares & fœminas.

1. *Enim ipſi parentes ſuos pullos vehementer amant,*

mant, & unicè dant operam, ut ipſis proſpiciant de quotidiano victu. Sæpè cum non poſſunt accipere cibum novum, tùm evomunt illum, quem ipſi prius devorarunt, ne pulli cogantur fameſcere. Interdum tamen tædio nutrimenti unum pullum dejiciunt, non gratitudinis cauſa, ut vulgò æſtimatur. Sunt enim in bonis quoque vitia quædam.

2. *Cum pulli incipiunt adoleſcere, ibi parentes volatum ipſorum experiuntur*, & tanquam duces præeunt, aſſiſtunt imperitis, quando incipiunt meditari volatum.

3. *Vice verſa pulli maximâ curâ & pietate fovent parentes ſenio confectos*, nec facilè patiuntur eos evolare ad quærendum paſtum, ſed ipſi diſcurrunt, & deferunt parentibus neceſſaria. Exemplum nobis imitandum eſt in Ænea portante patrem ex incendio & incurſu hoſtium: & in puella, quæ patrem captivum diu ſuis uberibus aluit. Audiatur tamen 410
iterum ex Phyſica Neandri hoc quod ſequitur: Quæ à multis auctoribus, Ariſtophane etiam de Ciconiarum pietate in parentes, produntur, videmur contraria animadvertiſſe in Ciconiis Ilfeldenſibus anno 1582. ubi pulli anno præcedenti excluſi & educati in nido Ilfeldenſi à ſedulis parentibus ſequenti anno reverſi & loco forſan delectati, matri iterum ova excubanti, quæ recens tria poſuerat, bellum, me & aliis multis inſpicientibus, horâ primâ pomeridiana, clarâ luce intulerunt, matrem nido exturbarunt, ova ejus præfracta præcipitarunt, ova ſua in eodem poſuerunt, unde tres Ciconiæ prodierunt, quos ſecum in migratione abduxerunt.

4. *Parentes magna cura, quantum fieri poteſt, ex-*

cludunt pullos, & ſervant mutuas vices in incubando, ita ut dum evolat pater, interim mater foveat ova, & dum mater evolat, domi officium præſtet pater. Tanta autem hac in parte adhibetur ſollicitudo, ut pennæ deventre defluant, ut calor ex corpore exhalans melius afficiat ova, id quod etiam facere ſolent gallinæ, ut infra docebitur. Nunquam deſerit pater filium, aut filius patrem, ſed mutuas gerunt curas. Propter hanc cauſam ab antiquis hæc avis fuit appel-
411 lata pia avis, neque facilè licebat alicui interficere ciconiam.

5. *Præterea hæc avis caſtitatis eſt valdè ſtudioſa.* Cum qua fœmina mas ſemel ſeſe copulavit, illam non dimittit, aut ſi ipſa paſſa eſt alterum marem, adductis pluribus maribus, vehementer eam punit roſtro, & à ſeſe repellit. Ciconia quædam, mare avolante ad pabula convehenda pullis, aliquoties interea rem habuit cum propinqua ciconia, ac ne maritus reverſus adulterium perſentiſceret, mox à congreſſu corpus ſuum in fonte vicino lavit, donec hoſpes illa re animadverſâ eam à fonte arceret. Etſi autem de adulterio conſtaret reverſo, tamen diſſimulavit, pulloſque ſolam educare coëgit, & tandem cum migrandum eſſet ante hyemem, adduxit agmen ciconiarum, cui adulteram laniandam tradidit. Hanc Hiſtoriam recitat Mich. Neander in Phyſica, ubi ex Aventino iſta in pago Tangen Bavariæ ſub Duce Bacaro Huberto accidiſſe ſcribit. Atque non tantùm inter ſeſe caſtitatem cuſtodiunt, verùm etiam oderunt homines adulteros. Refert enim Ælianus lib. 8. cap. 19. *de quadam adultera, quæ rem habuit cum*
412 *ſervo in abſentia mariti. Itaque ciconia irruit in*

ingra-

ingratum ſervum,' & eruit ipſi oculos, ut ita vindicaret injuriam abſenti domino illatam.

6. *Vehementer etiam diligit humanam ſocietatem*, & frequentiam, & gaudet nidum habere ſuper illis domibus, in quibus habitant homines.

7. *Nidum quem ſemel occupavit, non niſi coacta relinquit*, ſed ſingulis annis repetit, circa hyemem luto & virgulis replet, ne à ventis per hyemem diſſipetur.

8. *Notabile hoc quoque eſt, quod prudenter fugit hybernum frigus. Norunt enim ciconiæ, quodnam ſit opportunum tempus fugæ*, id quod etiam in ipſis prædicat Deus Jeremiæ cap. 8. v. 7. Abituræ autem ciconiæ in alias terras, in aliquo certo loco congregantur, & ita ſimul diſcedunt, nullamque relinqvunt, niſi captivam. Similiter appropinquante dulciſſimo tempore veris ad nos redire ſolent ex locis calidis, nempè ex Aſia, Africa & ſimilibus, quia in loca longinqua à nobis diſcedunt. Quando revolare volunt, ſimiliter congregantur, & ſi quæ fuerit ignava & tarda & propè ultima, illam roſtris ſolent impetere & punire. Ambroſius refert in Hexaemero, *ipſas habere cornices comites tum in avolatu, tum in revo-* 413
latu, ita tamen ut cornices non inter ciconias, ſed ad latera volitent. Et mirum eſt omnes ex omnibus locis unâ quâdam die quaſi decreto promulgata & conſtituta diſcedere, & rurſus redire. Et mirum eſt, ab ipſis hoc non fieri interdiu, ſed noctu, ita ut noctu abeant & noctu redeant, & manè circumvolitent, quaſi tunc primùm veniant. Nemo enim vidit agmen diſcedentium, neque agmen redeuntium, ſed ex poſteriori intelligimus, cùm redierunt vel diſceſſerunt.

Conjugem ſuam mas verno adventu decem dies antevolare perhibetur, & nidum, ſi forſan violatus eſt, reparare. Poſtea conjugem ſolicitus expectat, ejus adventui mirificè gratulatur, ab alis applaudit, & poſtquam nido excepit, animadvertitur admodum dulcis ſalutatio, & ad felicem adventum gratulatio, applauſus, complexus, videntur mellita oſcula, audiuntur lenes ſuſurri.

9. *Magna eſt ἀντιπάθεια inter ciconias & inter veſpertiliones*, quia veſpertiliones ſtruunt inſidias ovis ciconiarum, & eadem ſolo ſuo tactu reddere poſſunt ſterilia. Verùm ciconiæ deportare ſolent folia platani in nidos, quibus arcentur veſpertiliones, ut nihil
414 mali poſſint inferre ovis. Nam inter platanum & veſpertilionem alia eſt ἀντιπάθεια, ita ut cum veſpertilio ſolummodò tangit platani folium, torpida reddatur. Præterea *naturalis eſt ἀντιπάθεια inter ſerpentes & ciconias*, quia ciconiæ inquirunt latebras ſerpentum, eosque devorant, & ſic purgant regiones, undè in Theſſalia, quæ multos habuit ſerpentes, capitale fuit lædere ciconiam.

10. *Magna gratitudo eſt in hac ave.* Ælianus enim lib. 8. cap. 21. de animalibus refert de quâdam viduâ, muliere Tarentina. *Hæc enim, cùm æſtivo tempore pulli ciconiarum maturiùs evolarent, & unus infirmior delaberetur, ita ut crus frangeret, mulier eum ſanavit, & tandem ſanatum ex manu in libertatem dimiſit. Sequenti anno cùm illa ipſa vidua in aprico loco ſederet, captandi ſolis gratiâ, ciconia quædam humili volatu ſeſe demiſit ad mulierem, & ex ungvibus lapillum quendam elabi permiſit, poſtea*

in-

in tecto conſedit, noctu iſte lapis tanquam ſtella quadam lucebat, quæ erat precioſiſſima gemma, ut cùm caperet illam ciconiam, ex cicatrice agnovit eſſe illum pullum quem ante annum ſanaverat. Conradus Geſnerus illud recenſet ſibi tranſcriptum & confirmatum à Juſtino Goblero Juriſconſulto, quod contigit in Imperii civitate libera quondam Veſaliæ. 415 *Ibi quædam ciconia (Patrefamilias curante) cùm à nemine unquam infeſtaretur, ſemper abiens & rediens ad oſtium domus ſolita fuit ſeſe præſentare, & ſolito clarius, quaſi valedictura vel ſalutatura ſtrepere. Paterfamilias pro more ſemper ei quaſi comprecans reſpondit. Quodam igitur tempore reverſa ſimul attulit ad pedes hoſpitis radicem magnam recentis Zinziberis. Ex quo ſimul tunc collegerunt docti, omninò in tales abire calidas provincias hæc avium genera.* Tanta gratitudo in ipſis hominibus ad imaginem Dei conditis vix ac ne vix quidem reperitur.

11. *Quando ciconia* dum ſerpentibus inhiat, *vulneratur, ſtatim quærit Origanum*, & cunilam, quam vulneri imponit, & ita ſanatur.

12. *Vulgò dicunt ciconiam non habere lingvam*, quia tantùm murmuret ſeu glotteret, ac ſi aſſeres inter ſe committerentur. *Sed tamen lingva ipſi non deeſt.*

13. Notetur Homeri verſiculus, quem ſolent recitare, qui primi vident novam ciconiam, tempore veris:

Δὸς μοὶ, ἐυαγγέλιον, ὅτι ἔιαρος ἦλθε πελαργός.

Da mihi munus pro læto nuncio, quia venit ciconia verna.

Ab

416 Ab ipſa voce πέλαργος natum eſt Græcum verbũ ἀντιπελαργεῖν, quod ſignificat gratitudinem ſuam mutuam declarare, præſertim erga parentes & alios benè meritos.

Porrò cùm ciconia fermè nihil habeat, quod mereatur aliquam reprehenſionem, verùm multis inſignibus virtutibus prædita eſſe deprehendatur, unde etiam à Veteribus pia avis fuit nominata: *nemini melius eam poſſumus attribuere, quàm piis,* quorum genuina eſt imago.

1. *Sicut* igitur illuſtres virtutes ſunt in ciconia: *ita quoque pios* decet præ reliquis omnibus ſtudiosè ſectari multa ornamenta bonorum operum.

2. Et *ſicut* imprimis Ciconiæ adulteria oderunt, & caſtitatem amant: *ita multò magis pios* hoc decet facere, nempè ut fugiant adulteria ſpiritualia & corporalia, quæ ſunt idololatriæ, ſuperſtitiones, hæreſes, & carnis impuritates.

3. *Sicut Ciconiæ* amant hominum ſocietatem, quia nihil faciunt, quod ægrè ferrent homines, non enim dilaniant columbas, ſicut accipitres, non furantur gallinas ſicut milvi, non veſcuntur cadaveribus, ſicut vultures, non in propatulo exercent libidinem, ſicut
417 paſſeres, non furantur, ſicut corvi, ſed ſunt grati nuncii gratiſſimæ æſtatis futuræ & purgant hortos, agros, & prata, & areas bufonibus & ſerpentibus devoratis: *ita quoque pii homines* non debent quærere latebras, ut Monachi, vel turbare publica commercia, ſicut latrones, quia nihil debent committere, quod vel angeli vel homines odiſſent.

4. *Sicut Ciconiæ* tempore opportuno diſcedunt, & tem-

& tempore opportuno redeunt, ita tamen ut non animadvertantur; *ita pii homines*, quantum ſalvâ conſcientiâ poſſunt, furoribus tyranorum debent cedere, ſine omni ſtrepitu & ſeditione, ſicut Chriſtus ipſe interdum ceſſit furori Judæorum.

5. *Præterea ſicut* ciconiæ abituræ congregantur; *ita pii* non tantùm pro ſe, ſed pro toto corpore debent eſſe ſolliciti.

6, *Atq; ſicut* ciconiæ ſuos nidos repetunt: *ita ab* Eccleſiis ſuis non debent recedere pii, ut omninò ſemper abeſſent.

7. *Atq; ſicut divina eſt providentia in ciconiis*, & quidem mutua pro parentibus & liberis; *ita quoq; pii non debent abjicere curam* pro domeſticis, quia qui ſuos negligit, eſt Ethnico deterior.

8, *Item ſicut veſpertiliones* ſtruunt inſidias ovis 418 ciconiarum, *ita clandeſtini hæretici* moliuntur perniciem diſcipulis piorum.

9. *Sed ſicut* ciconia reddit veſpertiliones torpeſcentes, congeſtis foliis platani: *ita pii* debent tutos reddere ſuos diſcipulos contra hæreſes ex congeſtis dictis firmis Scripturæ. Cætera capita collationum ſunt facilima. Olim ſculpebatur imago ciconiæ in ſceptris Regum, *ut ſignificaretur, tales debere eſſe Reges erga ſuos ſubditos, quales ſunt piæ, mites, induſtriæ, gratæ ciconiæ.* Id quod rurſus nova indigeret collatione. *Et ſicut ciconiæ defendunt* ſua ova contra veſpertiliones; *ita magni Domini* pios miniſtros debent protegere ſua benignitate contra fures & calumniatores. Ideò autem in Veteri Teſtamento ciconiæ eſus interdicitur Judæis, quod veſcatur impuris cibis, ut admoniti Iſraëlitæ ſibi multò magis ab im-

impuritatibus & pollutionibus animarum temperarent. Habet etiam caput valdè rheumaticum, unde ſemper aquam emittit, ut indicaretur, non vanas in cerebro opiniones fovendas de religione, nec ſapiendum quicquam ultra verbum divinum. Sed ſatis.

IBIS.

In Ægypto eſt avis quædam, ſimilima noſtræ
419 ciconiæ, quæ dicitur Ibis, & hæc non patitur ſe exportari extra Ægyptum: nam ſi vi eripiatur & ducatur in alia loca, fame ſeipſam necat; & ſic mercatoribus totam peregrinationem & pecuniam reddit inanem. Habet inteſtina admodum longa, multorum cubitorum. Suâ etiam naturâ eſt calidiſſima, unde ſæpenumerò patitur obſtructionem alvi, verùm ex divina providentia novit hæc avis aptam medicinam. Nam roſtro ſuo adunco aquam marinam injicit per podicem in inteſtina, & ſic inteſtina reddit lubrica, ut excrementa poſſint ercerni, hoc eſt injicere Clyſterem, ut poſſit dejici alvus, & hæc avis Ægyptios dicitur docuiſſe uſum Clyſterum.

Et cùm ſit calidiſſima, optimè poteſt conficere ſerpentes & ſcorpios, ſine omni ægritudine, &, ſicut ſus, ex omnibus ſordidiſſimis littoribus pabulum quærit, aquam tamen amat puram; unde Sacerdotes Ægyptii non ſolent uti aqua, niſi ex qua bibit Ibis: Apud Ælianum lib. 7. cap. 40. *Tardè ingreditur & utitur inceſſu gravi & magnifico, tanquam generoſa mulier*, ſicut fermè noſtræ Ciconiæ faciunt. Si pennæ hujus avis tangantur à Crocodilo, ſtatim immobilis reddi perhibetur. Nidificat in palmis longiſ-
420 ſimis, quia plurimum metuit feles, & ſcit feles non ita

ita facilè poſſe conſcendere palmam. Falſum eſt, quod dicitur ore concipere. Sed & de hac ave ſatis.

Caput IX.

De Ansere vel Ganza.

Cum Philippus Melanchthon multos Poëtas convivio exciperet, & aſſatum anſerem proponeret, ita inter ipſos convenit, ut ille haberet potеſtatem ſecandi & diſtribuendi anſerem aſſatum, qui primis ex ipſis de anſere aſſato ex tempore componeret verſum. Statim autem Stigelius hunc protuliſſe dicitur.

Vertitur aſſando nigrâ rubigine Ganza.

Cumque reliqui vocabulum hoc mirarentur, ex tempore ſubjecit etiam Pentametrum:

Miraris Ganzam? Plinius auctor habet.

Et verum eſt, quia teſtatur Plinius, anſerem fuiſſe nominatumGanzam,& optimos anſeres productos fuiſſe in Germania, vide Plin. lib. 10. cap. 22. Obiter addimus, ſimilem felicitatem in fundendis carminibus fuiſſe in Eobano Heſſo. Habuiſſe Heſſus ille fertur patronum quendam, ex numero ditiſſimorum mercatorum, qui boves plurimos coëmere & laniis diven- 42r
dere ſolent, & patroni iſtius nomen fuiſſe, quod multi noſtrates habere ſolent, Walter. In quadam igitur inſigni Imperii urbe, prout fieri ſolet, cum patrono illo in publico diverſorio lautius biberat. Et jam benè potus patronus Heſſi, aſcenſurus erat equũ.

His

His igitur verbis eum compellat, Domine Eobane, ſi poteris mihi ex tempore facere verſum, interim dum ego incipio conſcendere eqvum, & inter aſcendendum, dabo tibi optimum bovem unum. Tunc derepente Eobanus hunc verſiculum fecit & pronunciavit:

Aſcendit Walter, veniat bos unus & alter.

Et hac ratione promiſſi compos factus fuit. Sed ad rem. Nemini autem ignotum eſt, hanc avem eſſe ex illorum animalium numero, quæ dicuntur ἀμφίβια, quòd victum petant ex aqua & terra, non contenta terrâ etiam aquam requirunt. Deinde nec hoc ignotum eſt, ſapientiſſimam naturam id eſt, Deum, ex mirabili providentia, ut haberet varietatem jucundam, alios feciſſe ſylveſtres, alios verò domeſticos anſeres, utroſque ſocietatis ſtudioſos, ſicut videmus ſylveſtres gregatim avolare, appropinquante
422 hyeme, ſicut etiam grues & ciconiæ faciunt, ita ut ipſa natura ſuadeat, mala & pericula, quantum honeſtè fieri poteſt, eſſe fugienda. Sed his ita præmiſſis, ſciendum eſt:

1. *Anſerem naturâ eſſe calidiſſimum*, & prope fervente ſtomacho, unde lutum & arenas ſolet deglutire & conficere. Et hæc eſt cauſa, *quod frequentes amat lotiones*, & ſemper gaudet natare, & delectatur cibis humidiſſimis, item aquis frigidis & limpidis, quibus interiora ſua membrare frigeret. Aliqui ipſis incluſis etiam ſub mediâ nocte aquam miniſtrant. Dicuntur enim ter edere in die & ſub mediam noctem. Non plus aquam aliqui ante anſerem ſinunt, quàm per unam horam. *Præterea ex ſtercoribus anſerum*

hoc

hoc ipſum patet, ſiquidem tàm illa ſunt calida, ut adurant prata, conſumant radices, & aſſeres in ſtabulis, citò etiam pereunt calcei, quibus ſtercora anſerina calcantur.

2. *Cum ſit calidiſſimum animal, non tantùm copioſo indiget alimento, verùm etiam ſæpenumero laborat obſtructionibus alvi*, niſi natura duce citrà medicos & citra omnia diætæ dogmata, ſibimetipſi poſſet provocare alvi fluorem. Veſcitur igitur lactucis, & aliis herbis humidis, ut hac ratione emolliat alvum.

3. *Propter caliditatem & voracitatem adeò augetur quantitate corporis ſui*, ut non poſſit altè attolli ſuper terram. 423

4. *Amat ſocietatem & cœtum*, & contubernia hominum, & ipſos etiam homines. Teſte Plinio, nullum animal ita odorem hominis ſentit, atque Anſer. Ælianus lib. 7. c. 36. de animalibus, exemplum refert de Lycade Peripatetico, *qui habuit anſerem, à quo mirificè deligebatur. Nam obambulante domino, ſemper ſequebatur anſer, cum ipſo ſedebat, poſt ambulationem quieſcebat, & nunquam à domino diſcedebat*, unde Philoſophus tanquam fratrem ſepulturâ eum affecit. Simile quod commemorat Theophraſtus de puero, cui aſſueverat anſer. *Itaque cùm in captivitatem abduceretur puer, quotidiè anſer advolavit, & dona aliqua attulit.*

5. *Cibum nunquàm accipit, nunquam etiam devorat ſine clamore & ſtrepitu*, nunquam etiam congregantur anſeres, nunquam prætereuntes dimittunt, nunquam in agros excurrunt ſine peculiari ſtrepitu. Etſi verò nobis videntur iſti ſtrepitus eſſe inanes, tamen ipſis inter ſeſe ſunt certiſſimæ notæ earum re-

rum,

rum, quas cupiunt, unde diſtinctos in ipſis animadvertimus ſtrepitus. Nam accedentem hominem
424 quaſi à ſe repulſuri exerto collo & ſtrepitu ferventiore excipiunt: ſed ubi diſceſſerit ille, tùm inter ſe conjunctis collis remiſſiori ſtrepitu gratulantur ſibimetipſis de hoſte depulſo. *Hinc proverbii loco vocamus anſerum & gruum concilia, ubi omnia perturbatè & confuſis inter ſe hominum clamoribus geruntur.* Nazianzenus de Differentiis vitæ: *Mihi certum eſt deliberatumque, nunquam poſthac anſerum aut gruum temerè inter ſe pugnantium ſynodis intereſſe.* Et hoc eſt, quod dicit ad Procopium, *ſe nullius ſynodi* (ſcilicet talis anſerum & gruum, id eſt, ineptè diſputantium) *felicem vidiſſe exitum:* quod aliqui ad omnia colloquia de capitibus religionis inſtituta accommodant, ſed perperam.

6. Propter caliditatem excellentem hoc etiam ſequitur, quòd admodum vigilans ſit hoc animal, non profundum ducens ſomnum, unde etiam facilè excitatur, & minimo quòvis ſtrepitu expergiſcitur, clangore teſtatur ſuam vigilantiam. Dicimus quidem canes eſſe vigilantes, ſed longè vigilantiores ſunt anſeres. Præterea dicimus fideles eſſe canes, ſed rurſus fideliores ſunt anſeres. Nam canes tutum introitum præbent furibus, ſi fures cibum aliquem ipſis objecerint. Verùm anſeris proprium eſt &
425 ante cibum, & ad objectum cibum, & inter ipſum cibandum tollere clamores & excitare ſtrepitus. *Cùm igitur,* ut extat apud Plutarchum de Romanorum fortuna, & apud alios multos, *Galli occupaſſent urbem, & jam aſcenderent Capitolium, ubi milites altum dormiebant ſomnum, immò ſicut quidam loquitur, etiam dormi-*

dormirent Dii, *tacuerunt omnes canes* (*decepti eſcis*) *ſed anſeres proprio ſuo ſtrepitu* (*propter objectum cibum*) *milites ex ſomno evocarunt, ut ita reſiſterent hoſtibus. Quapropter poſtea ſingulis annis aliquot canes publicè laniarunt, ſed anſeres publicè in templis aluerunt.*

7. *Magna quoque in anſeribus eſt verecundia*, quia gallos & gallinas in propatulo videmus miſceri, ſed anſeres clàm aut in aquis hoc faciunt, & poſt commixtionem aquis ſeſe ingurgitant lavandi & purgandi gratia.

8. *Cautum* quoque hoc eſt animal, id quod imprimis patet ex ſylveſtribus, quando ex Cilicia, per omnia ſicuti grues faciunt, in Ægyptum aufugiunt propter imminentem hyemem. Tunc enim cum Taurum montem coguntur transmittere, in quo plurimæ ſunt aquilæ, lapillos ore tenent, ut ita ſibimetipſis prudens inducant ſilentium.

9. *Stolidiſſimum tamen eſt, & nullius prudentiæ* 426
ſingularis hoc animal, id quod vel ex hoc ſolo apparet, quod cùm videt unus, bibere alterum, bibat & ipſe, etiamſi non ſitiat, *unde proverbium eſt natum, bibente uno anſere, bibit & alter, id eſt, ſtultus facit, quod videt facere ſtultum.*

10. *Lauri folia (calida) nunquam attingit, ſi vel fame ipſi eſſet moriendum,* quia ſcit, adverſari ſuæ naturæ (calidæ) *Qua in re ſuperat, immò longè ſuperat ipſos homines,* ſiquidem homines norunt caliditate vini inflammari interna membra, conſumi internum calorem, induci frigiditatem & mortem, neque tamen vinum fugiunt. Id quod verum eſt de omnibus aliis ſimilibus potibus.

11. *Pullis anſerum urtica eſt mortifera,* niſi radix urticæ adhibeatur.

12. *Eſt quadam* herba, quæ appellatur lunaria, colore igneo, foliis ſpinæ, quæ à terra non altè attollitur, & noctu lucet, ſi fuerit exſiccata. *Talis autem eſt ἀντιπάθεια inter anſeres & hanc herbam*, ut ad primum conſpectum herbæ vehementer expaveſcat anſer.

13. *Amant anſeres pura loca,* cùm tamen ipſi nullum locum relinquant purum.

Ad vulgata illa quod attinet, obiter monemus,

427 1. *Carnem anſerum* (exceptis alis) *domeſticis cunctis avibus duriorem,* craſſiorem & calidiorem ſimul ac humidiorem eſſe, immò alioquin etiam cunctis avibus humidiores eſſe anſeres, & tempore peſtis in menſis damnari, ſicut etiam perhibentur ab æſtate in autumnum cum morbis conflictari. 2. *Ova etiam anſerum perhibentur deterrima.* Hodiernos Judæos, ajunt, ſalire carnem anſerinam, & fumo exſiccare, ut pulchrè rubeſcat. Sangvis tamen cum aceto utiliſſimè in antidotis miſceri ſcribitur. Aliqui oculos effodiunt anſeri, ut veſcatur avidiùs & pingveſcat citiùs. Alii includunt (rectius) calidis & tenebroſis locis, præreptâ vagandi poteſtate, aliqui bis evellunt quotannis eis plumas. Exemptum epar lacte mulſo augeri, ſunt qui experti fuerunt. Anſeris vitam longam aliqui faciunt; vidimus anſerem domeſticum (inquit Albertus) qui annos ſexaginta exceſſit. Apud nos vix indulgemus plerisque, ut poſſint ultra quatuor menſes vivere.

Non poſſumus non facere mentionem etiam illorum

rum anſerum, quos in Scotia ex arboribus naſci perhibent. Legatur Levinus Hulſius de navigationibus Hollandicis 1595. 1596. 1597. ſuſceptis ad mare glaciale, & editus anno Chriſti 1598. Norinbergæ in 428
forma quarta. *Is igitur adducit experientiam Hollandorum, qui appropinquante vere in locis valdè ſeptentrionalibus reperierunt ova iſtorum anſerum, quibus anſeres tales inſederunt ad fovendum & excludendum pullos.* Et hæc magis conveniunt cum ſacrâ hiſtoriâ, teſtante, quodlibet ex ſua ſpecie produci. *Eſt quoddam genus anſeris,* quod appellatur *Vulpanſer,* amans maritima loca, quod nomen accepit indè, quia habet corpus & magnitudinem anſeris, ſed aſtutiam vulpis, & miro modo amat ſuos pullos, & cum magna audacia atque calliditate procedit obviam hoſtibus, ut pulli interim avolare poſſint, uſitate vocant maritimos anſeres (Seegans) & ex illorum numero dicunt etiam eſſe Pelecanos ſeu plateas, de quibus ſupra.

CONCLUSIONIS loco libet apponere illa, quæ in Chronologia Herodoti & Thucidis ad noſtram usque ætatem contexta, ad annum Chriſti 1470. adſcripſit Chytræus. Verba Chytræi ſunt hæc:

1470. *Ars Typographica Moguntiæ in Germania, anno milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo, per JOHANNEM GUTTENBERGUM inventa, & paulatim exculta Romam* primùm allata eſt, per Ulricum 429
Han, natione Germanum, de quo argutum Antonii Campani Epigramma extat:

Anſer Tarpeji cuſtos Jovis unde quod alis
Conſtreperet, Gallus decidit: ultor adeſt.

Ulricus Gallus, ne quem poſcantur in uſum,
Edocuit pennis nil opus eſſe tuis.

Hæc ex Chytræo.

Optimè huc poſſunt referri ANATES, quæ in pleriſque conveniunt cum anſeribus, niſi quod ſordidis cibis utuntur, ſed ſunt calidiores anſeribus. Nomen acceperunt à natando, quia ſtatim, quando fœtus eſt excluſus ex ovo, properat ad aquam, ut natet, & ſcit natare abſque omni præceptore, & vivere ſine omni nutrice. *Et eſt imago omnium, qui illam artem debent tractare,* ad quam à natura apti ſunt facti. Sciunt enim anates, ſe non eſſe incolas cœli, nec poſſe tolerari in terris, cum non ſint quadrupedes beſtiæ, & magnum hoſtem aquilam, & accipitrem, unde maturè conſulunt ſuæ ſaluti. Præſente aquilâ ſeſe mergunt & aliundè emergunt, idque toties faciunt, quoties hoſtis urget, & quo usque ille fatigetur. Statim tamen à fugâ ex aquis in altum ſeſe attollunt, ut ſint imago Chriſtianorum, qui in periculis Deum in cœ-
430 lis debent implorare. Cùm aliquid moleſti comederunt, purgant ſe quâdam herbâ, quæ dicitur Siderites (Eyſenkraut.) Poſſunt præſagire tempeſtates (& tunc contentioſius clamant) ſcilicet jam jam præparari in aëre cœptas. *Plinius* proximas anſerino generi dicit eſſe etiam illas aves, quæ in plurali dicuntur *Otides* Germani vocant Haſelhüner/ Latinè dicuntur Tardæ, & habent galli magnitudinem, volatum valdè tardum, unde etiam nomen acceperunt. Eſt autem Tarda vel Otis ſtudioſiſſima equorum. Contemnit enim & negligit reliqua animalia omnia, ſed cum videt eqvum paſcentem, vel

in-

in prato, vel in colle, ſtatim cum gaudiô advolat, humilem habet volatum propter ponderoſas alas, & gravitatem corporis. Cumque nulla alia avis metuat canes, hæc vehementer eos expaveſcit, & nonnunquam ab ipſis capitur, ſtatim igitur dum audit latratum, in paludes & in dumeta excurrit. *Eſt etiam inepta avis, quia quod videt facere aucupem, illud imitatur.* Solent igitur aucupes in conſpectu ipſius ſeſe lavare, & relinquere oleum, quo ſibimetipſi oblinit oculos, & ita capitur. *Plinius* dicit has Tardas eſſe damnatas in cibis, & addit rationem hanc, emiſsâ oſſibus medullâ, odoris tædium extemplo ſequitur.

Sunt autem Anſeres & Anates genuina imago ſtolidorum, item helluonum. 431

1. *Sicut enim* anſeres & anates nulla re magis delectantur, quàm humidis: *ita tales* homines toti ſunt dediti luxuriæ.

2. *Sicut hæ aves* corpore maximopere augentur, ut non poſſint altè attolli à terrâ: *ita quoque ſtolidi & helluones* non curant cœleſtia, ſed affixi ſunt terreſtribus.

3. *Sicut* bibente unâ ejuſmodi ave omnes reliquæ bibunt: *ita tales homines* non ducuntur ratione, nec aliquid ſuſcipiunt præmeditatè, ſed quicquid in buccam venit, & quod vident ab aliis fieri, illud ipſum ſectantur, in ebrietate præſertim. Et ſic ſunt multi, qui non propter ſitim bibunt, ſed ex conſuetudine, & in gratiam aliorum inebriantur.

4. *Sicut anſeres ſunt garruli,* & ſtercore ſuo adurunt prata: *ita quoque tales,* quò magis ſunt ſtolidi, eò magis ſunt garruli, & ſuâ garrulitate multis nocent.

5. *Sed ſicut* anſeres expaveſcunt, cum conſpiciunt herbam lunariam: *ita tales homines* obmuteſcunt, cum urgentur veritate & artificioſis ratiocinationibus, ſæpè loquaculæ mulieres foro & concilio anſerum comparantur. *Imprimis vero Otis eſt imago ſto-*
432 *lidorum equitum*, qui nihil curant niſi equos.

Et 1. *ſicut* Otides habent gravia corpora & humilem volatum: *ita tales cyclopes*, qualis ille erat, qui dicebat, ſibi plus placere hinnitum equi, quàm ſuavem muſicam, verè ſunt gravia & inutilia pondera terræ.

2. *Sicut autem* Otis æmula avis ſtultè imitatur quicquid videt: ita quoque tales inepti tantùm habitant in aliorum cerebris, per ſe nihil poſſunt invenire, & ſæpè ſtultâ æmulatione incidunt in magna pericula. Talis quoque erat Themiſtocles, qui volebat æmulari Demoſthenem, cum tamen tempora eſſent diverſa, unde graves dedit pœnas.

3. *Sicut* Otis odit canem: *ita* tales equites oderunt illos, à quibus vitia ipſorum allatrantur. Et ita hæ aves omnes ſunt ſtolidorum & bibulorum imagines, ut Ottones olim nominati fuerint, ab hoc genere anſerino, quod appellatur Otis, quicunque ſtultâ æmulatione, tardo conatu, & infelici ſucceſſu aliquid tentarent. Uſitatum enim fuit Veteribus, ſumere nomina ab animalibus, quorum aliquas proprietates ſequebantur. Et huc pertinent illi Romanorum Porci, Aſinii, Verres, Galbi, & innumeri alii. Sed reliqua cuivis licet facillimâ ratione conferre.

Caput X.
DE GALLO ET GALLINA. 433

HOc avium genus 1. *crebrò aſpicit cœlum, & avis maſcula valdè eſt ſuperba,* atque in ſuo fimo, tanquam in regno non poteſt pati ſocium, ſed cum ipſo vehementer pugnat, ἔνψυχος & animoſus inſilit calcaribus, qualia Deus dedit avibus volatu minus valentibus & roſtro, ut hoſtem propellat, & cum victor evadit, oculis eminet, cervicem erigit, cantu cõtentioſiori triumphat, cœlum crebrò aſpicit, criſtas erigit. Sentit enim gloriam, & pro gloriâ tanto animo & tantâ vehementia certat.

2. *Utut autem victor vehementer ſuperbit, ita victus conſiderans ſuam infirmitatem ſtatim in ipſo conflictu animum* abjicit, remittit pugnam, & quaſi ſupplex non ſine riſu profugit, tacet, non canit, ſed in proximum latebram ſeſe occultat. Ælianus lib. 4. cap. 27. admiratur illud in gallo, quod quoties in domum aliquam, id eſt, per januam aliquam ingreditur, tamen ſemper ſeſe inclinat, etſi limen fuerit altiſſimum. *Etſi verò* aliqui cauſas hujus rei conantur inveſtigare, & proferunt alias atque alias, gallum hoc facere propter ſuperbiam, ne alicubi offendat ſuam criſtam, quam tantoperè amat, tanquam inſigne regium: tamen verò ſimilius eſt, illum inclinatis oculis ubique novorum locorum quærere grana. 434

3. *Naturam habet calidiſſimam,* unde etiam eſt voraciſſimus, citiſſimè concoquit cibum, appetit novum, gignit multum ſeminis, & quia ſemine eſt ple-

nus, idcircò eſt libidinoſiſſimus, & unus ſufficit multis gallinis. Cumque reliqua animalia omnia Venere enerventur & debilitentur, & ſic omnia poſt Venerem contriſtentur, ipſe ſolus gallus cantat poſt coitum, quia lætatur ſe liberatum eſſe aliqua parte ſuperflui ſeminis.

4. *Liberorum ſuorum eſt amantiſſimus*, & curam eorum ſollicitè gerit, unde ſi emoriatur gallina, ipſe incubat ovis, tumque à cantu abſtinet, quod ſcit, ſe muliebre officium præſtare, & aliàs pro ſuis gallinis tanquam pro uxoribus ſuis, item pro pullis tanquam pro liberis pugnat contra milvos, & contra ſerpentes, & cum videt advolantem hoſtem, clamore ſublato illud indicat, & cogit gallinas atque pullos in unum locum: quin & partum gallinarum levare & doloris participatione ſolari videtur: Nam eis accinit, adeò maritus, etiam inter bruta, partus dolores
435 intelligit, & plus quàm multi inter homines compaſſione ducitur, *inquit Porphyrius 3. de abſtinent. ab animatis.* Ex *Æliano* conſtat, Athenienſes poſt bellum cum Perſis geſtum quotannis inſtituiſſe pugnam gallorum publicam, ut diſcerent cives omnes mala ſuſtinere pro patriâ, pro liberis, pro ſepulchris, pro libertate. Hæc nos ex verbo Dei diſcimus.

5. *Vigilantiſſimum hoc eſt animal*, quia etiam eſt calidiſſimum, & citò conſumit halitus ſoporiferos. A naturâ autem hoc eſt à Deo ipſi inditum, ut præſentiat adventantem diem, illiusque adventum prænunciet hominibus, & ſic pigros excitet ex ſomno. Veſperi enim confert ſe cubitum cum ſole, & mane non patitur ſibi incauto obrepere ſplendorem Solis, ſed prius ſurgit, redit & revocat ad operas. Hoc multò magis

magis hominibus convenit, ſicut Plato dicebat, cum mundo claudendos eſſe oculos, & cum mundo viciſſim eos eſſe aperiendos. Et hæc vigilantia galli imprimis Miniſtris verbi debet eſſe commendata. Ideò *veteres ſapientiſſimi homines, galli imaginem ponere ſoliti ſunt ſuper turres templorum.*

1. *Ut enim gallus* prænunciat ortum Solis, & evocat homines ad operas, *ita miniſter verbi* debet prænunciare adventum ultimi diei, & homines exſuſcitare ad pœnitentiam. *Sicut* & Leones dormiunt apertis oculis; *ita miniſtros* verbi decet pugnare pro ſuis Eccleſiis, inſtar Leonum fortium, & omnem ſemper adhibere, cum opus eſt, adverſus hæreticos & improbos fortitudinem, ne quid detrimenti capiat Eccleſia. 436

2. *Sicut Gallus* Petrum monet de ſuo lapſu, & ex admonitione lapſus jubet reſpicere ipſum ad Chriſtum, qui eo ipſo tempore Petrum aſpiciebat, & agere pœnitentiam; *ita Miniſter* tanquam gallus homines debet admonere de peccatis admiſſis, ſed tamen de agenda ſimul pœnitentia, quando ipſos aſpicit Chriſtus, id eſt, cum per Miniſtrum ipſis offert ſuam gratiam.

3. *Sicut autem gallus cantaturus,* prius explicat cum ſtrepitu alas, & excutit, ſi quid ſordium ineſſet: *ita alios ad pœnitentiam hortaturus concionator,* prius ſeipſum & ſuam domum reformet. Audiatur hac de re *Gregorius lib. 3. cap. 5. moralium.* Gallo ſimilis eſt Prædicator, qui inter tenebras vitæ præſentis ſtudet venturam lucem prædicando, quaſi cantando nunciare. Dicit enim, Nox præceſſit, &c. Intelligentiam Gallus accepit, ut prius nocturni tem- 437

poris horas diſcutiat, & tunc demum voces excitationis emittat, quia ſanctus prædicator in auditoribus ſuis prius qualitatem vitæ conſiderat, & tunc demum ad audiendum congruam vocem prædicationis format.

Et ibidem: Gallus cum edere cantus parat, prius alas ſolerter excutit, & ſemetipſum feriens, vigilantiorem reddit: Ita prædicatores cum verbum prædicationis monent, prius ſe in ſanctis actionibus exercent, ne in ſemetipſis torpentes opere, alios excitent voce, ſed antè ſe per ſublimia facta excutiunt, & tunc ad benè agendum alios ſollicitos reddunt. Prius alis inſonant, quam cantus emittant, quando, antequam verba exhortationis proferant, omne quod locuturi ſunt, operibus clamant. *Hæc ille.*

7. *Plinius lib. 10. cap. 21.* & alii multi exiſtimant, *gallum indicare certa horarum intervalla, & quidem quatuor partes diei*, horam 6. 9. 12. & 3. præterea 4. partes noctis 9. 12. 3. & 6. horam. Et verum eſt & experientia oſtendit, gallos prænunciare adventantem auroram, & forſan hinc dictos ἀλέκτορας quaſi ἀπολέκτορας, à lectis avocantes. Eſtque (*ſecundum Ambroſium lib. 5. Hexaem.*) *galli cantus ſuavis*
438 *in noctibus, nec ſolùm ſuavis; ſed etiam utilis, qui quaſi bonus cohabitator & dormientem excitat, & ſollicitum admonet & viantem ſolatur, proceſſum noctis canora ſignificatione proteſtans, hoc canente latro ſuas relinquit inſidias: hoc ipſe Lucifer excitatus exoritur, cœlumque illuminat, hoc canente mœſtitiam trepidus nauta deponit, omniſque crebro veſpertinis flatibus excitata tempeſtas & procella miteſcit, &c.*

Idem:

Idem: *Iſtius cantu ſpes omnibus redit, ægris levatur incommodum, minuitur dolor vulnerum, febrium flagrantia mitigatur, revertitur fides lapſis, Jeſus titubantes reſpicit, errantes corrigit, denique reſpicit Petrum, & ſtatim error abſceſſit, &c.*

Porrò verum quidem eſt, & jam confirmatum, gallum prænunciare adventum auroræ, ſed non certum nec perpetuum, nec omninò verùm, quod dicitur, cætera intervalla quadrantum diei & noctis diſtinguere. De reliquis enim cantibus galli ita habendum eſt, ipſum interdum temerè cautare, interdum propter has ſequentes cauſas.

1. *Ante Venerem,* cum convocant gallinas, ſicut ſolent omnes aves mares propter urgentem libidinem lætius cantillare.

2. *Quando præſentiunt imminere mutationem tempeſtatis,* id quod ſciunt ex mutato aëre ſicciore 439
in humidiorem propter nubes à longinquo adventuras.

3. *Cum provocant ſuos adverſarios* ad pugnam.

4. Ex *contentione & exemplo aliorum,* unde ſæpè alter, audito alterius cantu, cantat, & ipſe non propter pugnam futuram, ſed ex conſuetudine.

5. *Poſt Venerem,* ut antea dictum eſt.

6. *Cùm potitus eſt victoria,* ut hac ratione oſtendat, ſe eſſe principem & victorem.

7. *Quando gallus etiam præter Venerem cupit colligere greges & gallinas.* *Sicut* autem gallus certis de cauſſis ſolummodò cantat, ita quoque *cantum ſuum intermittit.* 1. *Quando eſt victus* in certamine, 2. quando eſt *caſtratus*, 3. quando *incubat ovis*, 4. *Ælianus l. 15. c. 20.* refert in quodam loco, qui dicitur

citur

citur Nibas, & eſt vicinus Theſſalonicæ in Macedonia, *nullum reperiri gallum, qui cantet, ſed omnes eſſe mutos.*

8. *Naturalis eſſe* ἀντιπάθεια *dicitur inter leonem, baſiliſcum & gallum.* Leo enim, *ſicut ſupra dictum eſt,* putatur exhorreſcere, cum audit vel videt gallum, de quo tamen quid ſentiendum ſit, dictum eſt
440 in Leone, & qua ratione nihilominus illa Patrum ſimilitudo retineri poſſit, ſi quis velit, itidem ſuperius aliquoties admonuimus, Baſiliſcus propè fertur exanimari conſpecto gallo. Cumque in Africa ut innumeri, ita horrendi ſint Baſiliſci, ſolent peregrinatores ſecum accipere gallos, & hac ratione tuti permanent contra baſiliſcos: Id quod *eſt imago piorum,* qui ſunt tuti contra diabolum, quando ſecum habent ſanctos angelos, vel alios pios comites, verbi Miniſtros, &c. Nam *ſicut* gallus vigilat & pugnat pro ſuis; *ita Angeli* & ſancti miniſtri pugnant & ſolliciti ſunt pro nobis. Contemnunt galli equos, vaccas, boves, aſinos, camelos, elephantos & inter eos ſecuri eunt, quin & inſidere audent: parva tamen muſtela prætereunte vel clamante in immenſum terrentur. *Olim Romani parricidas graviſſimo ſupplicio ſolebant afficere,* & ipſos inſuebant in ſaccum, in quem includebatur ſimia, ſerpens, canis, gallus, ſicque projiciebant in flumina. *Simia* inferebatur, quia hæc non eſt homo, ſed videtur eſſe homo, ut ſignificarent, hunc indignum eſſe nomine hominis. *Serpens* accipiebatur, quod ille ſit inimicus hominum, ut indicaretur, talem hominem eſſe publicum hoſtem totius generis humani. *Canis* addebatur,

tur, quia hoc animal proprio ſuo generi non ſolet 441
parcere, ut iterum indicaretur, hunc quoque fuiſſe
impudentiſſimum. Denique *gallus*. captabatur, quia
gallus matrem ſalit, & patrem fodit in gratus, ut
indicaretur, talem etiam & idcircò omnium odio dignum eſſe hunc hominem. *Projiciebatur igitur in aquam*, à quâ abhorrent hæc animalia, ut ſignificarent, extremo ſupplicio dignum eſſe nebulonem, & ſæpè in ipſo ſupplicio maxima fuit pugna horum animalium, quærentium ſibi ſalutem. Repertus enim fuit ſerpens hærens intra dentes malefici, quod voluiſſet prorepere in ventrem, ſed fuerat prohibitus ab ipſo homine. Patet ſimul iſta conſuetudine nonnihil reſpexiſſe veteres ad hanc ἀντιπάθειαν inter ſerpentes & gallos.

9. *Hoc animal valdè eſt induſtrium, nulli parcit labori*, ante cantum alis excuſſis reddit ſeſe aptius ad cantum: Criſtâ tamen amiſsâ perdit magnam partem animoſitatis, & ferociæ. *Eſtque ipſum optima imago regis* in politiâ optimi ſingulis proſpicientis, uno oculo grana quærentis, altero milvum obſervantis: *Miniſtri verbi in Eccleſia*, optimè excitantis; boni œconomi omnia ſua diſtribuentis domeſticis & ergâ omnes ritè verſantis: ubi obſervandum, malam eſſe domum, ubi gallina cantat ante 442
gallum, hoc eſt, uxor dominatur marito γυναικοκρατουμένῳ. Omnes igitur iſti debent eſſe vigilantes, induſtrii, habere curam ſuorum, reliquis præſcribere tempora & diſtribuere operas, pugnare pro ſuis contra hoſtes, tempore læto lætari, triſti contriſtari. Imprimis quoties aſpicitur gallus in turri,

cogi-

cogitemus de lapſu Petri, & de noſtris peccatis. Et ſicut gallus revocavit Petrum ad Pœnitentiam; ita ſciamus nos etiam illo ſigno divinitùs admoneri de emendatione vitæ.

Ad GALLINAM quod attinet, magna eſt in ipſa pietas. Et imprimis illam ſuam pietatem exercet, quoties pullos ſuos excludit, unde non ſine graviſſimâ causâ ipſe Filius Dei, Matth. 23. v. 37. cum lacrymis ſeſe comparat non alteri avi noſtrati, ſed gallinæ. *Quoties volui te congregare, ſicut Gallina congregat pullos ſuos.*

1. *Enim quemadmodum pia* gallina illo tempore, cum incubat ovis, ſæpè *integros dies jejunat*, aut ſi quando de nido deſcendit, vix pauciſſima & raptim comedit, & mox redit ad ova: *Ita ipſa veriſſima pietas Chriſtus gallina noſtra Evangelica*, cum propter nos homines deſcendiſſet de cœlo, quidvis etiam pro
443 nobis voluit pati, famem & ſitim, ſicuti in deſerto per 40. dies jejunabat, in nativitate ſua vix habebat, ubi reclinaret caput ſuum, &c.

2. *Deinde quemadmodum pia gallina laxat plumas*, deponit plumas de pectore ſuo, & ita nudatur usque ad ipſiſſimam carnem, ut calorem internum melius poſſit transfundere in ova: *Ita Chriſtus cum eſſet Deus in altiſſimis, tamen aſpexit nos in forma hominis*, & aſſumſit formam ſervi, ſemen noſtrum, ut ita omnes theſauros ſuæ divinitatis in nos per ſuam carnem in verbo & Sacramentis transmitteret.

3. *Quemadmodum pia gallina tùm temporis deponit omnem timorem*, & cum aliàs fugiat contubernia hominum, tamen fit hiſpida, & tunc audaciſſimè incedit inter ipſos homines, quin & aſſumto novo ro-

bore

bore & indutâ novâ fortitudine pugnat contra ho-
mines pro ſuis ovis & pullis : *Ita Filius Dei, etſi aſ-
ſumſerat etiam infirmitates noſtras,* tamen in illis
ipſis infirmitatibus pro nobis maximo animo, cui di-
vina majeſtas erat conjuncta, in ſeſe recepit horren-
dam iram Dei, pugnavit contra mortem & diabo-
los, & ſeſe ipſum objecit omnis generis crudeliſſi-
mis hoſtibus.

4. *Uti illo tempore,* cum incubat ovis, & jam ex- 444
cludit pullos pientiſſima gallina, tantùm concipit
affectum plenum amoris & mirabilis benevolentiæ,
ut idcircò etiam *raucescat & mutet ſuam vocem,* &
cum anteâ ſuavius cucuriret ſeu cantaret, jam lamen-
tabiliter glocitat : *Ita etiam Filius Dei ex nimio er-
gà nos amore mutavit vocem ſuam* in arâ crucis, cum
exclamaret, *miſerere mei,* &c. Item cum in horto
ſuaderet ſanguineos grumos, h. e. ſanguineas gut-
tas, & exclamaret : *Pater, ſi fieri poteſt, aufer à me
hunc calicem.*

5. *Uti gallina plus eſt ſollicita pro ſuis parvulis
gallinis, quâm pro ſe ipſa,* quia cum cernit granum,
ore illud tenet, & porrigit pullis, & niſi adſint, con-
vocat : *Ita Filius Dei ſemper maximam pro nobis cu-
ram habuit,* tùm in ipſa cruce, tùm in morte, & poſt
mortem. Non enim tantùm ipſe prædicavit veri-
tatem cœleſtem, verùm etiam adhuc hodiè mittit
Prophetas, Doctores, &c. Qui paſcant animas no-
ſtras.

6. *Quemadmodum gallina pullos ſuos fovet ſub
alis,* quas demittit & incurvat, ita ut ipſa nec rectè
cubet, nec verè ſtet, ſed cum moleſto labore vix le-
viter incumbat : *Ita Filius Dei omnibus ſeculis ſub ala-
rum*

445 *rum ſuarum umbra defendit omnes pios,* contra Milvos illos infernales Diabolum, ipſiusque ſquamas, &c.

7. *Et quemadmodum* gallina non tantùm ſui generis aves, ſed & anates à ſeſe excluſas diligit, fovet: *Ita Chriſtus* non tantùm Judæos, ſed & Gentiles recipit.

8. *Et ſicut* gallina provida quærit cibum, & docet etiam ſuos pullos querere cibum roſtro & pedibus, quibus ſcalpit terram; *Ita Filius Dei docet, nos quærere cibum animarum noſtrarum,* ſcrutando Scripturas, & aliis exercitiis ſpiritualibus. Sic Deus congregavit Iſraëlitas in Ægypto, cum ab Ægyptiaco accipitre Pharaone perſecutionem & diſperſionem paterentur, congregavit ſæpiùs in libris Judicum, colligit per Eccleſiam matrem nos adhuc hodiè per duas alas, duo Teſtamenta contra vulpes, accipitres, qui alias nos pullos Chriſti reparent. Ne igitur ſimus ut pulli à matre longius vagantes, mundi voluptatem quærentes, ne revocari amplius voce Paſtoris modò aſpera, modò blanda poſſimus, ſicut Judæi idololatræ facti, Pontificii iis ſimiles & multi in vita improbi, ſed juxta vocem gallinæ Chriſti proximè ambulemus: ova noſtra ſub ipſo ponamus.

1. *Quemadmodum autem gallina eſt* jucundiſſima 446 imago Filii Dei, *ita cum* nos ſimus membra Filii Dei, etiam nobis Chriſtianis hæc ipſa imago convenit, ut mutuam colamus amicitiam, pro nobis invicem pugnemus, &c.

2. *Gallinæ caſtæ* ſunt, & edito ovo inhorreſcunt, & ſtatim poſt partum feſtuca & ſe & ſuum ovum purgant: *Ita Chriſtianos* nihil magis decet quàm ſobrietas

brietas & modeſtia, & caſtitas. Gallinæ incluſæ mallent liberari: & liberæ mallent includi:

Optat ephippia bos piger, optat arare Caballus.
Ita non ſint Chriſtiani, ſed acquieſcant in donis Dei, non appetant aliena, ſed fruantur propriis cum gratiarum actione.

3. Et *ſicut gallinæ* ſunt fertiles: *ita pii* dent operam, ut multos gignant ſpirituales filios, à quibus Deus & in hac & in alterâ vita invocetur.

4. *Sicut gallinæ* dum ſunt vivæ contemnuntur, & ex aulis & hypocauſtis expelluntur, ſed accipitres portantur manibus regum, & dominorum: *ita pii* in hac vita ſunt contemti, ſed impii florent.

5. Verùm *ſicut caro interfectarum gallinarum eſt in magno precio;* ſed accipitres mortui abjiciuntur, ut dilanientur à canibus: *ita in alterâ vita* memoria 447
juſti erit in benedictione, ſed nomen impiorum putreſcet, ſicut *Proverb. 10.* dicitur. Libet autem adſcribere de Gallina, Chriſto, congregante pullos, pios homines, verba *Auguſt. in Joh. tract. 15. cap. 4.* Videtis Patres, quemadmodum gallina infirmetur cum pullis ſuis. Nulla enim alia avis, quod ſit mater, agnoſcitur. Videmus nidificare paſſeres quoslibet ante oculos noſtros, hirundines, ciconias, columbas quotidie videmus nidificare, quas niſi quando in nidis videmus parentes non agnoſcimus. Gallina verò ſic infirmatur in pullis ſuis, ut etiamſi pulli ipſi non ſequantur, filios non videas, matrem tantum intelligas, ita ſit alis demiſſa, plumis hiſpida, voce rauca, omnibus membris demiſſa & abjecta, ut, quemadmodum dixi, etiamſi filios non videas, matrem tamen intelligas. *Hæc ille.*

Similia habet idem Pſal. 58. *Infirmatus eſt usque ad mortem, & aſſumpſit infirmitatis carnem: ut pullos Hieruſalem colligeret ſub alas ſuas, tanquam gallina infirmata cum parvulis.* Non enim in aliqua ave hoc aliquando conſpeximus, earum etiam, quæ nidificant ante oculos noſtros: ſicut parietum paſſeres, ſicut hirundines, tanquam annuæ noſtræ ho-
448 ſpites: ſicut ciconiæ, ſicut aliæ atque aliæ aves, quæ ante oculos noſtros nidificant, & ovis inſident, pullos alunt: Sicut ipſæ columbæ, quas quotidiè vidimus: aliquando avem infirmari cum parvulis non agnovimus, non aſpeximus, non videmus. Gallina quomodo hoc habet: Certè notam rem dico, quæ in conſpectu noſtro quotidiè verſatur: quomodo rauceſcit vox: quomodo fit hiſpidum totum corpus: dimittuntur alæ, laxantur plumæ. Et vides circa pullos neſcio quid ægrotum; & ea eſt materna charitas, quæ invenitur infirmitas. Quare ergò Dominus niſi propter hoc gallina eſſe voluit in Sacra Scriptura dicens: *Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos tanquam gallina pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Congregavit autem omnes gentes tanquam gallina pullos ſuos: qui infirmatus eſt propter nos accipiens carnem à nobis: id eſt à genere humano; crucifixus: contemtus: à lapis cæſus: flagellatus: ligno ſuſpenſus: lanceâ vulneratus. Ergò hoc maternæ infirmitatis eſt: non amiſſæ majeſtatis. *Hactenus ille.*

Non immeritò autem quæritur, cur in ſacrificiis Veteris Teſtamenti crebrior fuerit uſus columbarum, cur ad eadem galli & gallinæ non debuerint
449 admitti? In promptu eſt reſponſio: Galli ſunt rixoſi,

pugna-

pugnaces, gloriabundi, libidinoſiſſimi, emittunt ſemen non modò, cum vident fœminas, ſed etiam cum vident ſuas imagines ſtantes ante ſpecula, dimicant inſer ſeſe, & victus patitur venerem maſculus, mutuoque coëunt cum deſunt fœminæ. Gallinæ fimus multas inutiles herbas dicitur producere, quod paſſim variorum ſeminum granula rapiant. Galli & gallinæ edunt ſtercora humana, evomitiones hominum, araneas, tantum gaudent inſidere fimis, quærere vermes, capere muſcas, inquirere pediculos, & deglubere lapillos, acus, nummos, quin etiam non abſtinent ab inteſtinis mactatorum ſui generis gallorum & gallinarum. Significare igitur voluit Dominus, pios ſibi non ſanctè poſſe ſacrificare talia animalia, & qui Dei cultum purum ſervare volunt, debere à ſimilibus rixis, gloriationibus, libidinibus, voracitate promiſcuâ, & impuritatibus eſſe alienos.

CAPUT XI.
DE PERDICE.

CUm gallina ſit pulchra imago Chriſti, & illorum, qui ſunt vera membra Chriſti, idcirco 450
poſt ipſius hiſtoriam libet ſubjicere voce cacabante utentem Perdicem, quæ habet aliquam cognationem cum gallina, & eſt viva imago illorum, qui non ſunt vera & viva, ſed hypocritica & mortua membra Eccleſiæ. Eſt autem avis hæc nota, & ſicut multa habet communia cum gallinis, ita impii utuntur iiſdem Sacramentis, audiunt idem verbum, ſed

tamen longiſſimè differunt à piis. Ad hanc igitur avem quod attinet.

1. *Paucas habet pennas, ſed multum carnis*, quæ eſt cauſa, quod non poſſit in ſublimia evolare, & ſicut anſer nunquam conſiſtat ſuper arbore, ſed tantùm circa terram potiùs videatur currere, quàm volare. *Sic impii* parum habent veræ fidei, unde non poſſunt elevare mentem, & attolli ſuper arborem Chriſtum, propter gravitatem corporum, & curam rerum terreſtrium, atque potiùs videntur nati eſſe ad opes colligendas, quàm ad invocationem & celebrationem Dei.

2. *Admodum multi fimi & immunda eſt hæc avis, & præ cæteris omnibus libidinoſiſſima*, imprimis maſculus, ita ut etiam capiatur in libidine propoſito ſpeculo, cum adverſus ſuam ſpeciem viſam exardeſcit. Pulli etiam ſubiguntur à matre, ſtatim cum proce-
451 dunt. Item mas, ut libidinem ſuam ſæpiùs poſſit explere, inquirit ova fœminæ, eaque provolvit, ut frangantur. Aut ſi ſcit, parituram fœminam, ab ipſa non diſcedit, ſed expectat. Callida igitur fœmina clam ſolet parere, & ova abſcondere. *Sic impii* negligunt piam educationem ſuorum liberorum, dummodò interim ipſi libidine colligendi opes ſatient animum. Et certum eſt, plerumque mares iniquiores eſſe piæ & eruditæ informationi liberorum, cum fœminæ ex naturalibus ϛοργᾶς ſemper malint ſuos fœtus reddi humaniores, & de præcipuis rebus rectè erudiri.

3. *Si fracta fuerint ova perdicis, tanta eſt in ipſa calliditas, ut aliis avibus ſua* ſubtrahat ova, eaque excludat, & foveat. Verùm pulli agnoſcentes, illam non

non eſſe nativam matrem, recedunt, & ubicunque audierint vocem illius, ex qua ſunt geniti, ſtatim illi ſeſe aſſociant. Hanc proprietatem hujus avis annotavit, & ad injuſta lucra applicat ipſa Scriptura Jerem. 17. v. 11. ubi hæc ſunt verba: *Perdix fovit quæ non peperit, fecit divitias & jam in judicio, in dimidio dierum ſuorum derelinquet eis. Quemadmodum igitur perdix* non poteſt retinere illos pullos, quos ex alienis ovis excludit, & pulli recedunt antequam adoleſcant: *Ita* qui injuſtis titulis cumularunt ingentes opes, non gaudebunt de illis, ſicut 452
dicitur:

De malè quæſitis non gaudet tertius hæres.

Et in ipſo flore totus ille honor divitiarum evaneſcet. Nam juſto judicio Dei tales homines, aut morte temporali intereunt, ne poſſint frui ſuis divitiis, aut moriuntur ſine hæredibus, aut hæredes non habent alios hæredes, ſicut Oraculum protulit verſum:

Καὶ παῖς, καὶ παιδὸς καὶ παιδῶν ὐκ ἐπ
παιδές.

Et filius, & filii hominis, ſed nulli filii filiorum
iſtis fruentur amplius.

Aut etiam illo impio adhuc vivente bona injuſta vel flammis vel inundationibus, vel à furibus auferuntur, ut poſſit dici illud:

Irus & eſt ſubitò, qui modò Crœſus erat.

4. *Cum Scriptura ipſa ova accommodet ad divitias*, jam videamus, quo ſtudio perdices ſoleant curare ſua ova & ſuos pullos, quæ erit imago laborum & diligentiæ, quam adhibent impii in colligendis &

conſervandis ſuis divitiis. Itaque cum perdix habeat grave corpus, nec poſſit ſaluti ſuæ conſulere volando, ſicut aliæ aves, idcircò non facit nidum ſicut aliæ aves, ſed aream quandam in loco aprico in-
453 ter vepres præparat, & in illam deponit ova, item cum vehementer metuat illis ovis, ſæpenumerò ea transportat in alia atque alia loca, neque in illis locis excludit pullos, ubi genuit ova, ſed ſubinde transfert nidum, & pullos, eosque ſemper molli arenâ conſpergit. Præterea alioquin pullos ſuos non ſolet diu domi detinere, ſed mox educit, ut cibum ſibimetipſis quærant, qui propter gravitatem corporis non ſatis ciborum pullis afferre poteſt.

5. *Etiam contra Venatorem mirifica calliditate utitur.* Quando videt hominem ſibi vel pullis ſuis, vel ovis etiam ſtruere inſidias, advolat ipſi obviam, & non longè ab ipſo in terram quaſi ad pedes provolvitur, & ſimulat, quaſi poſſet capi. Itaque venator inhians optimæ prædæ, ipſam unicam obſervat, quæ tamen pedetentim nonnihil, ſed parum recedit à venatore. Venator inſequitur, ſed adhuc nonnihil recedit. Poſtquam igitur animadvertit, ſe ſatis abduxiſſe venatorem à nido, cum lætâ voce avolat, vocem ſtatim cacabantem exaudiunt pulli, & ſeqvuntur matrem. Si volare nondum poſſunt, docuit ipſos mater glebulis & feſtucis ſeſe tegere & operire, ut non poſſint reperiri, licet venator diligen-
454 ter inquirat, & ſingulos ſulcos vel manu palpet. Hoc ipſo modo mater interdum ſeipſum occultat, quando ſatis obduxit venatorem à nido, atque interdum ſinit prævolare ſuos pullos, & ipſa mater ſeſe abjicit ante pedes venatoris, & ubi videt juſtum ſpatium eſſe reli-

rdictum, proſequitur. Hoc primo iniquorum omne ſtudium & omnis calliditas præfiguratur, quo ſuas divitias contra fures & alia detrimenta conſervare conantur. Volatu non valent, id eſt, non habent veram fiduciam in Chriſtum, ſed Mammon eſt Deus ipſorum, quem ſubinde transferunt & abſcondunt, neq; patiuntur deliteſcere, ſed in uſuram erogant, &c. Poſtea tamen in his ipſis delineatur ſummus amor parentum erga ſobolem, quorum officium eſt proſpicere ſobolis commodo, etiam cum periculo vitæ & impenſis, ita urgente neceſſitate & pietate. Utique ſi avis adeò ſolerter docet ſobolem de fugiendis periculis, quantò magis homo ſuos liberos inſtruet ad effugienda corporalia, & æterna pericula.

6. *Mira etiam calliditas fertur manſuefactæ perdicis, qua utitur, ut alias perdices feras poſſit compellere in retia.* Itaque venator expandit retia, & latet in caſulâ quadam, & inter retia alligat perdicem, manſuetam unam, maſculum vel fœminam. Hæc 455
ſuo cantu advocat feras alias, & quidem maſculi advolant, ut cum maſculo pugnent, ſed fœminæ, ut cum maſculo libidinem exerceant. Unus igitur maſculus ubi advolaverit, conatur luctari cum propoſita perdice inter retia, & hæc quaſi timens recedit, ut ita ſylveſtris perdix ſponte incidat in retia. Uno ex maribus capto ſubinde inſeqvuntur alii, ne videantur palmam concedere laceſſenti perdici; quæ ſemper retrahit pedem, ſimulans ſe timere, & ita cum ſummâ voluptate ſubinde plures ducit in captivitatem. Hæc *poteſt imago dici fraudum mundanarum.* Ita enim magna eſt vafrities filiorum hujus mundi, & ſicut piæ gallinæ viſo milvo exclamant, ut cæteræ ſibi poſ-

 bi poſ-

bi poſſint cavere, ita pii pios contra pericula admonent, ſed impii ſunt ἐπιχαιρέκακοι, gaudent aliorum interitu, & ſicut Diabolus, cum non poſſit ſalvari, mallet omnes ſecum abducere in gehennam, ita impiis nihil eſt ſuavius, quàm ſi poſſint multos habere ſocios æternæ damnationis.

7. *Eſt in hac ave ſingularis quadam malitia.* Nam dum fœmina fugit marem, ut excludat ova, interim mares tanta flagrant libidine, & tàm graviter inter ſe pugnant, ut quicunque ex ipſis fuerit victus, cogi-
456 tur pati Venerem maſculam, donec enervetur ille, qui infert libidinem, tunc enim & ille hoc ipſum facere cogitur.

Aliàs mares ſemper verſantur cum fœminis, & hac ratione animantur, ut in pugnâ propter fœminas ſint audaciores, neque committant, ut adverſario ſuccumbant. Eodem modo impii gulæ, avaritiæ & aliis vitiis dediti, ut affectibus ſuis ſatisfacere queant, non levia committunt peccata, rapinas, latrocinia, fraudes grandes, ſicut perdix non ſimplicem ſcortationem, ſed execrandam exercet. Huc pertinet, quod Apoſtolus conqueritur *Rom. 1.* de ſimilibus horribilibus peccatis, quæ commiſerunt Ethnici.

8. *Quamdiu perdix Niſum, qui eſt ſpecies quadam accipitris, videt in aëre, tam diu manet in ſuo loco, neque ſurgit de terra.* Itaque aucupes dictum niſum in haſta quadam ſolent portare, & ita deferre per agros, ut incidant in perdices. Eodem modo impii quamdiu audiunt fulmina, & vident alias manifeſtas pœnas divinas, terrentur & ſimulant pietatem, atque patiuntur ſibi concionari, ceſſantibus illis redeunt ad ingenium.

9. *Ferunt*

9. *Ferunt tantam ineſſe ſagacitatem huic avi*, ut matris vocem inter omnes alias agnoſcat, ſæpè furtivis ovis incubat aliqua: Sed excluſi pulli à ſpuria matre avolant. Huc videtur reſpicere Jeremias cap. 17. v. 11. *Perdix congregavit, quæ non peperit:* Sic bona malè parta tandem deſerunt iniquos hæredes. Poteſt illud tamen etiam eſſe imago piorum, qui in retia Dæmonis quandoque incidunt, & ab illo poſſidentur. Mox verò ſapere incipientes agnoſcunt Chriſti verbum, & à vitiis per pœnitentiam converſi ad Christum ad veram Eccleſiam matrem revolant. 457

Tales dæmonis pulli fuerunt Ethnici, qui poſtea Christi & Apoſtolorum voce quàm optimè colligebantur ad cœtus ſacros. Hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus avis.

Hùc autem pertinet etiam Tetrix ſeu Urago, (ein Auerhan) quæ tamen major eſt quovis gallo maximo, & nidum ſuum ponit in frutice, non in terra, non in arbore, ut ita magis ſit ſecura. Ab aliquibus appellatur *Pavo ſylveſtris*, item *Phaſianus agreſtis*. Hùc item pertinet *Tyringas*, hoc eſt, gallina aquatica; quæ ſic dicitur, quia amat loca aquoſa. Item huc pertinet corylorum gallina *Attagen*, (ein Haſel oder Birckhun) quæ eſt avis vocalis, ſed capta prorſus obmuteſcit. Et eſt imago illorum, qui cum ſunt liberi, liberè loqvuntur, ſed cum dominatur Tyrannis, obmuteſcunt: nec palam proferunt veritatem. Volvitur etiam hæc avis plerumque in pulvere, & habet breves alas, propter quas difficulter poteſt evolare, cum accedat gravitas corporis. Valdè etiam infeſtatur pediculis, & occideretur ab ipſis, niſi ſubinde 458

pulvere provolveretur. Hujus etiam loci *Phaſianus*, qui frequens eſt circa fluvium Phaſiadem, unde etiam nomen habet, dicitur eſſe animoſus & audax, roſtrum in terra figere & putare, quod totus lateat.

CAPUT XII.
DE ACCIPITRE.

DE Accipitre ita ſcribit *Philipp. Cam.* in ſucciſ. cap. 21. *Memorab. 1.* quod tradunt, *Accipitrem calidioris temperamenti paſſerculi unguibus implicitum, noctu ſibi pectore ſolitum admovere, eoque ſe à frigore tueri, manè illum illæſum, ut beneficii memorem dimittere. Rem ſimilem de aquila & columba nonnulli produnt.* Hæc ille. Sed ſi hoc ita ſeſe habet, rectiùs fecerimus, ſi dixerimus, hoc fieri ideò, quod cum potuiſſet, tamen noluerit crudelitatem exercere, id quod imitandum eſt regibus. Omnium
459 impiorum, adeoque horum capitis diaboli expreſſa imago eſt propoſita in accipitre, ave notiſſima, ut etiam hiſtoriæ habent, Dæmonem in hac forma multis apparuiſſe. Et initio quidem *hoc nomen eſt generale nomen omnium avium rapacium. In ſpecie verò Plin. lib. 10. cap. 8.* multas recenſet formas accipitris, quæ annotantur in libello rei numerariæ, & animalium, edito ab *Ebero & Peucero*, ubi nominantur Butæo, Æſalo, circus, quem etiam Falconem vocant, ſtellaris accipiter, palumbarius accipiter, pernix accipiter, vel gyro falco, ſubbuteo perca vel niſus. (Sperber) fringillarius, Rubetarius, Levis accipiter,

ter, denique nocturnus accipiter, qui dicitur Cybindus.

Et 1. *quidem vix ulla inter aves in tanto precio eſt apud magnates, atque hæc*, quia quingentis aureis empta quandoque fuiſſe ſcribitur. *Demetrius Conſtantinopolitanus* mandato Regis ſui ſcripſit prolixum librum ſolummodò de hac ave, *& totam partem libri conſumit enarrando quosvis morbos*, quibus hæc avis ſolet eſſe obnoxia, & ſubjiciendo medicamenta contra omnis generis morbos avis hujus. *Sic impii* in hâc vitâ apud omnes maximam habent auctoritatem, & exiſtimationem, & omnes alii coguntur ipſis inſervire, monſtrare cauſas morborum, & in- 460
dicare remedia, cum paſſim pii homines negligantur in aulis, ſicut gallinæ contemnuntur. Sed ſicut interfectæ gallinæ lavantur, coqvuntur & loco inſignis cibi apponuntur, *verùm accipitres mortui canibus devorandi projiciuntur, ita poſt mortem pii* erunt in gratia & delitiis apud Deum, *ſed impii* Diabolis deglubendi tradentur.

2. *Hæc avis ipſis aquilis vix eſt inferior, imò à quibusdam recitatur inter ſpecies aquilarum.* Nam & degeneres volunt numerari inter ſtrenuos. *Et ſicut* accipitres non cedunt aquilis in habilitate aucupii; *ita* ſæpenumerò impii, quoad externam ſpeciem, ipſis piis laudem præripiunt.

3. *Viſus acumine plurimum valet hac avis*, ita ut Solis radios adverſos ſine omni impedimento intueatur, & intentis oculis rectâ evolet verſus cœlum. *Nam & Diaboli & impii* imprimis valent aſtu & calliditate.

4. *Maxima in ipis eſt celeritas*, unde à magnatibus

bus cicurantur in exitium & perniciem ſimplicium avium. Odimus accipitrem, quia ſemper vivit in armis. Dicitur nulli parcere animali, quod ſuperari poteſt, nec ſuis ipſius ſpeciebus: *Id quod eſt imago*
461 *potentum* diſturbantium imbecilliores, etiam ſuos, quibus parcere meritò debebant. *Vide* capto CHRISTO Apoſtolos, ut columbas diſturbari ab accipitre Marcus ſcribit. Sed viciſſim habet paratum accipiter vindicem, aquilam videlicet: Ita Deus novit peccata potentum flagellare per ſimiles potentes in bellis, &c.

5. *Quantum ipſis natura ſeu DEUS denegavit in magnitudine, tantum recompenſavit in fortitudine,* cum pari calliditate conjunctim data. Itaque ſicut non verentur ullam avem, in quam non facerent impetum: Ita ſunt ejus diverſi modi, quia aliqui accipitres non rapiunt aves, niſi ex terra, alii nullas prædantur aves, niſi quæ volant circa arbores, alii tantùm rapiunt ſedentes in ſublimi, alii volantes in aperto aëre. Et hoc non ignorare columbæ perhibentur, unde viſo accipitre ſtatim diſtingvere dicuntur unam ſpeciem ab altera, ut vel confidant, vel ſubvolent, contra naturam ipſorum ſibimetipſis afferentes auxilia. Eodem modo Diaboli alii atque alii, alias atque alias offerunt occaſiones, quibus decipiant homines, & ex illo magiſtro impii adulteri vel fures norunt & ipſi mille occaſiones & modos peccandi. Vice verſa mille medicinas ex Scripturis adverſus tales inſidias
462 Diaboli & ſuggeſtiones ac concupiſcentias carnis meditari & in promptu habere decet pios. Lepori oculos primùm eruere dicitur accipiter: ſic Diabolus homini timorem Dei.

6. Ma-

6. *Magna tamen in ipſis eſt temperantia,* quia ſi
plus comederint, fiunt pigri, ſi parum fiunt debiles,
ita ut diu non poſſint vivere. Turpiſſimum eſt, avi-
um harum virtutem illam non poſſe & non velle imi-
tari creaturas illas, quæ ad imaginem Dei ſunt con-
ditæ.

7. *In Thracia dicitur eſſe quoddam genus accipi-
tris,* quod habet commercium cum hominibus. Nam
dum homines ſolent tendere retia, interim ipſi com-
pellunt aves, hocque tamdiu faciunt, quamdiu fiunt
participes prædæ. Si enim non fiunt participes, non
amplius præſtant officium. In Ægypto dicuntur
quidam eſſe, qui nunquam diſcedunt à Dominis ſuis,
modò ipſorum animadvertant benignitatem. Hæc
eſt imago veneficarum, colludentium cum diabolis,
qui tamdiu patiuntur ſeſe devincire fœdere, quam-
diu accipiunt partem prædæ, hoc eſt, à veneficis co-
luntur cultu aliquo ſacro.

8. *Non edunt fruges,* (unde *Auguſtinus lib. 2. con-
tra Manichæos, panis hominem alit, accipitrem ne-* 463
cat,) ſed rapiunt cadavera & aves, amant cædes &
cruorem, ſorbent ſangvinem, & ſangvine alunt pul-
los ſuos. Præterea *ſunt crudeles in ſuos pullos,* quia
valdè maturè eos expellunt ex nidis, & aſſuefaciunt
prius ad prædam allatis aviculis: *ita impii* & impri-
mìs avari & uſurarii ſeſe alunt alieno ſudore & ſan-
gvine, & hanc ipſam turpem artem maturè docent
ſuos liberos.

9. *Admirandum eſt,* quod refert *Ælianus, conſpe-
cto cadavere hominis hanc avem quaſi miſericordià
affici,*

affici, oculis ejus terram ingerere: cum tamen apud homines multos non fiat, quod dicitur:

Pugna ſuum finem, cum jacet hoſtis, habet.

10. *Ipſorum* oculos claudere ſolent domini, ne poſſint volantes conſpicere aviculas: præterea pedibus alligant laqueos, ne pro lubitu evolent: Ita Deus diabolis & impiis ſolet certos præſcribere limites, quos non poſſunt tranſilire in perſequendis piis.

11. *Si prædam* primo volatu non aſſeqvuntur, *ſtatim ceſſant & non redeunt ad homines*, quia ferunt victoriam non impetratam ægerrimè: Reperiuntur autem ibi, ubi cæteræ aves volitant & vociferantur: *Ita diabolus fremit*, cum videt, pios non poſſe venire in ſuam poteſtatem.

464 12. *Eſſe quoddam genus perhibetur accipitrum, quod dicitur Cenchris, valdè libidinoſum*, amans fœminas, & vehementer clangens, cum videt diſceſſiſſe fœminam. Ita diabolus ab initio fœmininum ſexum ſibi elegit, tanquam infirmiorem, & experientia teſtatur, ipſum adhuc hodie in veneficiis potiſſimùm operâ uti fœminarum.

13. *Quando laborant ex oculis, ſolent exprimere ſuccum ex lactuca ſylveſtri, & illum imponere oculis*, unde oculorum medicina dicitur Hieracia, q. d. accipitraria. Quemadmodum verò aliæ aves ſub adventum hyemis volant verſus meridiem in terras calidas; Ita hoc ipſum facit accipiter, id quod videtur Deus ipſe indicare Jobi 39. v. 29. *Nunquid per intelligentiam ſuam volat (aliqui legunt, plumeſcit) accipiter expandens alas ſuas ad Auſtrum.* Quibus verbis

verbis hoc indicatur, Deum indidiſſe hanc calliditatem avibus, ut circa hyemem quærant idonea hoſpitia: Qui legunt plumeſcere, ita interpretantur, accipitrem excutere veteres plumas & poſtea alas expandere ad Solem, ut aperiantur pori corporis ipſius, & ſic prodeat nova materia plumarum. Sed prior ſententia magis arridet. Inter genera accipitrum refertur etiam *Milvus*, qui videtur dici *à mollitie, quia habet mollem volatum, mollem etiam vocem.* 465
Habet corpus ſatis grande, ſed tamen non tantum animi, cum Falco & Niſus triplo ſit minor, & tamen ſua animoſitate vincat milvum. Eſtque pro modo corporis vox in milvo nimis tenuis, ita ut vix audiatur. Et quia in ipſo non eſt tantum animi & caloris; idcirco tardè ſolet ſeſe committere aëri, tempore verno, quia ſcilicet non poteſt leve etiam frigus ferre. Unde certiſſimum indicium evaneſcentis frigoris hyberni eſt adventus milvi. Tàm celeriter poteſt volare, ut in altum projectas carnes, ex alto ſit aſſecutus ſæpiùs, antequam terram attingerent, ſæpè tamen videtur immotus in aëre altiſſimo hærere, cum ſcil. prædam ſpeculatur & expectat. Semper autem hæc avis eſt famelica, ſemper inſidiatur pullis gallinarum, & eſt imago rapacium, atque inſidiantium divitiis, v. c. latronum & furum, qui etiam habent mollem vocem, mollem volatum, quia omnia faciunt clam, in abſcondito, veneno vel aliis inſidiis è medio tollunt gallinas, i. e. ubi ſciunt aliquid reconditum eſſe. Hoc autem mirabile eſt in milvo, quod audax apparet in parvis, ſed timidus in magnis, quia non audet invadere aves ſylveſtres, ſed tantùm rapit domeſticas. Fortaſſis aves ſylveſtres poſſunt 466
eludere

eludere ipſius inſidias, quia ipſum cavent, ſed domeſticæ ſunt ſecuriores,& putant ſibi ſatis relictum eſſe præſidii in domiciliis & urbibus. Sic tutos ſibi viſos, mundanis negotiis implicitos magis ambit Diabolus, præſertim pullos, hoc eſt, in ætate juvenili ſecuros. Cumque Diabolus formica ſit magnis, leo & accipiter timidis, ideò homines omnes verbo ſeſe reddere firmiores allaborent. Eſtque magnus labor, quem ſuſtinet hæc avis, quia pro exiguo cibo cogitur toties circumvolare per æthera,donec tandem pullum aliquem ex improviſo capiat: Ita latrones verè plurimos ſuſtinent labores & verſantur in perpetuo metu, & tamen vix tandem aliquid ſortiuntur. Circa ſolſtitium dicuntur hæ aves affici à podagra, ſo geſchähe den Hünerfreſſern recht/ ſic etiam latrones & fures tandem coguntur fieri podagrici in carcere & in compedibus. Impietatem in ſuos pullos exercet, quia dum videt illos reddi pingviores, invidet, & roſtro verberat corpora, ut ex dolore & vulnere contabeſcant. Propter horum vitiorum ſymbola accipiter & milvus in Scriptura, Levit. 11. Deut. 12. *numerantur inter aves immundas.* Dicunt au-
467 tem nunquam videri nidum accipitris & milvi, ſicut etiam vulturis, item ardeæ (Reyher) nimirùm quia nidificant in deſertis, in locis remotis & abditis, unde Scriptura minitans deſolationem regionum, dicit tales illas futuras, ubi habitet milvus, & ardea, & vultur. Et Pſal. 102. *David comparat ſeſe ejuſmodi avibus ſolitariis,* quia tempore ærumnarum ſuarum fugiebat hominum commercia. Sicut curis anxiis pleni amant ſolitudinem. Et ſatis de iſtis inimicis avium, quas alii comparant cum iſtis advocatis, qui

malas

malas cauſas fovent, & deplumant ac dilaniant homines utriusque partis. Cuculum ex accipitre fieri vel contrà, falſum eſt.

Caput XIII.

De Vulture, Ardea et imprimis Onocratulo.

ETſi vulgò putatur vultur cognationem habere cum accipitribus, tamen certum eſt, plus diſtare illum ipſum ab accipitribus, quàm cum ipſis convenire, cùm potiùs magnam habeat cognationem cum aquilis.

Et 1. *quidem accipitres, & milvi aucupantur viva animalcula,* ſed vultur nullum occidit animal, ſicut
nil etiam attingit eorum, quæ homines ferunt, plan- 168
tant, alunt. Itaque apud Veteres dicebatur avis innocens, & erat præcipua in auguriis, ſicut ex nomine indito clariſſimæ urbi Romae aliqui colligunt & referunt. *Ennius in ann. Plutarch. in quæſt. Rom. & in vita Romuli.* Cùm enim duo fratres Remus & Romulus in diverſis montibus obſervarent auguria, & quidem conveniſſent ita, ut qui prior videret plures vultures, de ſuo nomine cognominaret urbem: factum eſſe dicunt, ut Auguria prior captaret Romulus, & cerneret duodecim vultures, unde ab ipſo Romulo, non autem à Remo fuit nominata Roma.

2. *Tantùm vivit cadaveribus,* & videtur à ſapien-

te natura ſeu Deo hoc ipſum genus avium ideò productum eſſe, ut ſint tanquam animata ſepulchra, tanquam publici veſpillones, qui non patiantur aërem infici venenatis halitibus, exhalantibus ex cadaveribus, ſed ubicunque deprehendunt aliquod cadaver, ſumma cum celeritate advolent.

3. *Valet odoratu tanto*, ut per 50. millia paſſuum, ex aliis locis advolare ſcribatur à *Thoma Aquinate l. 2. de anim. comment. 97. ad dilanianda cadavera.* An verò hoc præciſè olfactui vulturum poſ-
469 ſit eſſe poſſibile, cum vapor etiam maximus tàm longè ſpargi nequeat? alii rectius expendant. Valet odoratu vultur, ſed non tanto. Neque tantùm odoratu, verùm etiam viſu plurimùm pollet, ut procul poſſit videre cadaver.

4. *Magnum eſt, quod tantum habere exiſtimatur ſagacitatem, quòd ſolet comitari milites prodeuntes in bellum.* Ita enim eum concludere dicunt, milites armatos inſurgere adverſus alios milites armatos, id quod non poſſit fieri ſine cæde & ſanguine. Et milites plurimùm metuiſſe conſpectis his avibus ſcribuntur, quod ex mirabili inſtinctu naturæ triduo & amplius ſæpè deprehenſi ſunt præſentire pugnam. Laur. Joubertus Medicus de peſte refert, *vulturum (gregatim volantium) adventum peſtem etiam præſagire.* Id quod medicis excutiendum datur. Conſtat ipſius alia ſagacitas vel virtus etiam ex hoc, quòd à volucribus & præſertim vulturibus mortuis abſtinet, quaſi ex honore cognationis ſuæ.

5. *Reliquias cadaverum defert ſuis pullis in nidum,* non relinquit aliis avibus, ſicut ſolet facere aquila. Et pro cadavere celerrimè poteſt deſcendere, ſed difficulter

ſiculter iterum aſcendit. Habet enim tardum volatum propter corporis molem & gravitatem. Et in 470
hominum cadavera maxima cum aviditate involat, absque dubio, quod humanæ carnes præ reliquis omnibus ſint temperatiſſimæ.

6. *Vanum eſt, quod omnes vultures judicantur eſſe fœminini ſexus.* Pariunt ſine dubio multa quidem ova ſubventanea, qualia ſæpè gallinæ pariunt absque conjunctione galli. Sed errant, qui exiſtimant, ova ſubventanea vulturum eſſe fœcunda. *Baſilius Magnus* olim contra Gentes, diſputantes contra nativitatem Christi, exempli loco adduxit ova ſubventanea vulturum, ut oſtenderet, ſi natura in his fuit fœcunda, quòd multò magis in aliis poſſit eſſe fœcunda. Verùm ad perſuadendam Ethnicis conceptionem carnis Chriſti ſine copulâ virili, Baſilius longè alias rationes adhibere potuiſſet & debuiſſet in *Hexaem. div. offic. homil. 8.*

7. *Vultures vehementer oderunt ungventa, & ſuaves odores,* quod aſſueverint cadaveribus, unde dicuntur mori, ſi olfaciant pulchros odores.

8. *Dicuntur pennæ vulturum incenſæ ex latibulis provocare ſerpentes,* id quod annotat *Ælianus l. 1. c. 47. de anim.* Porrò minor quidam *vultur ſeu avis cognata vulturi eſt illa,* quæ á piſcibus nomen ha- 471
bet, & frequenter verſatur circa flumina, in qua ſe dentergit, ut capiat piſces. *In genere autem vultures quidnam ſignificent,* ex hoc ſolo poteſt eluceſcere, quod Seneca invehens in illos, qui expectant aliorum mortes, & ex teſtamentis aliquid ſperant, ita ait: *Si vultur es, cadaver expecta.*

1. *Sicut* igitur vultures vivum animal non attin-

gunt; *ita* tales homines ante mortem aliorum non poſſunt diteſcere.

2. *Sicut* vultures tantùm vivunt cadaveribus; *ita* plurimi ſunt, qui nec laborant, nec honeſta exercent commercia, ſolummodò ſperant, ſe aliquid adepturos ex hæreditatibus, contra illud Catonis: *In mortem alterius tu ſpem tibi ponere noli.*

3. *Sicut* vultures præſentiunt cadavera triduo: *ita* multi ſunt, qui nil agunt, niſi ut explorent, quænam ſint bona feudalia, quæ fœminis non poſſunt diſtribui, unde ipſi illa bona precario à Principibus maturiùs expetunt, viventibus prioribus dominis. Cujus rei exempla quotidiè ſunt infinita, niſi eſſent otioſa.

4. *Sicut* vultures reliquias prædarum non relinqvunt aliis avibus, ſed deferunt ſuis pullis: *ita* ta-
472 les bonorum feudalium & teſtamentorum captatores præ nimiâ invidiâ & avaritiâ nil contribuunt in conſervationem Scholarum & Eccleſiarum, ſed quicquid corradunt, illud omne ſuis tantùm reſervant, contra illud ex *Salomone* vulgariter citatum: *Fontes tui deriventur foras; ſed tu maneas Dominus eorum.* Tales igitur facilè deſcendunt in terram, ſed difficulter evolant in cœlum, ut vultures.

5. *Sicut* vultures emoriuntur ſuavibus ungventis: *ita* tales exanimantur, quando jucundis abhortationibus divinis ad frugem revocantur. *Baſilius homil. 11.* de invidiâ pulchram ſimilitudinem inſtituit *inter invidos & vultures.*

6. *Sicut* enim vultures feruntur per multa prata, circumvolitant loca odorata & amœna, vident animalia ſana & pulchros homines, ſed deſcendunt tandem

dem tantummodò ad cadavera tabida & feculenta; *ita* quoque invidi non ſpectant in aliis vitæ ſplendorem, rerumque benè geſtarum magnitudinem, ſed tantummodò manca & fragilia, levia nimirum errata, hæc obſervant, hæc divulgant, ex his judicium de hominibus, quos oderunt, fieri volunt. *Alii* exprimunt hanc naturam invidorum per ſuem. Sus in hortum ingrediens, nec roſas, nec lilia, nec violas, 473 nec pulchra viridiaque gramina, ſed ſepimentis recenter appoſitum, & ſibi ſuaviter olens ſtercus avidiſſimo curſu perſequitur & devorat.

2. *Sicuti* vultures præſagire dicuntur bella: *ita* poſſunt dici imago ſeditioſorum, qui hinc indè rixas excitant, ut ipſi indè poſſint aliquid lucrari. Sic multi turbant pacem Rerumpubl. ut aliorum ſangvine vivere queant.

ARDEA *vel* ἐρώδιος, (Reiher.)

Ardea eſt avis, *magnitudine galli magni, propè habens figuram Cygni, delectatur paludibus, è quibus evolat in ſolitudines, & fertur volatu altiſſimo, unde etiam nomen accepit quaſi ardua.* Eſt autem 1. *prædæ avidiſſima,* valdè animoſa, ſimilis quidem cygno, vel ſtruthioni quoad pennas, ſed quoad vocem valdè inepta, præſertim illa ipſius ſpecies, quæ appellatur *Onocratulus,* quæ longum habet roſtrum, ventriculum ſeu uterum unum à faucibus ad pectus usq; unde valdè eſt guloſa ſeu valdè vorax, inſidians imprimis anguillis. Dicitur ab ὄνος, id eſt, aſinus, quia cùm roſtrum ſuum immergit vel in aquas, vel inter arundines, & efflat ſpirium, edit ſonum obſcurum, ſed magnum & gravem propè ſimilem rugi-

tui aſinino. Apud Germanos nomen accepit ab a-
474 rundine, Rohrtrummel/ quia amat loca arundinoſa, ſabuloſa & deſerta. Unde *Pſal 102.v. 7. David conſtitutus in anguſtiis, dicit ſe eſſe ſimilem factum Pelecano ſolitudinis, id eſt, ut alii malunt, Onocratulo.* Item *Pſal. 104. v.17.* cùm ſermo eſt de ſylvis & deſertis, additur herodii, i.e. ardeæ domus, dux eſt eorum, id eſt, in deſerto in altis abietibus nidificant herodii ſeu Ardeæ, & fortaſſis *hæc avis non ineptè poteſt conſtitui imago iſtorum Magnatum, & aliquot nobilium, qui non curant bonas literas neque religionem*, ſed barbaram ducunt vitam, tanquam Centauri, & Lapithæ & Cyclopes.

1. *Sicut* igitur ardea inhabitat deſerta, & nidificat in abietibus; *ita* tales in ſylvis, in locis remotis à commerciis hominum, ſed tamen ſplendidè habitant in ſuis arcibus.

2. *Et ſicut* Onocratuli, qui ſunt præcipua ſpecies ardearum, valdè ingratum edunt ſonum: *ita tales Cyclopes* alieni ab omnibus Muſis nihil poſſunt proferre, quod commendationem aliquam mereretur.

3. *Sed ſicut* vox Onocratuli eſt inſuavis: *ita* tales nihil eructant, niſi convitia in Deum & homines, de ſuis leporibus & equis tantummodo, utpote ineptiſſimi ad gubernationem politicam honeſtam & u-
475 tilem. 2. *Mirabilis dicitur eſſe ipſius ardeæ natura*, quia quando ſeſe demiſit in aquam, & pedibus immota conſiſtit, mox piſciculi occurrunt, allecti odore & ſuavitate pedum ipſius. Adhærent autem pedibus, donec ab ipſa devorentur. Et dicitur Ardea imprimis inſidiari anguillis, habere duos ventriculos, in uno capere, in altero coquere cibum. Etſi verò hoc

hoc accommodant aliqui ad peccatum, quod ſua dulcedine multos allicit, ſed allectos perdit, tamen nihil vetat, quò minus hoc ipſum applicemus ad Cyclopes pleonecticos, qui ſæviunt in miſeros ruſticos.

3. *Julius Cæſar Scaliger* refert, *ſuum cognatum habuiſſe ardeam in ædibus, quæ tantæ fuerit voracitatis,* ut devorarit ipſo aſpiciente integrum os vervecinæ coxæ. Præterea addit, ardeam ſenſim acceſſiſſe ad alveolum, ex quo bibebat paſſer, quem incautum, & nihil tale metuentem propter diſtantiam ſatis manifeſtam repentinâ colli porrectione transfixerit, poſteaque integrum deglutierit, non tamen priùs, quàm aqua illum abluiſſet. In quibus proponitur imago deteſtandæ helluationis, quæ ſolet vigere inter illos, qui propter nobilia ſtemmata virtuti maximè debebant eſſe addicti, & qui ſæpe contra jus & fas incautos & innocentes lædere non verentur, 476
pellere in exilium, vel aliis modis torquere, modò bonis ipſorum tandem fruantur.

4. *Magna eſt ἀντιπάθεια inter ardeas, deinde aquilam, vulpem, alaudam. Aquila* cogitur pugnare cum ardea, ſed vincit: ita Principes ſemper coguntur cum talibus nobilibus, privilegia ampla ſpirantibus & extorquentibus, rixari. *Vulpes* capit ardeam: ita mercatores aſtuti omnis generis merces inſinuant talibus, ut ipſos pecuniâ emungant. *Alauda* diripit ova ardearum: ita docti fœtus & liberos talium non modò exagitant & reprehendunt, verùm etiam publicis & honeſtis officiis indignos eſſe judicant. Similiter *naturale eſt diſſidium inter Picum martium, & inter ardeam,* quia picus martius quærit ova & pullos ardearum, atque cùm poteſt, violat.

Præterea, quando ardea triſtis verſatur inter arenas, eſt certum indicium imbrium. Sæviſſimas tamen hyemes ſine incommodo poteſt tolerare, ſed tamen plus amat calorem. Refertur autem Ardea cum Onocratulo inter immundas aves, quia, ſicut patuit, in his avibus magna eſt voracitas, rapacitas, ſonus inconditus, qualia omnia ſunt fugienda piis. Et hæc de illis.

477

CAPUT XIV.

DE CORVO, ET COGNATIS, CORNICE, GRACULO ET MONEDULA.

CORvus avis notiſſima eſt, quæ, cùm emitteretur ex Arca Noæ, non rediit intra arcam, quanquam hinc inde exiit & rediit ad arcæ operculum, licet *Cyrillus l. 3. in Geneſ.* ipſum demerſum ſcribat contra expreſſum fontium Scripturæ mentem, unde *eſt viva imago vel legis*, quæ non poteſt introducere homines intra arcam, id eſt, ad Eccleſiam cœleſtem, *vel impiorum*, qui deſcendunt ab Eccleſia, & divinitus poſtea rejiciuntur, ne poſſint ingredi per cœleſtem portam, etſi circa Eccleſiam verſantur, *vel etiam doctoris impii & avari*, qui parum curat arcam ſeu Eccleſiam, ſed interim occupatur in cadaveribus devorandis, id eſt, opibus colligendis.

Eſt autem *hæc avis* 1. *apud nos nigerrima*, quanquam alibi ſæpè viſi ſunt corvi albi. In ſeptentrionalibus locis frigus tanquam mater albedinis ſæpè judi-

judicatur albos efficere. Tunc igitur ut nigro nigredo, ita albo albedo erit accidens inſeparabile, citra eſſentiæ variationem. Sponſa *Cantic. 5. v. 11.* cincinnos habet nigros ut corvus, quia ab extra interdum Eccleſiæ doctrina, ut ſub regibus Iſraël, & 478
ſub Papatu valdè contaminatur, ſæpè in calamitates ipſa incidit horrendas, ut penitus deformetur, verbi cauſa, ſub decem perſecutionibus, intus tamen ſemper manet pulchra.

2. Valde eſt *clamoſa (κλάξ, quæ eſt quaſi conſuſa inſtar ſtillarum pluviæ vox, alias κρώζειν, cras, cras,)* ita ut colore, & voce malum omen videatur nunciare, & ſolo aſpectu terreat homines, ſicut Lex nihil niſi opera clamat, aut damnationem minatur, ſicque conſternatas reddit mentes.

3. *Immunda hæc etiam eſt avis, & gaudet atque vivit libenter illâ menſâ,* quâ aquilæ utuntur & vultures, id eſt, omnibus cadaveribus, ſicut Lex eſt vox & miniſterium mortis, *2. Corinth. 3. v. 9.* Sæpè hujus rei gratia jugulat alaudas & paſſeres captos. Quibus malè meritis majora mala precantur Germani quidam, de iis dicere ſolent: Du biſt nicht werth/ daß dich die Raben ſollen freſſen/ die Wölffe werden dich freſſen. A cadaveribus tamen peſtilentiâ necatis abſtinent, quemadmodum Thucydides refert, in peſte Athenienſium quadam corvos circa cadavera nec viſos, qua in parte deteriores ſunt homines, qui à voluptatibus, quantumvis noxiis, cavere ſibi neſciunt.

4. *Fermè ſingulare eſt huic avi & ipſius cognatis* 479
res alienas furto ſubtrahere, ſicut monedulæ impri-

mis faciunt, qui monetas abſcondunt, unde etiam accepêre nomen. Et Germani Rap/ à Rappen/ vel rapiendo deducunt, unde per jocum quidam Arabas vocant eos, qui ſunt furaces. Etiam hoc inſigne eſt, quod imprimis inhiat oculis ſuſpenſorum cadaverum, qua de cauſa infeſtat bovem, & aſinum, & ſimilia, id eſt, oculos ipſorum lædit. Quô reſpicit ipſa Scriptura, Proverb. cap. 30. v. 17. *Oculum, qui ſubſannat patrem, & non audit matrem, effodiant corvi torrentis.* Sic Diabolus dat operam, ut impios primùm excœcet in anima.

5. *Eſt etiam doloſa avis & aſtuta,* id quod vel hinc ſatis apparet, quia addiſcit exactè imitari vocem humanam, & poteſt æmulari multas mutationes vocis, propter lingvam in apice latam; in radice verò admodum rotundam. *Refert. Scaliger exerc. 237.* de Monachis quibusdam, qui corvum habuerunt, qui, quoties fameſceret, cocum Conradum tàm articulatè vocare potuit, ut exiſtimaretur vocari ab homine. Præterea non tantùm *Plinius* & alii, verùm etiam *Ælianus l. 2. c. 45.* teſtatur de corvis Libycis,
480 qui in vaſa, quæ parum continebant aquæ, ſoliti ſunt demittere calculos, ut ſenſim aſcenderet aqua. Et addit Ælian. ipſos ſcire, unum locum non poſſe recipere duo corpora. Conſtat & illud, quod ſæpè in ſublime exportant teſtudines, & oſſa, ut decidant ſuper lapides, & frangantur. *Apud Plutarchum in Moralibus extat exemplum de cane argumentante juxta foveam (lepus non ſeceſſit ad dextram, lepus non deceſſit ad ſiniſtram, quia nec ad dextram nec ſiniſtram deprehendo odorem. Ergò transſilivit foveam.)*

6.Sin-

6. *Singulari* Dei *beneficio hæ aves conſtitutæ ſunt
quaſi purgatores agrorum cum vulturibus.* Sicut
enim vultures cadavera tollunt è medio: ita imprimis
corvi magno numero ſeqvuntur aratores, cùm
terra proſcinditur vomere, & vermiculos atque alia
inſecta depopulantur, unde ſegetibus damnum poterat
exſurgere. Quanquam ipſi poſtea non parcunt
ſegetibus, ſeminibus, pomis, ceraſis, ſicut equitantes
quærunt in ſue itidem ſuis pediculos. Facile
igitur dignoſcunt agros fertiles à ſterilibus, quia
in his non reperiunt multitudinem vermium, unde
in ſterilibus pauciores reperies corvos.

7. *Per æſtatem mirabili quodam ordine naturæ
vehementer ſitiunt corvi, & tamen bibere non poſ-* 481
ſunt, quia fauces valdè pertunduntur & exareſcunt.
Hinc nata eſt fabula Poëtica, quæ etiam extat apud
Ovid. in l. 2. Faſt. de Apolline ſacrificaturo, & emittente
corvum, ut afferret aquam. Hic igitur reperiens
ficus matureſcentes, conſedit in arbore, donec
ad integram maturitatem pervenirent. Itaque Apollo
fruſtra expectans corvum, aliundè ſumſit aquam,
& poſteà hac pœna mulctavit corvum, ut
per æſtatem ſiti torqueatur, cum matureſcunt ficus.
Significat hæc fabula, homines, qui divinis rebus
debebant eſſe intenti, etiam exſpectare maturationem
ficuum, id eſt, terrena curare. Sed hæc ipſa fabula
ad Ethnicos pervenit ex hiſtoria corvi emiſſi à Noa,
& fruſtra expectati intra arcam.

8. *Valdè ἄϛοργος eſt corvus,* unde pullos non
curat illa diligentia, quæ ſpectatur in aliis avibus.
Huc igitur pertinet illud *Job. cap. 38. v. 3. Qui præ-
parat*

parat corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant vagantes, eò quod non habeant cibum. Item *Pſal.* 146. *v.* 9. *Qui dat pullis corvorum invocantibus eum eſcam.* Exiſtimant autem aliqui, corvum valdè eſſe obliviosum, & cum diſceſſit à nido, non poſſe ex ſolitudinibus, quas amat, Eſa. 34. v. 11. redire, natu-
482 ræ tamen ductu congerere in nidum tales res, unde poſſint creari vermes, ex quibus nutriantur pulli deſerti. Sed hoc non videtur veriſimile, quia in ipſo eſt magna memoria, ſicut Plinius lib. 10. cap. 43. refert *de corvo Romano, qui ſingulis diebus manè provocavit & ſalutavit Tiberium, Germanicum, Druſum, Cæſares & alios nominatim.* Alii exiſtimant, corvum non prius dare cibum ſuis pullis, niſi cùm incipiunt nigreſcere, ut nigredine agnoſcat, eſſe illos genuinos ſuos pullos. Sed neque hoc videtur veriſimile, niſi velis dicere, corvos frequentaſſe ſcholam Ariſtotelis, ibique percepiſſe, nigredinem eſſe inſeparabile corvini generis accidens, nec ullibi inveniri albos. Certius igitur eſt, quod refert *Plinius, Ariſtoteles, Ælianus* & alii, corvos valdè eſſe avaros, & in ſterilibus locis vix habitare binos, ſed multos in fœcundis campis. Itaque pullos ſuos maturè expellunt ex nidis, imò ex tota ſua regione, ut cogantur vagari deſerti à parentibus, & undecunque conquirere cibum lamentantes. Hic igitur Dei providentia huic rapaci & furaci avi proſpicit de cibis, ſicut in textibus allegatis dicitur. *Et hæc interpretatio congruit cum illo vocabulo in Jobo cap.* 39. *v.* 3. *quando pulli clamant vagantes.* Si enim
483 vagantur, ſequitur, quod non ſint relicti in nidis. Si autem Deus crocitantem vocem corvorum habet pro

pro precatione, multò magis gemitus pauperum pro precatione agnoſcit. Itaque cùm tàm avara ſit hæc avis, verè eſt miraculum, *quod, quaſi expiatura negligentiæ delictum in diluvio commiſſum,* 1. Reg. 17. v. 6. pavit Eliam Prophetam. Simul hinc liquet, juxta admonitionem Auguſt. lib. 2. de mirab. S. Scripturæ, *quod homines, ſi manſiſſent in ſtatu innocentiæ, etiam iis animalibus ad miniſteria uti potuiſſent, quæ nunc videntur infructuoſa. Chryſoſtomus* exiſtimat in ſermone de Elia, *DEUM per corvos Eliæ alimenta miniſtraſſe, ut diſceret, non tam eſſe durum, & deſperare de ſalute & converſione Judæorum. Si enim corvus benefacit, poſſent & Judæi adhuc fieri boni.* Sed & ſæpè Deus in dignis utitur ad bonas operas, ut hoc loco corvis. Senſus igitur dicti in Pſalmo eſt ille, ſi Deus alit ſingulari ſua providentia avem furacem & ἄστοργον, multò magis vos curabit.

Præterea hoc etiam uſu venire ſolet corvis, ut dejiciant aliquos pullos, quanquam illud etiam aliæ aves faciunt, quando tot ediderunt ova, quæ non ſatis poſſunt excludere.

9. *Nimia crocitatio hujus avis exiſtimatur præſagire pluvias,* quæ poſſet dici imago improborum. 484
Si enim impii dominantur in Repub. certum eſt imminere mutationem.

10. *Non eſt in hac ave ſtudium libidinis & fœcundiæ,* ſed tantum ventris, unde omnia promiſcuè vorat, neque ab ullo cibo abhorret.

11. *Ethnici corvos inter auguria diligenter obſervarunt quoad geſtum, volatum, pugnam, arroſionem auri, fractionem armorum,* delapſum ad homines, appro-

appropinquationem ad ædes ægrotorum, multitudinem crocitatumque varium, indeque vel itinera inſtituere, bella dirigere, negotia componere, excidia & mortem metuere, victorias ſperare quaſi divinitùs moniti conſueverunt. *Ciceroni* (apud Valerium lib. 1. cap. 4. Plutarch. Ælian. lib. 4. de bello civili) *mortis præſentiſſimæ cruenta ſignum corvi advolantes quodnam dederint*, Studioſi ipſi legant. Sic apud *Plutarchum*, Alexander Magnus ad Hammonis (diabolicum) oraculum proficiſcens, *poſtquam cornices erraſſent, duos corvos duces habuit.* Innumera his ſimilia alia apud Ethnicos leguntur, de quibus ſciamus, fuiſſe illos corvos omnes non niſi diabolos, qui ſub formâ corvorum in aëre itinera monſtrarunt Alexandro, præſentiam militum hoſtilium Ciceroni,
485 inſidiasque ſtruentium eidem indicarunt, haſtas propè idola fregerunt. *Sicut corvus* Noæ emiſſus egreditur ad cadavera quærenda, & regreditur ad arcæ operculum ſeu tectum, ſolummodò ſua quærens: *ita* impii tantùm externa corporalia quærunt, cùm contra columba, pios repræſentans, quærat ea, quæ ſunt Noæ, ſeu Chriſtum. Quod enim *Cyrillus lib. 3. in Geneſ. & Auguſtinus lib. 12. contra Fauſtum & tractat. 6. in Johann. Chryſoſtomus homil. de S. S.* putant corvum in aquis extinctum, id pugnat cum Hebræo codice, qui habet, corvum ſæpius exiiſſe, & ſæpius rediiſſe, idque tamdiu, donec ſiccarentur aquæ. Corvi ſolent ad valdè longius diſſita loca excurrere, voluit igitur Noah explorare, num alicubi ſint loca longius diſſita, & aquis liberata.

12. *Anno uno ante paſſum Chriſtum*, ut aliqui ſupputant, *funus corvi celebribus exequiis* omnium generum

nerum coronis novo & in uſitato facinore *curavit Romanus populus*, de quo videatur *Plin. l. 10. cap. 43.* Sine dubio ſignificatum fuit mox atrum Dæmonem per Evangelii prædicationem extinctum iri Romæ. Sed adhuc hodiè in multis locis corvi ſunt honoratiores luſciniis, apud *Plinium lib. 10. cap. 43.* id eſt, idololatria præfertur ſanæ doctrinæ Apoſtolicæ. Quin & hodiè minores corvos, id eſt, cornices, apud 486
populos Chriſti nomen & Evangelium non habentes, adhuc honorari & populis obſequentes eſſe, teſtantur, qui novi orbis hiſtorias ſcripſerunt, & inter eos *Ludovicus Romanus de Chalecutenſibus.* Hæc de Corvo.

Corvorum ſpecies cognatæ conſtituuntur Cornix, verus σπερμόλογος, quaſi parvus corvus, Graculus, cornice longè minor, *& denique* Monedula.

Cornix 1. *valdè eſt garrula*, & ſuo clamore inepto incolis moleſta.

2. *Hoc tamen laude dignum eſt, quòd non temerè inſtituunt ſocietatem cornices*, & quam ſemel iniêre ſocietatem, illam inter ſe amanter & fideliter conſervant. Id quod non ſit in corvis, quia corvi non gregatim & concorditer vivunt, ſicut paulò ante dictum eſt.

3. *Illud etiam laudem meretur, quod maſculus & fœmina ex cornicibus ſummam colunt fidei mutuæ rationem*, & caſtè vivunt, quia ſi alterutra moriatur, ſuperſtes manere vidua usque ad finem ſuæ vitæ perhibetur. Unde olim in nuptiis ſolebant meminiſſe cornicum, quæ etiam diutiſſimè vivunt, & precabantur cornicum concordiam & vivacitatem. *Plutarchus in Gryllo* dicit, *novem ætatibus ſæpè cornicem ſu-* 487
perſti-

preſtitem in viduitate perſeverare. Sed vix putari poteſt, quòd tàm diu vivant cornices.

4. *Et illud laudem meretur, quod erga parentes magnam exercet clementiam,* ipſos fovet & protegit, & de neceſſariis proſpicit.

5. *Sobolem ſuam non ejicit ſicut avarus corvus,* ſed ſinit illam matureſcere, & avolantem ex nido comitatur, & adhuc diutiſſimè alit, etiam extra nidum. Quæ eſt imago fidelium parentum, quibus incumbit cura educationis non tantùm in ipſa pueritia, verùm etiam in adoleſcentia liberorum.

6. *Mirabili DEI providentia fit, quòd hæ aves comitantur & deducunt abeuntes ciconias,* & alias aves, quibus cornices ſunt additæ tanquam lictores, ſervi & comites, ut cùm ciconiis deſit clamandi beneficium, ſuo clamore terreant alias aves prædatrices, & contra illas defendant ciconias. Certum enim eſt, ciconias & alias venientes in terras peregrinas infeſtari ab avibus indigenis. Unde opus fuit ipſis comitatu idoneo. Hinc ergò fit, quòd recedentibus ciconiis nullæ amplius reperiuntur apud nos cornices. Deinde, quando revertuntur corni-
488 ces, cum vulnere revertuntur, unde colligitur, ipſas ſuſtinuiſſe quoſdam conflictus.

7. *Aliàs etiam avium aliarum, & quidem grandiorum pullos jammodò volantes comitantur cornicula,* procul dubio ex providentia divina: quia audax & clamoſum eſt hoc genus, & ita cohibet alias aves. Audiant hoc cum pudore & rubore iſti homines, qui cum nullo amicitiam ullam colunt, qui nullis egentibus ulla deſtinant auxilia, qui hoſpitalitatis omnis obliviſcuntur, ſumma, qui nemini, niſi ſibi

ſolis

ſolis vivunt, pudeat ipſos, diſcantq́; ab animali, quod
deceat, multò magis hominem rationalem.

8. *Audent tamen interdum provocare aquilam*
propter audaciam. Etſi autem aquila cornicem fa-
cilimè poſſet ſuperare, tamen contemnit ipſius mi-
nas & clamores: ita ſæpè multi adjuti impudentiâ
& lingvæ volubilitate provocant fortes, qui tamen
recuſant prælium, deterriti rixarum clamoribus, ſic-
ut aquila non eſt clamoſa.

9. *Non tantùm* in ipſis eſt magna audacia & cla-
moſitas, *verùm etiam aſtutia,* ita ut benè poſſit cicu-
rari. Refert *Ælianus lib. 6. cap. 7. de animalibus,*
quòd Rex Ægypti Mertes habuerit unam optimè cicu-
ratam, quæ ſolebat Regis literas in alienas terras de- 489
ferre celerrimo volatu. Aſſuefecerat autem ipſam,
ut poſſet agnoſcere loca, ad quæ erat volandum, &
in quibus erat quieſcendum. Quapropter mor-
tuæ cornici gratitudinis causâ ſplendidam ſepul-
turam inſtituit ipſe Rex. Verùm ſine dubio huic
cornici Marthis adfuit & præfuit malus genius.
Hoc idem judicandum eſt de illo, quod anno Domini
1484. in multis locis in aëre acerrimis conflictibus
pugnarunt corvi & cornices, ita ut occumberet ma-
gna multitudo, ubi poſteà ſecutum fuit bellum inter
Anglos & Gallos.

10. *Diſſidium eſt inter noctuas & cornices,* & altera
alterius ovis ſtruit inſidias, noctua noctu, ſed corni-
ces interdiu hoc faciunt.

11. *Nidos ſuos ſolent luſtrare* & purgare à blattis
& beſtiolis per verbenacam.

12. *Cum in arenis* obambulant, nec enim currunt,
aut ſaliunt, *tunc dicuntur imminentes pluvias ſignifi-*

care, id quod etiam annotavit *Virgilius in 1. Georg.* hoc ſcilicet verſu ſibilum exprimente, ſeu ſonum ambulantis in arena propter multas literas SS.

Dum ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arenâ.

Sed hæc de illis. *In Thalmud* cornix perhibetur קיק Kik. nos Germani dicimus Krae: ab aliis Spei
490 Symbolum conſtituitur, quia itidem ut corvus clamat Cras, Cras.

Graculus nomen accepit à ſono, quia maximè moleſtus eſt ſua garrulitate, & quaſi alter quidam cuculus, loquacior tamen, præſertim coitus tempore. Sed ſicut ſui nihil cum amaricino: ita nihil graculis cum fidibus. Idem ergò *ſus Minervam, aſinus ad lyram, graculus ad fides*, ſed tunc canunt cygni, quando tacuerunt graculi. Quantum enim graculi regna curabunt. *Ariſtoteles* graculum facit genus monedulæ, tanta magnitudine, quanta eſt cornix, roſtro rotundo & rutilo. Pertinaciſſimè amat ſuum genus, & magno amore ſeipſos mutuò colunt, unde oritur Proverbium: *Graculus graculo aſſidet*: aliis avibus rarò ſeſe aſſociat. Sed hic nimius amor generis interdum iſtis eſt exitialis, quia magno clamore ſeſe produnt, ut capiantur. Cætera habent communia cum cornice. Eſtque imago illorum, qui quandoque ſine delectu & judicio colunt amicitias illorum, quorum tandem pericula ſimul improvidi ferre coguntur. Et in hoc caſu locum habere poteſt illud: *Nulli te facias nimis ſodalem; Gaudebis minus, & minus dolebis.* Refertur de his avibus,
491 quando amicitiæ nimio amore manibus tenentur, & in oculis hominum ſuam ſpeciem vident, quòd tunc ocu-

oculos petant. Alioquin propter lingvam latiuſculam ſunt etiam idoneæ ad diſcendum ſermonem humanum. Aſtutæ ſunt valdè, unde difficulter capiuntur & difficulter fugantur, niſi edito magno ſtrepitu, quem diu timent. Quod autem inter Ethnicas hiſtorias legimus, homines cum graculis fœdus iniiſſe, ne depopularentur ſuos agros, id ad Dæmonum conſortia referendum eſt, qui in graculos fuerunt transformati.

Monedula, quaſi monetula, à moneta dicitur, quia ſingulare eſt huic generi avium, amare aurum & argentum, illudque furto ſubtrahere & abſcondere, atque præ oblivione relinquere; qua ratione pulcher eſt illa typus avarorum, qui undique aurum per fas & nefas conquirunt, illudque abſcondunt. Etiam valdè curioſa eſt hæc avis, & ſuam umbram libenter videt. Obſervat igitur locum, ubinam cibum quærat, & ibi ponitur pelvis plena oleo. Curioſula illa in oleo ſpectat, & admiratur ſuam umbram, & ſeſe ad illam inclinat, hacque ratione oculos oleo oblinit, vel etiam viſco craſſo circum fuſa detinetur. Etiam vehementer amat ſuæ gentis aves, ſicut notiſſimum eſt, & quicquid vident facere unam, 492
omnes reliquæ faciunt. Crebrius circumvolant, cum ſentiunt mutationem aëris. Nam una vel plures ſentientes repleri nubibus aërem, jactant alas, ut excutiant humiditates. Mox verò totus exercitus prorumpit in volatum. Diſſidium ipſis eſt cum locuſtis, quarum ova quærunt & perdunt, ſine dubio ideò à Deo hoc factum eſt, ne hoc genus inſectorum nimis excreſcat. Hæc de illis.

Quemadmodum ſuperiùs dictum eſt, corvus emiſſus ex arca Noæ I. *ſignificat Legem.*

1. *Sicut* enim corvus non eſt jucunda avis, ſed terribilis; *ita* poſt lapſum homo mentionem Legis non ſine trepidatione poteſt audire.

2. *Sicut* corvus gaudet cadaveribus: *ita* Lex aut vult integram obedientiam, aut ſimpliciter damnat.

3. *Sicut magna eſt ἀστοργία* in corvis: *ita* Lex nemini parcit.

4. *Et ſicut corvus* non revertitur intra arcam Noæ, licet ſæpiùs revolet ad tectum arcæ: *ita* Lex nullam dat pacem & tranquillitatem conſternatis conſcientiis & introitum intra cœlum.

5. *Et ſicut corvi* magno numero ſeqvuntur ara-
493 torem propter vermes: *ita* Lex etiam ſemper hominibus modos monſtrat, quos tamen curare nequit, ſicut devorat corvus vermes. *Deinde II. ille corvus* in genere ſignificat *quosvis impios*, & imprimis *malos Doctores.*

1. *Sicut* ergò *corvus* eſt animal immundum, quod non licebat comedere vel ſacrificare; *ita impii* & mali doctores veræ Eccleſiæ membra non ſunt, ſed ad illos pertinent, quod dicitur Lev. 7. omne varium & immundum ejice foràs extra caſtra. Hoc autem accidet impiis, imprimis in ultimo die. Non ergò licet veſci corvis, id eſt, non imitandæ ſunt turpes proprietates corvorum, non clamoribus & rixis eſt pugnandum, non doli ſunt nectendi, non furandum, non vivendum in immunditie, non inſidiæ ſtruendæ aliis, non debent parentes exercere crudelitatem, deſerere libros, exponere infantes; &c.

2. *Sicut corvi* clamant cras, cras; *ita impii* ſemper differunt ſuam pœnitentiam. Unde *Auguſtinus ſuper Matth. cap. 17.* Cras cras corvi vox eſt, ipſa res eſt, quæ multos occidit, cùm dicitur, cras, cras, & ſubitò oſtium clauditur, remanſit foris cum voce corvina, quia non habet gemitum columbinum. *Hæc ille.*

3. *Sicut item corvi* vix poſſunt degere in ſterili- 494
bus locis, & quidem tantùm bini: *ita quoque impii* & avari raro poſſunt convenire, propter inſignem cupiditatem corradendi divitias.

4. *Sed ſicut* corvi nunquam taciti veſcuntur ſuis cibis: *ita quoque avari* & divites gloriantur de ſuis divitiis.

5. *Et ſicut corvi* ex cadaveribus quærunt cibum: *ita illi* ſudore & labore pauperum fruuntur.

6. *Et ut corvi ſunt* inſtabiles, modò degunt circà aquam, modò volant in ſylvas: *ita talium* quoque magna eſt impietas & inconſtantia.

7. *Sicut corvi* juniores in magna fame dicuntur laniare ipſos ſenes parentes: *ita impii* nullum ergà ſuperiores verum habent reverentiæ affectum, *mali corvi, malum ovum.* Cætera poſſunt facillimè applicari ad ſingulos impios, quo etiam reſpexit *Horatius*:

----- Abſentem qui rodit amicum;
Fingere qui non viſa poteſt, commiſſa tacere
Qui nequit, hic niger eſt, hunc tu Romane caveto.

Corvi poſſunt etiam vocari *inelegantes Striptores*, item *Paraſiti*, qui nusquam niſi in menſa adſunt, licet 495
corvis pejores ſint illi, quia paraſiti vivos, corvi mortuos devorant.

Poſſunt etiam corvi proprietates tandem *ad parentes*

rentes duros accommodari, cornicis ad *conjuges*, graculi *ad garrulos*, monedulæ ad fures. *Sicut igitur cornix* non temerè inſtituit ſocietatem: *ita* non temerè ſunt contrahenda conjugia. *Sed ſicut* cornix ſemel contractam ſocietatem ſtrictè ſervat: *ita quoque* legitimè contracta conjugia non ſunt diſſolvenda. Et ſicut cornix mortuo ſocio caſtitatem colit, ad finem vitæ: *ita* viduas decet ſancta vita. *Sicut etiam cornix* gregatim & concorditer vivit, & recedentibus ciconiis ſeſe adjungit: *ita quoque honeſti conjuges* & amici concordem vitam tranſigent, & in honeſta ſocietate certa tractabunt officia. *Sicut* autem noctuæ infeſtant cornices: *ita* adulteri & ſcortatores, nocturnique graſſatores ſæpè tentant honeſtorum conjugum pudicitiam. Verùm ſicut *cornices* inſidiantur noctuis interdiu, quia ſciunt, noctuas non poſſe ferre lucem: *ita* quoque tales graſſatores producendi ſunt in theatrum, ut cogantur magiſtratuum lucem & judicium cernere. Cætera ſunt facilia.

Apud *Baruch. cap. 6.* Idola comparantur corniculis pendentibus inter terram & cœlum. Nam ſi-
496 cut corniculæ gregatim volantes non poſſunt ſeſe defendere adverſus manifeſtas inſidias: *ita* Idola, de quibus ibi loquitur ſcriba Jeremiæ, non poſſunt ſeſe defendere contra manifeſtam injuriam, contra fures & alios hoſtes.

CA-

CAPUT XV.
DE COLUMBIS.

H*Æc eſt illa avis, quæ* emiſſa ex arca intra arcam *redibat*, portans ore ſuo folium olivæ, tanquam ſignum ceſſantis diluvii, & pacis factæ inter Deum & homines. *In hac poſtea apparuit Spiritus Sanctus* in Baptiſmo Chriſti, tanquam teſtis, propter Chriſtum ceſſare diluvium illud æternum, & jam veram eſſe pacem factam inter Deum & homines. *Huic* etiam comparatur Eccleſia, *cujus oculi dicuntur columbarum oculi*, Cantic. cap. 1. v. 15. Et Chriſtus Matth. 10. v. 16. *jubet nos eſſe ſimplices, ſicut ſunt columbæ.* Et Pſal. 55. v. 7. David *exoptat ſibi alas non aquilæ, non vulturis, non ciconiæ, ſed columbæ*, ut velocius poſſet evolare ex ſuis ærumnis in locum tutum. Et Pſal. 74. v. 19. petitur à Deo, *ne tradat beſtiæ animam Turturis ſui, hoc eſt, Eccleſiæ.* Sapiens vetuſtas præcipuas hujus avis pro- 497
prietates complecti voluit hiſce verſiculis notis:

Felle columba caret, roſtro non lædit, & ungues
Poſſidet innocuos, puraque grana legit.
Gaudet aquis, quæritque greges celerique volatu
Tuta petit, fœtus educat alterius.
Maſculus ipſe fovet fœtus atque incubat ovis,
Conjugii ſervant fœdera caſta ſimul.

1. *Igitur hæc avis* illud eſt, quoad multiplices utilitates, & quoad vocem ſemper in adverſis & proſperis eandem, inter volucres, quod ovis inter genera quadrupedum. Et *ſicut* ovis deſtituitur cornibus, & li-

cet habeat cornua, tamen illis non poteſt uti contra homines; *ita columba* non quidem omni felle caret, ſed,ut ſuperius dictum eſt in primo tractatu, non habet fel ita copioſum, undè valdè eſt manſueta, & timida, ſimplex & pacifica, & nulli animalium vel avium præſertim meditatur noxam aliquam, niſi quod quandoque inter ſe leviter certant de maribus & fœminis, ut procreatio pullorum non interrumpatur: *ita* Eccleſia non debet confidere externis opibus, laceſſere vicinos, ſed cum omnibus, quantum fieri poteſt, colere pacem & operam dare, ut Chriſto multas lucretur animas. Et quia Spiritus ſanctus in
498 Baptiſmo Chriſti apparuit in forma columbæ, *ſignificatum eſt miniſterium Novi Teſtamenti & Evangelii eſſe miniſterium pacis & tranquillitatis*, & Chriſtum, ſuper quo apparuit illa columba, eſſe mitiſſimum, & inſtituiſſe pacem inter homines & Deum. Cùm autem debeamus eſſe imitatores Chriſti, decet nos quoque eſſe manſuetos, non pugnaces & rixoſos.

2. *Hæc avis eſt* ex illarum numero, *quas non licebat tantùm comedere, ſed & ipſa uſitatiſſima erat in ſacrificiis*, adeò ut vix aliam liceret offerre, in ætate juvenili & libidinis adhuc neſcia, ut obſervavit *Bernhard. ſup. Cant. 5,9.* quodque mirari aliquis poſſet, gallinas nobis delitias viſas & columbis, neſcio qua de cauſa, prælatas, tamen ſacrificiis adhibere non licebat.

Adrichomius refert, *turrim ſaxeam Hieroſolymis extitiſſe in agro ad meridiem montis Oliveti incolis dictam petram columbarum, ubi ſæpè quinque columbarum millia fuerunt contineri ſolita:* (ita Eccleſia reſpectu reliquorum populorum gratiſſima.)

3. Non

3. *Non promiſcuè quibusvis cibis veſcitur, & vitat cadavera,* & colligit pura ſemina ſeu grana, & amat irriguas & puras aquas, maximam mundiciem corporis, adeò ut animi & corporis mundities in hac ave ſit inſignis. Corpus enim prius humectat, poſtea 499
pulvere conſpergit, ut à pulicibus & omni labe purgetur, pullos ſtercora extra nidum ferre docet, delectatur albo colore: *Eodem modo* purificatur Eccleſia ſanguine Chriſti, ut ſeſe poſſit ſiſtere mundam hoſtiam Filio Dei. *Similiter ſupra Chriſtum columba* apparente in Baptiſmo Chriſti indicatur, hunc Chriſtum eſſe ſine omni peccato, & idcircò futurum gratam victimam DEO Patri pro peccatis totius mundi. *Indicatum item eſt, Spiritum Sanctum & Chriſtum afferre puram & veram doctrinam de peccato,* de judicio, de juſtitia, & animas noſtras non poſſe alio cibo & potu refici, niſi carne & ſangvine immaculati agni, occiſi ab initio mundi. *Similiter autem decet Eccleſiam & ſingulos pios amare quidem ſimplicitatem religionis,* ſed tamen cavere, ne illa ſimplicitas degeneret in ſtultitiam, ne promiſcuè arripiat, quod promiſcuè docetur, ſed colligat puram eſcam & innocenter vivat.

4. *Cùm hac avis non quidem ſit ſtulta, ſed ſimplex, cumque ſit pacifica & timida, & rarò ſecura,* niſi maneat in petris vel nidis, atque cùm ab omnibus infeſtetur, neque habeat præſidium aliquod & arma, neque etiam audacem animum, *ideò DEUS ſingulari pri-* 500
vilegio ornavit ipſam, nempè celeritate volandi. Et non eſt, quod metuat accipitrem, quia ipſam non poteſt aſſequi, modò ſimplicem ſuum volatum obſervet. Nam quando ſimplicem volatum negligit, &

ſuis alis plaudit atque luxuriat, præ quadam ſuperbia & confidentia, ibi poteſt accipiter ipſam aſſequi, & diſcerpere. Hinc *David Pſalm. 55. verſ. 7.* exoptat pennas columbæ: ſuper quem Pſalmum eruditam explicationem quærent Studioſi apud *Nazianzenum.* Iſta autem deprompta eſt ex his Phyſicis diſputationibus, & ex hac hiſtoria animalium. Rectè enim à Plinio illud ipſum his verbis docetur: *Ineſt quidam intellectus gloriæ, quia nôrunt ſuos colores & varietatem diſpoſitam, quærunt etiam plauſum & variam ſaltationem in cœlo ex volatu, qua in oſtentatione ut vinctæ præbentur accipitri, implicatis ſtrepitu pennis, alioquin ſoluto volatu multùm velociore; Speculatur occultus fronde latro & gaudentem in ipſa gloria rapit. Hæc Plinius.* Sicut igitur columba varios habet colores, eosque valdè pulchros, adeò ut is, qui circa collum eſt, à nullo ſatis explicari queat, qualis propriè ſit, imò ut *Hieronymus* dicat, *columbarum colla ad ſingulas converſiones colorem mutare,* id quod tamen Pſalm. 78. etiam ad caudam
501 accommodat: ita Eccleſia Pſalm. 68. v. 14. *propter varia dona comparatur diverſis coloribus columbarum.*

1. *Et ſicut colores* columbæ in aprico Sole pulchrius rutilant & ſplendent, Sole enim abſente omnes colores ſuâ privantur venuſtate: *ita dona illa Eccleſiæ* fiunt ſplendidiora, cum illa exponit in turmis populorum, id eſt, cùm benè confert dotes eas ad uſum.

2. *Ut columba* varii generis hoſtibus eſt obnoxia: *ita* ſemper totus mundus ſeſe opponit Eccleſiæ.

3. *Sed*

3. *Sed ſicut columba* non poteſt capi ab accipitre, ſi modò retineat ſimplicem volatum, citò autem capitur, ſi plaudat: *ita ſi Eccleſia* conſervat ſimplicitatem in doctrinâ, in vitâ & moribus, tutiſſima eſt contra Diabolum & omnes alios hoſtes, ſed ſi vult plaudere, & luxuriare, & tantùm rixari atque confidere externis præſidiis, ibi ſæpenumerò in ipſa ſua gloria & in ſplendore perit.

Imò 4. *ſicut columba* eſt viſu adeò perſpicaci & propè intelligente facultate prædita, ut diſtingvat unum accipitrem ab altero, ut ſupra de accipitre dictum eſt: *ita quoque Eccleſia* debet noſſe mores omnium hæreticorum, & noſſe media, quomodo adverſus unumquemlibet ſeſe defendere debeat. *Refert etiam Plinius de parva ave,* quæ nominabatur Tinnunculus, qui habet peculiarem vim defendendi columbas, contra accipitres. Et quidẽ accipitres horrent viſò vel audito tinnunculo, quem tamen columbæ valdè amant. Et addit Plinius lib. 10. cap. 37. *tantam ineſſe vim huic avi, ut ſi in quatuor partes dividatur, & in quatuor loca ſubterranea reponatur, non diſcedere columbas ex illo circuitu: Sic Eccleſia* quoties ſecum habet verbum & preces, tuta eſt contra Diabolos, qui horrent vocem verbi. 502

5. *Eſt etiam in hac ave ſingulare ſtudium amoris mutui atque caſtitatis,* unde offerebatur ipſa ſacrificium à muliere puerperâ. Et quidem Ariſtoteles refert, *Maſculum adeſſe fœminæ parienti, ipſamque omnis generis officiis juvare, poſtea etiam ſæpenumerò oberrantem fœminam compellere in nidum ad incubandum, item marem & fœminam pariter alere pullos, & ſalſam etiam in ſede lotio conſperſa* quæſitam

terram

terram pro primo nutrimento ingerere in os pullorum, ne à cibis abhorreant, ſed ut hac ratione irritetur appetitus. Fœminæ etiam mares, quantumvis imperioſos, tamen ferunt: ſolet enim tunc eſſe ſuſpicio adulterii apud marem, quanquam huic generi
503 avium adulteria ſunt ignota. Cum igitur caſtam deprehendit fœminam, tunc, ſicut Plinius loquitur, plenum querelâ guttur, ſævique roſtro ictus, mox in ſatisfactione exoſculatio, & circa Veneris preces crebris pedum orbibus adulatio. Valdè enim jucundum eſt, aſpicere ſummam concordiam talium conjugum, mutua oſcula & converſationes dulces. Id quod debet tanquam inſigne exemplum caſtitatis conjugalis annotari. Imprimis hoc fit in illis columbis, quæ vocantur *palumbes, item turtures.*

Turtur enim tantùm *uni nubit, & cum ſuo compare gignit ſobolem ſine intermiſſione,* quia columbarum genus eſt valdè fœcundum. Amiſsâ autem ſuâ conjuge turtur non ducit aliam, ſed ſolus incedit, verſatur in locis ſolitariis, fugit commercia hominum, valdè miſerè gemit, aquam, quam eſt bibiturus, priùs turbat pedibus, nunquam deſcendit in hortos vel agros, niſi cùm fameſcit, poſtea ſtatim revertitur. Hinc factum eſt, quod olim in nuptiis precabantur turturum concordiam. Et ſic Spiritus S. apparens in forma columbæ, ſignificat, nos à Chriſtô ardentiſſimè amari, inſtar conjugis, ſicut paſſim in *Cantico Canticorum* ſponſus comparatur columbæ,
504 ut c. 5. v. 12. *Oculi ejus ſicut columbæ.* Item Eccleſia ipſa c. 4. v. 1. & aliàs; *Ecce tu pulchra es amica mea, oculi tui columbarum.* Significatur, amorem Chriſti erga Eccleſiam eſſe ardentem & pudicum, ſine fuco

fuco & dolo, & viciſſim talem debere eſſe amorem in Eccleſia erga Chriſtum ſponſum. Sæpè enim Scriptura inculcat conjugium ſpirituale inter Chriſtum & Eccleſiam. *Canticorum c. 2. v. 13. Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. Galatinus lib. 3. c. 30.* de arcanis Chriſtianæ religionis probat, pro eo, quod hodiè habetur תמתי Thammati, id eſt, immaculata mea, olim fuiſſe lectum תומתי Thevmati, gemella mea. Sic igitur fieret alluſio ad pullos, quos regulariter duos, marem & fœminam, parit columba, inter ſe ſummo amore devinctos. Sicut enim eſt major amor inter gemellos, quàm inter alios fratres: ita eſt amor adhuc longè major inter gemellum & gemellam, Chriſtus eſt gemellus noſter; Eccleſia eſt gemella. Non ita diligit frater ſororem ac gemellus gemellam.

6. *Præterea hæc avis amat habitationes hominum*, quia ad pedes ipſorum magnâ manſuetudine & facilitate verſatur, amat item ſui generis ſocios, cum ipſis libenter paſcitur, volat, item cum reliquis 505
etiam avibus colit pacem. Pullos etiam ſuos, ut dictum, docet & cogit fimum & ſtercora ejicere ex nido: ſic Spiritus S. & Eccleſia inſtinctu Spiritus S. amat publicos cœtus, non fugit congreſſus pios, ſed magno cum deſiderio accurrit, memor promiſſionis. Ubicunque duo aut tres congregati fuerint, &c. Sic Chriſtiani & verè pii amant concordiam, & docent ſuos ejicere internas ſordes, item diligenter obſervant inſidias Diaboli, ut contra illas ſe muniant.

7. *Eſt illud etiam mirum, quod ſuam patriam vehemen-*

hementer amat, unde Varro teſtatur *de re ruſtica, Romanos ſolitos fuiſſe ex ſpectaculis publicis emittere columbam cum annexis literis, in quibus ſcriptum erat, quid Patresfamilias vellent tractari à ſervis domi. Evolans igitur columba continuè domum venit, ne interim loca ſua negligerent domini in theatro.* Exempla in bellis miſſarum & per clamorem exercitus ſæpè delapſarum vide apud P. *Cam. ſucc. cap. 77.* Recitant alii *ut Plin. lib. 10. cap. 37.* exempla, *quòd ſæpè hoc factum fuit tempore belli in obſidionibus, quando nulla ratione literas amicis mittere potuerunt obſeſſi:* ita pii omnes vehementer debent amare patriam ſuam communem, Eccleſiam, & ad illam contendere.

506 8. *Hæc etiam facere ſolet columba, quod ſylveſtribus columbis blanditur*, & cum ipſis aſſueſcit, ut hac ratione eas ſimul adducat in columbarium: *ita Eccleſia* omnibus utitur modis, quibus vel Ethnicos vel impœnitentes convertat. Dupliciter igitur fœcunda eſt columba, primùm in partu, ſecundò in evolatu: *ita* Spiritus Sanctus & Eccleſia ſemper laborat in congregandis novis membris Eccleſiæ.

9. *Oblivioſa eſt hæc avis, neque diu retinet memoriam* injuriarum, unde licet ipſi ſubtrahantur ova & pulli, tamen ſubinde etiam in eodem loco gignit alia ova, nec patitur ſe abſterreri ullo facto.

10. *Stultè tamen eſt curioſa ſæpenumerò*, ut quando in arbore diu ſedet & deliberat, in quam partem velit dirigere volatum: Interim ergò dum circumflectit collum, à ſagitta petitur. Sic ſæpenumerò Eccleſia nimis curioſa ſua curioſitate perit. Apud *Oſeam c. 6. Ephraim factus eſt quaſi columba ſeducta, non habens cor.*

11. Victus

II. Victus ejus innocens dicitur, quòd damnum depaſtionis compenſet ſtercore fundis utiliſſimo, & quod ad decorem cannabi conciliandum imprimis conducere dicitur. Hæ ſunt præcipuæ proprietates hujus animalis, quod eſt mundum animal, & poteſt effugere accipitrem, quem longè pro- 507
ſpicit, & ſeſe poſtea abſcondit: *ſic* & baptizatos proſpicere & fugere ſpirituales accipitres & plagas decet. Et in arcam Noæ revertitur, & portat ore olivam, id eſt, Evangelium Chriſti, quod ſonat gratiam, remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Emittitur autem poſt corvum columba, quia hæc non longè evolat, ut certior fieret Noa, num tandem ſubſiſtere poſſet arca. Huc pertinet, quod habet *Cyprianus tract. 3. de ſimplicitate Prælatorum*, ubi Eccleſia comparatur arcæ, quæ quatitur in aquis, ſicut Eccleſia in perſecutionibus, illa debet eſſe unica & concors, unde (inquit Cyprianus) *Spiritus Sanctus venit in ſpecie columbæ, ut ſignificetur, in eâ debere nos inhabitare concordes & ſimplices, quia hæc eſt ſimplex animal & lætum, non felle amarum, non morſibus ſævum, non unguium laceratione violentum, hoſpitia humana diligit, unius domus conſortium novit, cùm generant, ſimul filios edit, cùm commeant, volatibus invicem cohæret, communi converſatione vitam ſuam legit, oris oſculo concordiam pacis agnoſcit, legem circa omnia unanimitatis implet. Abſint ergo lupi feri, rabioſi canes, venenoſi ſerpentes, &c.* 508
Hæc Cyprianus. Et columba ex arcâ evolans & revolans imprimis eſt imago doctoris Evangelici, qui non curat arbores rejuveneſcentes, ſed redit ad

arcam

arcam, ad Eccleſiam, & de hac magis eſt ſollicitus, quàm de ſuo victu & amictu: Sed ſatis de illis, quæ quàm care olim emtæ fuerint, legatur apud *Plinium lib. 10. cap. 37.*

Caput XVI.
DE CUCULO.

Notissima hæc quoque avis, ſed fœdiſſima eſt, & imago præſertim adulterorum, pigrorum & ingratorum. Apud ſuperſtitioſos veteres habebatur ales Junonis, unde adhuc hodiè noſtri ex numeratis ejus cantibus colligere conantur tempus ducendæ uxoris, imò etiam ipſam longævitatem ridiculâ ratione.

Et I. quidem *ſtultiſſima eſt*, quia ſuam vocem putat eſſe ſuaviſſimam, *ſicut* ſemper inepti nil niſi ſua crepant & jactitant.

2. *Nihil habet animi*, ſed eſt trepidum ingenium, unde ſolitariam vitam agit, fugit reliquas aves, *etiam* minimas, & ipſos homines propter ſummam timiditatem.

Etſi ſtolida eſt & infirma avis, *tamen ſuam agnoſcit infirmitatem*, & imprimis ſcit, ſe à naturâ eſſe frigidam, & reliquis omnibus avibus propter ineptam
509 vocem exoſam. Itaque optime intelligit, ſe propter frigiditatem non poſſe excludere pullos ſuos, aut etiamſi excludere poſſet, tamen non poſſet ipſos conſternere tutos & ſecuros contra reliquas aves, à quibus vellitur. Alienâ igitur utitur operâ, & quærit nidos ejuſmodi avium, quarum ova ſunt ſimilia

ſuis

ſuis ovis, præſertim palumbæ, alaudæ, luteolæ, &
currucæ. Aſtutè autem hac in parte procedit, quia
non deponit ſua ova in nidos vacuos, ſed in illos, in
quibus jam modò ſunt poſita ova aliqua. Si mul-
ta reperit, quædam abjicit, vel exſorbet, ut ſua poſ-
ſit ſupponere. Item non promiſcuè quævis devo-
rat vel abjicit, ſed tantum illa, quæ videt ſuis eſſe
diſſimilia, ne facilè poſſit agnoſci fraus. Et hanc
pravam calliditatem cuculi exponunt eruditi de *ſcor-
tatoribus & adulteris*. Cùm enim iſti intelligunt,
*in conjugio legitimo non tàm accendi, quàm extin-
gui amorem & Venerem*, deinde infinitas occurrere
moleſtias, & plena curarum & laborum eſſe omnia,
atque notum habeant illud *Eraſmi*: *Nuptias eſſe bre-
vem cantionem*: *ſed habere longum Epiphonema*, im-
primis verò, quod dictum eſt, cùm videant, vitam
reddi acerbiſſimam propter labores educationis ſo-
bolis: idcircò tanquam cuculi fugiunt hoſce labores 510
& has curas, & interim ſuam libidinem explent ille-
gitimo modo, & paciſcuntur cum alienis, ſicut cucu-
lus ſuum laborem transfert in currucam. Simillimi
ergò ſunt iſti, qui ſtuprum inferunt aliis, quas ta-
men non ducunt, & quæ ſolæ poſteà coguntur ſpu-
rios maximo cum ſuo malo & incommodo educare.

4. *Curruca* miſera, quæ eſt parva avicula, (de
quâ in hoc ipſo loco quædam admiſcebimus, ne opus
ſit poſtea illa ipſa repetere, cùm cohæreant cùm hiſ-
ce, quæ nunc dicuntur) valdè ſollicita eſt, & omnem
adhibet laborem, ut poſſit illa ova ſuppoſititia, quæ ta-
men putat eſſe ſua, excludere. Et quidem ſtatim
dum aperiuntur ova, videt pulli alieni ſpeciem val-
de pulchram, nec etiam parvam, unde hos pullos

præ ſuis incipit amare & admirari. Videt etiam quotidiè creſcere illos pullos præ reliquis, unde ipſa quoque ſibimetipſi auget laborem, extendit alas parvas, qui tàm grande corpus pulli cuculi vix poteſt tegere ſuis alis. Quid autem fiat reliquis pullis currucæ, variæ ſunt ſententiæ: *Aliqui* putant, miſeram currucam ipſam ejicere maturè ſuos pullos, tan-
511 quam contemtos præ ſpecie pulli cuculi. 2. *Aliqui* exiſtimant currucam interficere ſuos pullos, & præbere illos devorandos cuculo. 3. *Aliqui* putant, cuculum patrem repetere nidum, in quem depoſuit ſua ova, & devorare aliènos pullos, ut ſui melius poſſint educari: Sed certius eſt primum, quod attulimus. Creſcit igitur hac ratione vehementer cuculus, & ita fortior redditur, quod ipſum adjuvet mater ſtulta & miſera curruca. Subitò igitur ex parvo ovo excreſcit cùculus in magnam ſtaturam, & hoc eſt, quod dicunt, neminem vidiſſe pullos cuculi. Verùm hoc deteſtandum vitium, quod dicitur pullus cuculus ſuos compullos ènecàre, efficitur magis execrandum, dum poſt interfectos pullos currucæ tandem devorat ipſam quoque matrem, à qua excludebatur & fovebatur. Unde *Juvenalis Sat. 6.*

Tu tibi nunc curruca places fletumque labellis
Exorbes.

Id quod me etiam tacentè quilibet agnoſcit, eſſe ſimulacrum *& imaginem diabolicæ ingratitudinis*, quæ exercetur ab illis, qui aliis debent omnia ſua. Sic *Judas* fovebatur à Chriſto, quem ipſe tandem tanquam ingratus cuculus Judæis dilaniandum præbuit. Sic *Lutherus* in hâc ipsâ Scholâ fovit Staphi-

philum, à quo tandem fuit miſerè exagitatus, cùm Staphilus defeciſſet ad Pontificios. Sic omnis A- 512
poſtata ſolet fieri perſecutor ſui ordinis. Sed tantum eſt hoc vitium cuculi, ut non ſatis poſſit exaggerari. Omnes autem hinc capiant exemplum, ne foveant hoſtes in finibus ſuis, ne tandem videant pennas ſuas in vulneribus ſuis, ſicut aves ſuppeditant ſagittariis pennas, quibus armant ſagittas, quibus ipſæ petuntur. Exempla ſi quis deſiderat, plus mille reperiet paſſim apud auctores, quia non eſt uſitatius vitium. Sed ſicut verè dictum eſt ab Auguſtino: *Deus, ut nullum bonum ſinit irremuneratum: ita nullum peccatum ſinit impunitum.* Idcircò fit, quod paſſim totus mundus plenus eſt miſeriarum & ærumnarum, dum Deus punit hoc & alia vitia. Et ſic quidem de cuculi ingratitudine veteres Patres diſſerunt: recentiores autem talia à cuculo fieri pernegant. Si quis igitur veterum Patrum ſimilitudinem de cuculo vult citare in ſuis concionibus, is prudenter hoc faciat, nimirùm dicat, ſic à veteribus de cuculo eſſe exiſtimatum & ſcriptum, &c.

5. *Fœdiſſima hæc avis vulgò recenſetur inter genera accipitris, & putatur fieri ex accipitre,* imò tandem etiam converti in accipitrem, ſicut accipitri ſimilis eſt, quoad colorem, non quoad ungves & roſtrum, id quod indè ſumſit originem, quia cum appa- 513
ret cuculus, ibi non conſpicitur accipiter, ſed non mutatur cuculus in accipitrem, etſi mutat ſuam vocem & ſuum colorem. Primo enim Vere apparet, & cantat usque ad caniculam, in diebus canicularibus vocem minus rectè explanat, & illo ipſo tempore quærit latebras. Nam vel in nidis ſuis, in vete-

 ribus

ribus ſalicibus, vel præruptis & excelſis petris ſeſe abſcondit, & ita latet per autumnum & hyemem avis futiliſſima, ſtolidiſſima, timidiſſima, frigidiſſima, infirmiſſima, & in totâ rerum naturâ ſecundum Veterum allegationes ingratiſſima, viva imago iſtorum, qui ſunt mœchi & ſcortatores, & benè meritis (juxta ſententiam declaratam) mundi gratiam reportant. Poſt hyemem maturè ſolet exire & annunciare adventum veris, undè dicitur temporaria avis apud *Plinium*, & olim viatores ſolebant Vinitoribus acclamare, Cuculus, ſi deprehenderent ipſos tardius egreſſos ad colendum vineam, unde in opprobrium negligentiæ ipſorum, hanc avem denominabant. Sed ſatis de ingrato Cuculo.

514

Caput XVII.

DE PSITTACO ET PORPHYRIONE.

PSittacus avis eſt *peregrinà, movet ſuperiorem mandibulam contra naturam reliquorum animalium,* nihil tamen frequentius fermè in noſtris omnibus terris, quam Pſittacos deprehendimus. Ipſi Indi illa ave non tàm veſcuntur, quàm vel ejus pennis varias veſtes mirabili arte contexunt pulcherrimas, vel eundem reſervant propter hanc cauſam, ut poſſint vendere, quia eſt docilis, & æmulatur vocem humanam, unde ſalutat Imperatores, per opprobrium etiam invehitur in prætereuntes, ſeſeque apte novit accommodare ad nutum & placitum domi-

dominorum, unde apud magnates eſt in maximo precio, interdumque cariùs emitur, quàm ſervus, ſed ab aliis non magnoperè curatur. Eſt autem expreſsè *imago adulatorum.*

1. *Sicut enim hæc avis* gaudet cœlo calido, (apud nos vix fovetur hypocauſtis calidis) nulla re, niſi frigore & aquis magis extenuatûr: *ita illi* menſis principum gaudent, paupertate enecantur.

2. *Sicut autem hæc avis* dat ſine mente ſonos: *ita adulatores* ſumunt ſibi judicium de omnibus rebus, quas etiam non intelligunt.

3. *Et ſicut Pſittacus* imitatur alienam vocem: *ita*
tales non ex proprio judicio loqvuntur, ſed habitant 515
in aliorum cerebris.

4. *Sicut Pſittacus* in cavea obliviſcitur ſui cantus, & canit χαῖρε: *ita poſt* amiſſam libertatem hi homines dicunt ea, quæ debent dicere.

Præterea 5. *ſicut Pſittacus* ſæpè in viros honeſtos, & in fœminas pudicas promiſcuè ſuas evomit voculas: *ita quoque* tales adulatores nemini parcunt.

6. *Sicut Pſittacus* in magno precio eſt apud magnates: *ita adulatores, Menander* dicit, occupare primum locum in aulis.

7. *Et ut hæc avis*, quanquam peregrina, tamen incipit fieri frequentiſſima: *ita* magnus numerus eſt adulatorum in omnibus locis.

8. Sed *ſicut* viri literis dediti, & alii cordati mirantur quidem formam, & docilitatem Pſittaci, interim tamen illo ipſo non delectantur: *ita* boni viri coguntur quidem mirari, adulatoribus tàm magnam

 ha-

haberi fidem in aulis, interim tamen pro ſua pruden-tia contemnunt tales homines. Refert *Scaliger contra Cardanum*, qui Pſittacum nominat pulcherrimam
516 avem, *nihil pulchri eſſe in Pſittaco, præter oculos.* Caput enim nullam habet proportionem ad corpus reliqvum, roſtrum eſt fœdum, crura ſunt turpia, lingva ipſa eſt turpis, nec quicquam eſt in ipſo magni faciendum, quàm quod poteſt doceri, & aſſuefieri, loquitur, ſaltar, ſolet porrigere oſcula, incipit amare pueros, ad Venerem item eſt promptiſſimus, ſummam habet curam caudæ, quàm etiam ſæpè purgat ſuo roſtro. *In quibus omnibus tam vivè depinguntur adulatores, ut non poſſent meliùs ſubjici ob oculos.* Nemo enim, in quo eſt mica ſolidæ eruditionis & veræ pietatis, patitur ſeſe haberi pro adulatore, ſed tantùm illi hoc faciunt, qui ſunt turpiſſimi, quique lingvam habent & manum venalem. Iſti igitur omnia faciunt ad nutum dominorum, & vel ſputa ipſorum lingunt, ſicut cujusdam Principis faciebat adulator.

9. *Et ſicut Cardanus* propter externam formam Pſittacum judicat eſſe formoſiſſimum: *ita vulgus* adulatores maximi facit. Forma enim externa non eſt contemnenda, quia pennas habet virides ſimiles Smaragdis, toto etiam corpore viret, ſolùmmodo exceptis circulis in collo. Omnia autem facit propter caudam, id eſt, propter ſtudium ventris.

517 10. *Per ſe quidem non eſt rapax,* niſi quod in India frumenta depaſcit, *ſed tamen* non inſervit venatoribus, *nihil prodeſt,* ad alios uſus, non purgat terras ſerpentibus, ſicut faciunt ciconiæ, non excitat ſervos ex ſomno, ſicut gallus: *ita adulatores ad nihil*

nil proſunt in aulis, niſi ad excitandos inanes riſus, ſicut Aurelianus Imp. habebat præcraſſum militem & valdè magnum, nomine Bonoſum, quo tamen ad nullam rem poterat uti, niſi cùm peregrini eſſent poculis excipiendi.

11. *Quando devolat Pſittacus*, ibi decidit ſuper roſtrum ſuum, valdè enim durum habet caput & roſtrum, & quando in pueritiâ diſcit loqui, ferreo baculo percutitur, & tamen vix ſentit ictum: *ita gnathones* quidvis patiuntur à dominis, & tamen cùm excidunt gratiâ dominorum, cadunt ſuper roſtra, id eſt plerumque propter nimiam παῤῥησίαν tandem ab ipſis dominis abjiciuntur.

12. *Edit autem hæc avis fructus, fruges*, nuces & papavera, & bibit ſimplicem aquam, dùm fera eſt, & tunc ritè ſe habet, *ſed cum quodvis oblatum edit*, cicur facta, & bibit vinum, *valdè fit laſciva*, amore etiam incenditur erga pueros, quos oſculatur, & viciſſim patitur ſibi dari oſcula, ita ut ſæpè cib⁹ in os redundet præ ingluvie & libidine: *ita adulatores* ſibi- 513
metipſis conſulerent, ſi paucis eſſent contenti. Dum autem ſeqvuntur aliorum menſas, fit ut alios ſeqvantur mores.

Eſt autem Pſittacus etiam imago illorum, præſertim Theologiæ addictorum, qui per ſeſe nihil ſolidi addiſcunt, non ſtudent cognoſcere fontes & fundamenta artium & linguarum & hiſtoriarum, non adjungunt lectionem probatorum Patrum, & aliorum doctiſſimorum.

1. *Sicut igitur Pſittacus* æmulatur verba illa, quæ audivit pronunciare ab aliis, quamvis non intelligit:

ita multi tales ſunt, qui non conſcribunt conciones proprio marte, adhibitis ſeriis precibus & meditationibus, ſed omnia mutuò ſumunt ex poſtillis, quæ rectè nomen videntur habere ineptum, *poſt illa,* quòd ſcilicet concionandum ſit juxta illa (ſcilicet præſcripta.) Ut igitur inepta eſt hæc avis, & turpis, & tamen quoad externam formam videtur eſſe decora: *ita* quoque tales poſtillatores ſunt in pretio & admiratione apud plebem. Luſcinia pulcherrimè cantat, ſed contemnitur præ corpuſculi deformitate & tenuitate: ſic mundus qui vult decipi, & tantùm intuetur externa, ſolummodò admiratur externas pom-
519 pas, quaſi bullas inflatas, nec poteſt judicium ferre de internâ & ſolidâ eruditione.

2. Et *ſicuti Pſittacus audacter inclamat* non tantùm plebejos, ſed etiam nobiles & Imperatores: *ita talibus* non ſolidè doctis, magnus tamen ſolet eſſe animus, & maxima impudentia, ita ut neminem vereantur, & præſentiori ſint animo, quàm doctiſſimi.

3. *At ſicut ſenex Pſittacus ſit indocilis* & oblivioſus: *ita tales inepti* declamatores circa ſenium incipiunt animadvertere, ſe eſſe vaſa vacua, quæ ſemper plus tinniunt, quàm repleta, ſed tamen tunc nihil poſſunt addiſcere.

5. *Sicut autem Pſittacus ſolet amicitiam colere* cum turturibus, tanquam cum ſimplicibus avibus: *ita tales indocti* & impudentes plerumque ſeſe inſinuant apud ſimplices & imperitos, quia apud doctos tantam habere licentiam non poſſunt. Silentio prætereundum non eſt, quod Pſittacus dicitur habere aliquam propè rationis particulam, & præ aliis avibus maximè præclaram, etſi animâ rationali penitùs deſtitua-

ſtituatur. Præſentes auctores hujus rei cauſam unam conferunt in grande ipſius cerebrum. Non igitur tantùm aliarum avium cantum, nec tantùm ſermones humanos æmulatur, ſed & meditari poſſe 520
dicitur. Idque juxta illa, quæ anteà audivit. Refert *Conradus Geſnerus* de quodam, *qui ex arce in aquam deciderat Londini in Anglia, & ſubindè clamabat ábott ábott fortvventii pounnt, i. e. cymbam cymbam pro viginti libris, quod promitteret totidem libras ſervatori ſuo.* Venit tùm cymba quidam, liberavit avem, & petivit promiſſum munus. Rex Heinricus IIX. reſpondit, ſe tantùm daturum, ſi avis adhuc ſemel illud confirmaret. Avis tunc reſpondit in hunc modum: Gibe the Knabe à grott, h. e. da nebuloni ſolidum. Alioquin à lugentibus lugubria diſcit, ſimul lætatur, ſimul alios affectus exprimit. Hæc quæ loqvuntur, habet Otto Melander jocoſerio 646. 647. Pſittacus, inquit, Aſcanii Cardinalis, Romæ aureis comparatus nummis centum, qui articulatiſſimè continuatis perpetuò verbis Chriſtianæ veritatis ſymbolum integrè pronunciavit, perinde ac vir peritus enunciat. Hoc ipſum habet Cœlius Cal. Rhodiginus.

PORPHYRIO, QVASI PURPURA.

Hæc quoque peregrina eſt avis, & nobis ignota, & dicitur reperiri laudatiſſima in Comagena, diciturque eſſe formoſiſſima, magnitudine galli. Quæ re- 521
citamus, illa tantùm ex aliorum commentariis præbebimus. Mirificè ajunt, ipſam delectari circumvolationibus in pulvere, *unde non ineptè poterit eſſe*

ita multi tales ſunt, qui non conſcribunt conciones proprio marte, adhibitis ſeriis precibus & meditationibus, ſed omnia mutuò ſumunt ex poſtillis, quæ rectè nomen videntur habere ineptum, *poſt illa*, quòd ſcilicet concionandum ſit juxta illa (ſcilicet præſcripta.) Ut igitur inepta eſt hæc avis, & turpis, & tamen quoad externam formam videtur eſſe decora: *ita* quoque tales poſtillatores ſunt in pretio & admiratione apud plebem. Luſcinia pulcherrimè cantat, ſed contemnitur præ corpuſculi deformitate & tenuitate: ſic mundus qui vult decipi, & tantùm intuetur externa, ſolummodò admiratur externas pom-
519 pas, quaſi bullas inflatas, nec poteſt judicium ferre de internâ & ſolidâ eruditione.

2. Et *ſicuti Pſittacus audacter inclamat* non tantùm plebejos, ſed etiam nobiles & Imperatores: *ita talibus* non ſolidè doctis, magnus tamen ſolet eſſe animus, & maxima impudentia, ita ut neminem vereantur, & præſentiori ſint animo, quàm doctiſſimi.

3. *At ſicut ſenex Pſittacus fit indocilis* & oblivioſus: *ita tales inepti* declamatores circa ſenium incipiunt animadvertere, ſe eſſe vaſa vacua, quæ ſemper plus tinniunt, quàm repleta, ſed tamen tunc nihil poſſunt addiſcere.

5. *Sicut autem Pſittacus ſolet amicitiam colere* cum turturibus, tanquam cum ſimplicibus avibus: *ita tales indocti* & impudentes plerumque ſeſe inſinuant apud ſimplices & imperitos, quia apud doctos tantam habere licentiam non poſſunt. Silentio prætereundum non eſt, quod Pſittacus dicitur habere aliquam propè rationis particulam, & præ aliis avibus maximè præclaram, etſi animâ rationali penitùs deſtitua-

ſtituatur. Præſentes auctores hujus rei cauſam unam conferunt in grande ipſius cerebrum. Non igitur tantùm aliarum avium cantum, nec tantùm ſermones humanos æmulatur, ſed & meditari poſſe 520 dicitur. Idque juxta illa, quæ anteà audivit. Refert *Conradus Geſnerus* de quodam, *qui ex arce in aquam deciderat Londini in Anglia, & ſubindè clamabat ábott ábott fortvventii pouunt, i. e. cymbam cymbam pro viginti libris, quod promitteret totidem libras ſervatori ſuo.* Venit tùm cymba quidam, liberavit avem, & petivit promiſſum munus. Rex Heinricus IIX. reſpondit, ſe tantùm daturum, ſi avis adhuc ſemel illud confirmaret. Avis tunc reſpondit in hunc modum: Gibe the Knabe à grott, h. e. da nebuloni ſolidum. Alioquin à lugentibus lugubria diſcit, ſimul lætatur, ſimul alios affectus exprimit. Hæc quæ loqvuntur, habet Otto Melander jocoſerio 646. 647. Pſittacus, inquit, Aſcanii Cardinalis, Romæ aureis comparatus nummis centum, qui articulatiſſimè continuatis perpetuò verbis Chriſtianæ veritatis ſymbolum integrè pronunciavit, perinde ac vir peritus enunciat. Hoc ipſum habet Cœlius Cal. Rhodiginus.

PORPHYRIO, QVASI PURPURA.

Hæc quoque peregrina eſt avis, & nobis ignota, & dicitur reperiri laudatiſſima in Comagena, diciturque eſſe formoſiſſima, magnitudine galli. Quæ re- 521 citamus, illa tantùm ex aliorum commentariis præbebimus. Mirificè ajunt, ipſam delectari circumvolationibus in pulvere, *unde non ineptè poterit eſſe*

imago Principum, quibus infinita incumbunt negotia, tanquam volutationes pulverulentæ.

1. *Porphyrio* ante volutationem, ſicut etiam ante lotionem, *ſolet præmittere obambulationem*: *ita magnates* neceſſe eſt ſeriis ſæpenumerò miſcere jocoſas actiones. Nec turpe eſt, Principem ſæpè occupari venationibus, vel ludos tractare equeſtres, quia hoc requirunt ſeria negotia, nam

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt.

2. *Quando paſcitur hæc avis, ibi dolet*, ſi videt circumſtantes homines tanquam teſtes ſui prandii, unde mox quærit angulum, ubi latet: *ſimiliter Principes debent odiſſe nimium luxum in victu*, in amictu, in nimio comitatu, in nimis frequentibus ludis.

3. Mirabile eſt, *quod hæc avis fermè dicitur emori*, cùm ſaltem aſpicit meretricem, & quod ſeipſam ſtrangulat, cum animadvertit, matrem familias exercere adulteria: *ita etiam pii Principes* omnes vitæ &
522 virium ſuarum nervos debent intendere ad extirpanda adulteria, tùm ſpiritualia, quæ ſunt hæreſes & idololatriæ, tum corporalia, quæ ſunt omnis generis illegitimæ confuſiones & commixtiones. *Teſtantur enim omnes hiſtorici*, nunquam gravius punitum fuiſſe mundum, quàm propter adulteria ſpiritualia, id eſt, Idololatrias, & abuſiones ſeminis.

4. *Libenter lavatur hæc avis in illis locis*, ubi ſolent lavare columbæ, quæ ſunt imagines Doctorum Evangelii. *Itaque Principes etiam libenter ad ſe debent recipere non vanos oſtentatores*, ſed doctos, & præſertim Theologos. Cujus inſignia exempla recitant hiſtorici *de Alphonſo Rege Arragoniæ in Hiſpaniâ*,

nia, qui plurimum delectabatur conſortio piorum Paſtorum, ſemper loquebatur de Theologicis, noctu cùm non poſſet dormire, legebat in Theologicis. Et quanquam plurima geſſit bella, aliisque fuit implicitus occupationibus graviſſimis & innumeris, tamen Biblia cum commentariis, quæ tunc extabant, decies & quater perlegit. Utinam verò hæc exempla non modò Principes, ſed ipſi paſtores imitarentur. Nil dicam de reliquis libris ſacris & profanis, quos ipſos diligenter percurrit, ſiquidem Legẽ tulerat in oppugnationibus civitatum, ut quicunque reperiret librum 523 aliquem, illum ad ſeſe deferret. *Atque interrogatus, quosnam judicaret eſſe optimos ſuos conſiliarios, reſpondebat, illos eſſe mortuos, & demonſtrabat libros, quos mutos magiſtros nominamus, ex quibus dicebat, ſe addiſcere veritatem ſine difficultate & periculo, cùm vivi conſiliarii metu periculorum & exiliorum, ſæpè veritatem occultent.* Hoc igitur eſt *lavare inter columbas*, hoc eſt, inter libros ſacros & profanos itaverſari libenter, ut inde diſcatur veritas.

5. *Amantiſſimus eſt Porphyrio illorum, cum quibus tempore & uſu atque familiaritate conjungitur.* Solet autem vehementer amare gallum, de quo ſuperiùs dictum eſt, quod Miniſter verbi per gallum ſtantem in turri Templorum admoneatur de vigilantiâ, & de populo revocando ad pœnitentiam. *Iterum igitur ſignificatur, omnem aditum debere patere Miniſtris verbi,* prædicantibus pœnitentiam in aulis apud Principes. Sæpè tamen qui non eſt Miniſter verbi, ſed Conſiliarius, & ipſe eſt gallus, cujus familiaritatem diligenter expetere debet Princeps. *Fabulantur Poëtæ, Jovem duxiſſe uxorem, cui nomen*

fuerit,

fuerit hoc, METIS, *neque potuiſſe Jovem benè gubernare ſua regna, niſi poſtquam devoraverat ſuam uxo-*
524 *rem Metin. Etſi igitur populi ſubjecti ipſius imperio prius fuerant admodum barbari, qui veſcebantur glandibus, tamen poſt nuptias omnes ſuos ſubditos flexit ad ſtudium humanitatis, & docuit eos abjectis glandibus uſurpare ſegetes. Juppiter ille ſignificat omnem Principem, qui debet ducere uxorem Metin, id eſt, conſilium ſeu rationem, id eſt*, comparare ſibi prudentiam, & adſciſcere ſapientes conſiliarios, quorum ope feliciter poterit regnare. Refert *Ælianus exemplum de quodam Porphyrione, qui cum quodam gallo familiariſſimè conſueverat. Poſtquam igitur gallus fuit mactatus, ibi Porphyrio nihil amplius voluit comedere, ſed inedia ſibi conſcivit mortem: ſic boni Principes non debent leviter ferre mortem piorum miniſtrorum & conſiliariorum.*

6. *Denique Porphyrio cum volat, non altè attollitur*, nullum etiam ferre poteſt rivalem, ſolus inter omnes aves morſu bibit, cibumque aqua prius tingit, & tinctum altero pede velut manu quadam ad roſtrum adfert: *ſic Principes non nimis alta debent ſapere*, & delicatius quidem vivere quàm plebei, ſed tamen temperantiæ præ reliquis omnibus, & munditiei ſtudere. Sed & de illis ſatis.

CA-

525

Caput XVIII.
DE PICA ET PICO MARTIO.

PICA, Elſter/ *avis eſt plus ſatis nota, ſemper etiam invita ſaliens, & vera imago loquaculorum & adulatorum. Et ſicut* hæc avis prioribus partibus eſt alba, ſed poſterioribus nigra: *ita loquaculi* & adulatores duplicem habent animum, ut loquitur *Homerus*, quia in præſentiâ amicorum ſpirant mel, & ſimulant ſeſe bonos & amicos, ſed poſtea ſunt conjurati hoſtes. Hinc illud Pythagoræ, *minimè güſtandum eſſe ex iis quibus nigra eſt cauda.* Pullos diligentiſſimè in nido optimè conſtructo, plerumque duplici, ne ab homine ſatis agnoſci verus poſſit in altiſſimis arboribus, fovet, vehementerque amat, unde cum videt hominem intueri ſuum nidum crebrius, aliò transfert ova: *ſic* loquaculi & adulatores ſuos vehementer amant, & ſuas fabulas. Et cum intelligunt alios de ipſis ſolicitè quærere, & examen inſtituere, quo poſſent deprehendi in mendacio, metuunt ſibi, & vel diſcedunt, vel ad alia conferunt ſuos ſermones. Sicut autem Pſittacus: ita quoque pica humanas voces imitatur, id quod familiare eſt illis avibus, quæ habent latas lingvas. Sed ut Pſittacus 526 non intelligit, quæ loquitur: ita quoque pica. Hoc igitur eſt potius λαλεῖν, quàm λέγειν, quia λέγειν præſupponit λόγον, id eſt, rationem. Valdè docilis eſt pica, ſed tamen non loquitur ita liquidè, & ita concinnè, ſicut Pſittacus, multò minus ſicut corvus,

qui

ribus ſalicibus, vel præruptis & excelſis petris ſeſe abſcondit, & ita latet per autumnum & hyemem avis futiliſſima, ſtolidiſſima, timidiſſima, frigidiſſima, infirmiſſima, & in totâ rerum naturâ ſecundum Veterum allegationes ingratiſſima, viva imago iſtorum, qui ſunt mœchi & ſcortatores, & benè meritis (juxta ſententiam declaratam) mundi gratiam reportant. Poſt hyemem maturè ſolet exire & annnnciare adventum veris, undè dicitur temporaria avis apud *Plinium,* & olim viatores ſolebant Vinitoribus acclamare, Cuculus, ſi deprehenderent ipſos tardius egreſſos ad colendum vineam, unde in opprobrium negligentiæ ipſorum, hanc avem denominabant. Sed ſatis de ingrato Cuculo.

514
Caput XVII.
DE PSITTACO ET PORPHYRIONE.

Psittacus avis eſt *peregrinà, movet ſuperiorem mandibulam contra naturam reliquorum animalium,* nihil tamen frequentius fermè in noſtris omnibus terris, quam Pſittacos deprehendimus. Ipſi Indi illa ave non tàm veſcuntur, quàm vel ejus pennis varias veſtes mirabili arte contexunt pulcherrimas, vel eundem reſervant propter hanc cauſam, ut poſſint vendere, quia eſt docilis, & æmulatur vocem humanam, unde ſalutat Imperatores, per opprobrium etiam invehitur in prætereuntes, ſeſeque apte novit accommodare ad nutum & placitum domi-

dominorum, unde apud magnates eſt in maximo precio, interdumque cariùs emitur, quàm ſervus, ſed ab aliis non magnoperè curatur. Eſt autem expreſsè *imago adulatorum*.

1. *Sicut enim hæc avis* gaudet cœlo calido, (apud nos vix fovetur hypocauſtis calidis) nulla re, niſi frigore & aquis magis extenuatur: *ita illi* menſis principum gaudent, paupertate enecantur.

2. *Sicut autem hæc avis* dat ſine mente ſonos: *ita adulatores* ſumunt ſibi judicium de omnibus rebus, quas etiam non intelligunt.

3. *Et ſicut Pſittacus* imitatur alienam vocem: *ita*
tales non ex proprio judicio loqvuntur, ſed habitant 515
in aliorum cerebris.

4. *Sicut Pſittacus* in cavea obliviſcitur ſui cantus, & canit χαῖρε: *ita poſt* amiſſam libertatem hi homines dicunt ea, quæ debent dicere.

Præterea 5. *ſicut Pſittacus* ſæpè in viros honeſtos, & in fœminas pudicas promiſcuè ſuas evomit voculas: *ita quoque* tales adulatores nemini parcunt.

6. *Sicut Pſittacus* in magno precio eſt apud magnates: *ita adulatores, Menander* dicit, occupare primum locum in aulis.

7. *Et ut hæc avis,* quanquam peregrina, tamen incipit fieri frequentiſſima: *ita* magnus numerus eſt adulatorum in omnibus locis.

8. Sed *ſicut* viri literis dediti, & alii cordati mirantur quidem formam, & docilitatem Pſittaci, interim tamen illo ipſo non delectantur: *ita* boni viri coguntur quidem mirari, adulatoribus tàm magnam ha-

haberi fidem in aulis, interim tamen pro ſua pruden-tia contemnunt tales homines. Refert *Scaliger contra Cardanum*, qui Pſittacum nominat pulcherrimam
516 avem, *nihil pulchri eſſe in Pſittaco, præter oculos.* Caput enim nullam habet proportionem ad corpus reliqvum, roſtrum eſt fœdum, crura ſunt turpia, lingva ipſa eſt turpis, nec quicquam eſt in ipſo magni faciendum, quàm quod poteſt doceri, & aſſuefieri, loquitur, ſaltar, ſolet porrigere oſcula, incipit amare pueros, ad Venerem item eſt promptiſſimus, ſummam habet curam caudæ, quàm etiam ſæpè purgat ſuo roſtro. *In quibus omnibus tam vivè depinguntur adulatores, ut non poſſent meliùs ſubjici ob oculos.* Nemo enim, in quo eſt mica ſolidæ eruditionis & veræ pietatis, patitur ſeſe haberi pro adulatore, ſed tantùm illi hoc faciunt, qui ſunt turpiſſimi, quique lingvam habent & manum venalem. Iſti igitur omnia faciunt ad nutum dominorum, & vel ſputa ipſorum lingunt, ſicut cujusdam Principis faciebat adulator.

9. *Et ſicut Cardanus* propter externam formam Pſittacum judicat eſſe formoſiſſimum: *ita vulgus* adulatores maximi facit. Forma enim externa non eſt contemnenda, quia pennas habet virides ſimiles Smaragdis, toto etiam corpore viret, ſolummodo exceptis circulis in collo. Omnia autem facit propter caudam, id eſt, propter ſtudium ventris.

517 10. *Per ſe quidem non eſt rapax*, niſi quod in India frumenta depaſcit, *ſed tamen* non inſervit venatoribus, *nihil prodeſt*, ad alios uſus, non purgat terras ſerpentibus, ſicut faciunt ciconiæ, non excitat ſervos ex ſomno, ſicut gallus: *ita adulatores ad nihil*

nil proſunt in aulis, niſi ad excitandos inanes riſus, ſicut Aurelianus Imp. habebat præcraſſum militem & valdè magnum, nomine Bonoſum, quo tamen ad nullam rem poterat uti, niſi cùm peregrini eſſent poculis excipiendi.

11. *Quando devolat Pſittacus,* ibi decidit ſuper roſtrum ſuum, valdè enim durum habet caput & roſtrum, & quando in pueritiâ diſcit loqui, ferreo baculo percutitur, & tamen vix ſentit ictum: *ita gnathones* quidvis patiuntur à dominis, & tamen cùm excidunt gratiâ dominorum, cadunt ſuper roſtra, id eſt plerumque propter nimiam παῤῥησίαν tandem ab ipſis dominis abjiciuntur.

12. *Edit autem hæc avis fructus, fruges,* nuces & papavera, & bibit ſimplicem aquam, dùm fera eſt, & tunc ritè ſe habet, *ſed cum quodvis oblatum edit,* cicur facta, & bibit vinum, *valdè fit laſciva,* amore etiam incenditur erga pueros, quos oſculatur, & viciſſim patitur ſibi dari oſcula, ita ut ſæpè cibꝰ in os redundet præ ingluvie & libidine: *ita adulatores* ſibimetipſis 513 conſulerent, ſi paucis eſſent contenti. Dum autem ſeqvuntur aliorum menſas, fit ut alios ſeqvantur mores.

Eſt autem Pſittacus etiam imago illorum, præſertim Theologiæ addictorum, qui per ſeſe nihil ſolidi addiſcunt, non ſtudent cognoſcere fontes & fundamenta artium & linguarum & hiſtoriarum, non adjungunt lectionem probatorum Patrum, & aliorum doctiſſimorum.

1. *Sicut igitur Pſittacus* æmulatur verba illa, quæ audivit pronunciare ab aliis, quamvis non intelligit:

ita multi tales ſunt, qui non conſcribunt conciones proprio marte, adhibitis ſeriis precibus & meditationibus, ſed omnia mutuò ſumunt ex poſtillis, quæ rectè nomen videntur habere ineptum, *poſt illa*, quòd ſcilicet concionandum ſit juxta illa (ſcilicet præſcripta.) Ut igitur inepta eſt hæc avis, & turpis, & tamen quoad externam formam videtur eſſe decora: *ita* quoque tales poſtillatores ſunt in pretio & admiratione apud plebem. Luſcinia pulcherrimè cantat, ſed contemnitur præ corpuſculi deformitate & tenuitate: ſic mundus qui vult decipi, & tantùm intuetur externa, ſolummodò admiratur externas pom-
519 pas, quaſi bullas inflatas, nec poteſt judicium ferre de internâ & ſolidâ eruditione.

2. Et *ſicuti Pſittacus audacter inclamat* non tantùm plebejos, ſed etiam nobiles & Imperatores: *ita talibus* non ſolidè doctis, magnus tamen ſolet eſſe animus, & maxima impudentia, ita ut neminem vereantur, & præſentiori ſint animo, quàm doctiſſimi.

3. *At ſicut ſenex Pſittacus ſit indocilis* & obliviosſus: *ita tales inepti* declamatores circa ſenium incipiunt animadvertere, ſe eſſe vaſa vacua, quæ ſemper plus tinniunt, quàm repleta, ſed tamen tunc nihil poſſunt addiſcere.

5. *Sicut autem Pſittacus ſolet amicitiam colere* cum turturibus, tanquam cum ſimplicibus avibus: *ita tales indocti* & impudentes plerumque ſeſe inſinuant apud ſimplices & imperitos, quia apud doctos tantam habere licentiam non poſſunt. Silentio prætereundum non eſt, quod Pſittacus dicitur habere aliquam propè rationis particulam, & præ aliis avibus maximè præclaram, etſi animâ rationali penitùs deſtitua-

ſtituatur. Præſentes auctores hujus rei cauſam unam conferunt in grande ipſius cerebrum. Non igitur tantùm aliarum avium cantum, nec tantùm ſermones humanos æmulatur, ſed & meditari poſſe 520 dicitur. Idque juxta illa, quæ anteà audivit. Refert Conradus Geſnerus de quodam, *qui ex arce in aquam deciderat Londini in Anglia, & ſubindè clamabat ábott ábott fortvventii pouunt, i. e. cymbam cymbam pro viginti libris, quod promitteret totidem libras ſervatori ſuo.* Venit tùm cymba quidam, liberavit avem, & petivit promiſſum munus. Rex Heinricus IIX. reſpondit, ſe tantùm daturum, ſi avis adhuc ſemel illud confirmaret. Avis tunc reſpondit in hunc modum: Gibe the Knabe à grott, h. e. da nebuloni ſolidum. Alioquin à lugentibus lugubria diſcit, ſimul lætatur, ſimul alios affectus exprimit. Hæc quæ loqvuntur, habet Otto Melander jocoſerio 646. 647. Pſittacus, inquit, Aſcanii Cardinalis, Romæ aureis comparatus nummis centum, qui articulatiſſimè continuatis perpetuò verbis Chriſtianæ veritatis ſymbolum integrè pronunciavit, perinde ac vir peritus enunciat. Hoc ipſum habet Cœlius Cal. Rhodiginus.

PORPHYRIO, QVASI PURPURA.

Hæc quoque peregrina eſt avis, & nobis ignota, & dicitur reperiri laudatiſſima in Comagena, diciturque eſſe formoſiſſima, magnitudine galli. Quæ re- 521 citamus, illa tantùm ex aliorum commentariis præbebimus. Mirificè ajunt, ipſam delectari circumvolationibus in pulvere, *unde non ineptè poterit eſſe*

imago Principum, quibus infinita incumbunt negotia, tanquam volutationes pulverulentæ.

1. *Porphyrio* ante volutationem, ſicut etiam ante lotionem, *ſolet præmittere obambulationem: ita magnates* neceſſe eſt ſeriis ſæpenumerò miſcere jocoſas actiones. Nec turpe eſt, Principem ſæpè occupari venationibus, vel ludos tractare equeſtres, quia hoc requirunt ſeria negotia, nam

Quod caret alternâ requie, durabile non eſt.

2. *Quando paſcitur hæc avis, ibi dolet,* ſi videt circumſtantes homines tanquam teſtes ſui prandii, unde mox quærit angulum, ubi latet: *ſimiliter Principes debent odiſſe nimium luxum in victu,* in amictu, in nimio comitatu, in nimis frequentibus ludis.

3. Mirabile eſt, *quod hæc avis fermè dicitur emori,* cùm ſaltem aſpicit meretricem, & quod ſeipſam ſtrangulat, cum animadvertit, matrem familias exercere adulteria: *ita etiam pii Principes* omnes vitæ &
522 virium ſuarum nervos debent intendere ad extirpanda adulteria, tùm ſpiritualia, quæ ſunt hæreſes & idololatriæ, tum corporalia, quæ ſunt omnis generis illegitimæ confuſiones & commixtiones. *Teſtantur enim omnes hiſtorici,* nunquam gravius punitum fuiſſe mundum, quàm propter adulteria ſpiritualia, id eſt, Idololatrias, & abuſiones ſeminis.

4. *Libenter lavatur hæc avis in illis locis,* ubi ſolent lavare columbæ, quæ ſunt imagines Doctorum Evangelii. *Itaque Principes etiam libenter ad ſe debent recipere non vanos oſtentatores,* ſed doctos, & præſertim Theologos. Cujus inſignia exempla recitant hiſtorici *de Alphonſo Rege Arragoniæ in Hiſpaniâ,*

nia, qui plurimum delectabatur conſortio piorum Paſtorum, ſemper loquebatur de Theologicis, noctu cùm non poſſet dormire, legebat in Theologicis. Et quanquam plurima geſſit bella, aliisque fuit implicitus occupationibus graviſſimis & innumeris, tamen Biblia cum commentariis, quæ tunc extabant, decies & quater perlegit. Utinam verò hæc exempla non modò Principes, ſed ipſi paſtores imitarentur. Nil dicam de reliquis libris ſacris & profanis, quos ipſos diligenter percurrit, ſiquidem Legẽ tulerat in oppugnationibus civitatum, ut quicunque reperiret librum 523
aliquem, illum ad ſeſe deferret. *Atque interrogatus, quosnam judicaret eſſe optimos ſuos conſiliarios, reſpondebat, illos eſſe mortuos, & demonſtrabat libros, quos mutos magiſtros nominamus, ex quibus dicebat, ſe addiſcere veritatem ſine difficultate & periculo, cum vivi conſiliarii metu periculorum & exiliorum, ſæpè veritatem occultent.* Hoc igitur eſt *lavare inter columbas*, hoc eſt, inter libros ſacros & profanos itaverſari libenter, ut inde diſcatur veritas.

5. *Amantiſſimus eſt Porphyrio illorum, cum quibus tempore & uſu atque familiaritate conjungitur.* Solet autem vehementer amare gallum, de quo ſuperiùs dictum eſt, quod Miniſter verbi per gallum ſtantem in turri Templorum admoneatur de vigilantiâ, & de populo revocando ad pœnitentiam. *Iterum igitur ſignificatur, omnem aditum debere patere Miniſtris verbi,* prædicantibus pœnitentiam in aulis apud Principes. Sæpè tamen qui non eſt Miniſter verbi, ſed Conſiliarius, & ipſe eſt gallus, cujus familiaritatem diligenter expetere debet Princeps. *Fabulantur Poëtæ, Jovem duxiſſe uxorem, cui nomen fuerit,*

fuerit hoc, METIS, *neque potuiſſe Jovem benè gubernare ſua regna, niſi poſtquam devoraverat ſuam uxo-*
524 *rem Metin. Etſi igitur populi ſubjecti ipſius imperio prius fuerant admodum barbari, qui veſcebantur glandibus, tamen poſt nuptias omnes ſuos ſubditos flexit ad ſtudium humanitatis, & docuit eos abjectis glandibus uſurpare ſegetes. Juppiter ille ſignificat omnem Principem, qui debet ducere uxorem Metin, id eſt, conſilium ſeu rationem, id eſt,* comparare ſibi prudentiam, & adſciſcere ſapientes conſiliarios, quorum ope feliciter poterit regnare. Refert *Ælianus exemplum de quodam Porphyrione, qui cum quodam gallo familiariſſimè conſueverat. Poſtquam igitur gallus fuit mactatus, ibi Porphyrio nihil amplius voluit comedere, ſed inedia ſibi conſcivit mortem: ſic boni Principes non debent leviter ferre mortem piorum miniſtrorum & conſiliariorum.*

6. *Denique Porphyrio cum volat, non altè attollitur,* nullum etiam ferre poteſt rivalem, ſolus inter omnes aves morſu bibit, cibumque aqua prius tingit, & tinctum altero pede velut manu qnadam ad roſtrum adfert: *ſic Principes non nimis alta debent ſapere,* & delicatius quidem vivere quàm plebei, ſed tamen temperantiæ præ reliquis omnibus, & munditiei ſtudere. Sed & de illis ſatis.

CA-

Caput XVIII.

DE PICA ET PICO 525
MARTIO.

PICA, Elſter/ *avis eſt plus ſatis nota, ſemper etiam invita ſaliens, & vera imago loquaculorum & adulatorum. Et ſicut* hæc avis prioribus partibus eſt alba, ſed poſterioribus nigra: *ita loquaculi* & adulatores duplicem habent animum, ut loquitur *Homerus*, quia in præſentiâ amicorum ſpirant mel, & ſimulant ſeſe bonos & amicos, ſed poſtea ſunt conjurati hoſtes. Hinc illud Pythagoræ, *minimè guſtandum eſſe ex iis quibus nigra eſt cauda.* Pullos diligentiſſimè in nido optimè conſtructo, plerumque duplici, ne ab homine ſatis agnoſci verus poſſit in altiſſimis arboribus, fovet, vehementerque amat, unde cum videt hominem intueri ſuum nidum crebrius, aliò transfert ova: *ſic* loquaculi & adulatores ſuos vehementer amant, & ſuas fabulas. Et cum intelligunt alios de ipſis ſolicitè quærere, & examen inſtituere, quo poſſent deprehendi in mendacio, metuunt ſibi, & vel diſcedunt, vel ad alia conferunt ſuos ſermones. Sicut autem Pſittacus: ita quoque pica humanas voces imitatur, id quod familiare eſt illis avibus, quæ habent latas lingvas. Sed ut Pſittacus 526
non intelligit, quæ loquitur: ita quoque pica. Hoc igitur eſt potius λαλεῖν, quàm λέγειν, quia λέγειν præſupponit λόγον, id eſt, rationem. Valdè docilis eſt pica, ſed tamen non loquitur ita liquidè, & ita concinnè, ſicut Pſittacus, multò minùs ſicut corvus,

qui optimè loquitur. Quâdam enim raucedine ſermonem prolatum obfuſcat, & ſyllabas præfracto ſono enunciat. Habet etiam quoddam humidius cerebrum, unde non ita valet memoriâ, ſed facile obliviſcitur illorum, quæ audivit, niſi ſæpiùs repetantur; hoc poteſt imago eſſe inanis loquacitatis & mendacii, quia nullius rei citiùs obliviſcuntur homines, quàm mendaciorum, ſicut nunquam conveniunt mendaces, niſi hoc faciant ex compoſito.

Eſſe tamen in hoc & in aliis ſimilibus animalibus magnam vim imaginationis, quæ illa, quæ audivit, ſæpè repetit, & ſibimetipſi inculcat, & inculcata conatur proferre, luculenter patet ex illo exemplo, quod recenſet *Plutarchus* in tractatu de comparatione terreſtrium & aquatilium. *Cùm in deducendo funere cujuſdam divitis præterirent homines domum, in qua alebatur pica valdè loqvax, quæ pòterat exprimere hominum, avium, boum & aliorum quorumvis ani-*
527 *malium ſonos, atque cum inter prætereundum Tibicines (quales adhibebant in funeribus deducendis) ante illam ipſam domum vehementiùs inflarent tibias, cœpit poſtea illa pica per multos dies conticeſcere, Illud valdè mirabantur homines, & docti conabantur illam ipſam excuſare Phyſicè, afferebantque multas rationes. Sed eventus oſtendit, verum fuiſſe, quod jam dictum eſt, quia poſt aliquot dies iterum cœpit canere, & ſonum eundem interim expenſum tàm apprimè imitari & exprimere, quem audiverat ex buccinatore, ut tota Roma ſtupeſceret.* Luce igitur meridianâ clarius eſt fortiſſimas ſæpè eſſe imaginationes in brutis. Nimirum eſt, quod *Plinius & Plutarchus* exiſtimant, emori picam, ſi ſonorum, quos didi-

didicit, fuerit oblita. Pauperiores ſolent veſci carnibus hujus avis, & eas ſpiritum viſorium reſtaurare quidam auctores tradunt. Quædam picæ recondunt glandes pro uſu hyemis ſævioris, & illæ dicuntur œconomiarum magiſtræ. Reliqua de hac ave paſſim ſunt obvia & parvi momenti. Non reprehenſione, ſed ſibilo digni ſunt, qui clamorem picæ putant eſſe ſignum adventantium hoſpitum, cùm ideò ſæpiùs ingeminet ſonum, vel quia cibum invenit, vel quia vocat comparem ſuum, vel quia videt aliquid ſibi adverſum vel lætum &c. Niſi quis ve- 528
lit exiſtimare, olim ſub Ethnicismo Satanam hoſpitum appropinquationem ſub figurâ picæ indicaſſe, & inde reliquam eſſe nobis hanc ſuperſtitionem.

PICUS MARTIUS, ein Specht.

Nota hæc quoque eſt avis, *non magna, ſed paulò minor turture, coloribus pulchris, præſertim viridibus, habens incurvatum & aduncum roſtrum,* quo ſolet excavare & quaſi diſſecare quercus, & prius ex ſono conjecturam facere de ſoliditate & cavernoſitate, quia vermes, formicas, culices, teredines partibus non ſolidis ferè ineſſe novit. Apud Græcos appellatur δρυοκολάπτης, id eſt, percuſſor quercûs. Propter garrulitatem dicitur *Picus*, ſed propter fortitudinem *Martius*, nomine compoſito, quod vetuſtas ipſam avem Marti ſacram eſſe voluerit, propter robur & fortitudinem in percutiendo. Ideoque etiam faciunt hanc avem imaginem militum. Præcipua ejus *proprietas eſt*, percutere quercus & excavare alias arbores,

arbores, & quærere vermes & culices deliteſcentes intra cavernoſas arbores, rodentes & corrumpentes ſubſtantiam arborum. Tales igitur vermes & ſi-
529 milia inſecta picus martius vel roſtro contundit, vel ſponte egredientes lingvâ ſuâ arripit, quam habet ſatis latam & magnam.

Gratâ autem mente has naturas avium conſiderare decet, & admirari atque laudare Dei providentiam. Cùm enim propter lapſum nunc nobis modò plus, modò minùs augeatur numerus vermium & inſectorum, ſiquidem ſub terra, unde creſcunt ſegetes & fructus, generantur bufones, & plurimi vermes, intra ipſas arbores etiam reperiuntur prædatores utiliſſimi ſucci, quem concoqvunt arbores pro pyris, pro pomis, &c. ita ut facillimè poſſint infici fruges & fructus terræ. Idcircò ſapientiſſimus & benignus Deus his ipſis malis remedia quædam deſtinavit: Nam *ciconiæ* ſerpentes & bufones è medio tollunt. *Corvi & monedulæ* vermiculos ſub ſegetibus in agris, *hæc avis*, de quâ nunc agimus, conſtituta eſt quaſi lotrix & purgatrix arborum, unde ſolummodò perrepit arbores, quærit & evocat prædatores, modò ſcandit in ſubtectum, id eſt, ad faſtigium arboris inſtar felis, modò ſupina inſtar ſtellionis ingreditur, & ita omnibus modis intenta eſt in hunc finem, propter quem à Deo eſt condita, & rarò conſi-
530 ſtit in terra. Paulò poſt ſimile beneficium Dei ſequetur in *hirundinibus*, quæ interdiu purgant aërem, & devorant muſcas. Sicut *veſpertiliones* hoc faciunt noctu, dum ſimiliter circumvolitant, & conſumunt culices noctu circumvagantes.

Cùm

Cùm igitur picus martius ſit ſacer Marti, & *imago bonorum militum,* decet hos etiam imitari picum.

1. *Sicut picus habet roſtrum incurvatum & aduncum,* quod ſcilicet poſſit aptum eſſe tundendis & aperiendis corticibus arborum: *ita ſinguli principes & reges ſibi maturè debent proſpicere de bonis militibus* & aliis neceſſariis adminiculis, quæ requiruntur in bello & in pace. Nam ſicut *Democritus* tempore ſereno flebat, quod metueret mutationem ſerenitatis in tempeſtatem ſævam: *ita* ſinguli tunc, cùm fortuna flat benignè, nil niſi mutationem ſperare debent. Et maximâ parte neceſſariarum rerum deſtituitur ille, qui ſubditos ſuos neque in exercitiis bellicis inſtruit, neque ſuam ditionem egregiis machinis bellicis exornat.

1. *Sicut* enim pictus rex non poteſt defendere ſubditos juxtà ſe pictos in tabellâ contra fures, & ignem: *ita tales ſunt ſaltem picti Principes,* qui nec ſe, nec ſuos poſſunt tueri contra hoſtes. Et defenſio eſt unum ex præcipuis officiis magiſtratuum.

2. *Sicut picus martius tantùm propter hanc cauſam tundit & excavat arbores,* ut vermes & culices enecet, & è medio tollat: *ita ſapientes Principes non temerè debent movere bella,* quæ poſſent eſſe conjuncta cum interitu Regionum, Urbium, Arcium, ſed omne bellum in hoc debet eſſe directum, ut capiantur vermes & culices infeſtantes ſubſtantiam arborum, ex quibus arboribus & fructus & umbras, & folia pro pecoribus, & tandem etiam ligna pro foco percipimus, id eſt, ut è medio tollantur illi, qui turbant communem ſalutem rerumpublicarum. Huc poteſt 531

ris, id eſt, cum adhuc abundant opibus, ſemper verſantur juxta mare, id eſt, in compotationibus.

2. *Sicut mergus* diutiſſimè fertur ſub aquis, ut quærat pabula: *ita tales helluones* non reperiuntur inter reliquos laborantes, ſed in locis ſubterraneis, & cellis & tabernis, & omninò ſicut mergi, *ita quoque ipſi ſunt* inſatiabiles, non tantùm devorant piſciculos ſub aquâ repertos, ſed etiam reliqua, quæ aliæ aves reddunt. Habent enim non flexuoſa & longa, 549
ſed valdè brevia & parva inteſtina, ſicut lupi, unde cibo priore citiùs ejecto appetunt novum. A Græcis dicitur αἴθειν, unde etiam æther habet ſuum nomen, quia ſunt calidiſſimæ aves, quæ habent igneum calorem, ut plurima poſſint conſumere, *ſicut helluones* integra conſumunt patrimonia. Refert *Scaliger exercitatione* 233. contra Cardanum, *Venetiis quendam habuiſſe cicuratum mergum, quem ſolitus fuerit ex manu emittere, atque mergum ingreſſum in mare quæſiviſſe cibos, & ſatiatum rediiſſe ad dominum.*

3. *Denique ſicut mergi* cùm prævident tempeſtatem aliquam, ex mari cum clangore revolant ad littora, id quod annotavit *Virgil. in 1. Georg.* inter præſagia pluviarum: *ita helluones abſumtâ omni ſubſtantiâ* tandem coguntur carere, & reliqvum tempus ſuſpiriis & mendicationibus conſumere. *Eſt etiam Dæmonum imago.*

Obiter hoc in loco facienda eſt mentio cujusdam generis avium, quod in Scotia dicitur provenire ex arboribus, & ſimile eſſe noſtris vel anſeribus, vel magnis mergis. Referunt autem arbores eſſe ſimiles abie-

tim, pauperiem, captivitatem, exilia,&c. Roma temiſſimè victitans orbem ſibi ſubjugavit, & eadem divitiis in immenſum aucta & luxui dedita iterum decrevit. Refert *Ælianus lib. 1. cap. 45.* de pico martio deliteſcente intra arborem, quod ſi quis lapide 533
foramen obſtruxerit, herbam noverit, quam lapidi opponat, ita ut lapis virtute illius herbæ exiliat. Hoc ſi ita eſt, multò magis duces & milites imprimis decet eſſe ſollicitos de explorationibus, in quibus maxima pars belli eſt ſita, ut ſcilicet nota habeant conſilia hoſtium, item excogitanda eis ſunt multa ſtratagemata, quia ſæpiſſimè plus poteſt calliditas, quàm maximum robur, & ſæpè cum non valet pellis leonina, aſſumenda eſt vulpina. Lege *Ranzovium de bello.*

7. *Hæc quoque avis aſſueſieri poteſt, ut loquatur.* Et non tàm expreſsè ſolet loqui, quàm pica. Eodem modo milites non decet eſſe ex omnium infimâ & contemptâ plebe hominum. Milites hodiè plerumque emittuntur, omnibus vitiis dediti, ùnde etiam nullam licet ſperare felicitatem. Hi ex 1. cap. Joëlis v. 4. *commodiſſimè comparabuntur cum erucis, bruchis, vermibusque ſimilibus, qui perreptant omnes herbas, arboresque depaſcunt, ſicut illi percurrunt, & ſpoliant omnium pagorum domos ſingulas & omnes.* Tunc temporis, cùm honeſti cives Romani, & patresfamilias inſigni pietate, & facundiæ & honeſtatis ſtudio præditi bella gererent, fermè totum mundum ſubjugarunt. Quamdiu honeſti & 534
facundi Patresfamilias in Græciâ pugnarunt, tamdiu vicinos Reges vicerunt. Simile Exemplum præbet hiſtoria de omnibus Triumphis Alexandri Magni.

 Poteſt

Poteſt etiam Picus Martius eſſe typus Satanæ.

1. *Sicut* enim *picus* varias & pulchras habet pennas: *ita Satanas* ſub variis coloribus & dolis homini ſeſe inſinuat.

2. *Et ſicut picus* habet validum roſtrum: *ita potens* eſt Satanas.

3. *Sicut picus* ingreditur ſylvam: *ita Satanas* commercia generis humani & cœtus publicos.

4. *Sicut picus* roſtro explorat arbores, num ſint ſolidæ vel cavernoſæ, adhibita aure: *ita Satan* firmos fide & vacuos fide explorat, inque vacua corda, ut Judæ, ingreditur, quærit ſibi nidum & eſcam in illo. *Sed de his ſatis.*

CAPUT XIX.

DE COTURNICIBUS.

HÆ quoque ſunt notiſſimæ aves, *quarum memoria celebris eſt in hiſtoria* eductionis Iſraëlitarum ex Ægypto. Cœlitus enim demittebantur ſupra caſtra ipſorum, & quidem circa veſpe-
535 ram, ſicut manifeſtè dicitur *Exodi cap. 16. v. 8. 9. Veſperi manducabitis carnem, & manè replebimini panibus*. Etſi verò nihil eſt in hac ave, quod ſingularem, novam & antea inauditam in aliis avibus mereretur commendationem; tamen *Patres Manniam interpretantur de verbo DEI, ſed coturnices de ipſâ carne Chriſti:* Præterea matutinum tempus *explicant de initio mundi, ſed veſpertinum de fine.*

1. *Sicut igitur manè DEUS pluebat panes* ſeuMannam

nam in deſerto, ſed veſperi per ventos adducebat coturnices: *ita quoque ajunt*, primis millenariis mundi multas fuiſſe propoſitas promiſſiones de futurâ Chriſti incarnatione; ſed tandem in plenitudine temporis, veſperi, poſt multos mille annos completos verbum eſſe factum carnem.

2. *Et ſicut Manna* atque coturnices cœlitùs deſcendebant: *ita Chriſtus* ipſe cœlitùs deſcendit, & ex arcano ſinu Patris revelavit nobis abſconditam doctrinam.

Præterea 3. *ſicut* ſex diebus licebat colligere Mannam & aves, quantum ſufficiebat in uſum ſeptimi diei ſeu Sabbathi: *ita quoque* dum durat mundus, in hac vitâ & verbum eſt audiendum, & percipienda 536
caro Chriſti, quantum nobis ſufficiet pro altero mundo, tanquam pro æterno Sabbatho.

4. Sed *ſicuti manna* & aves nullius erant uſus, ſed vermes concipiebant, ſi quis ſeptimo die vellet colligere: *ita vana & inanis erit omnis pœnitentia*, quæ differetur poſt mortem.

5. *Et ſicut Manna erat minuta* tanquam ſemen Coriandri, erat etiam valdè candida & dulcis, atque ſicut coturnicibus ſuaviſſimè alebantur & recreabantur infirmi Judæi: *ita quoque & verbo & carne atque ſangvine Chriſti nihil poteſt reperiri dulcius*, quo plus poſſent recreari corpora & animæ noſtræ ad æternam vitam. Hæc poſſunt dici de coturnicibus, quarum eſt mentio in *Exodo cap. 6. v. 1.* His igitur præmiſſis, ſciendum eſt, haſce aves amare ſocietatem, quia gregatim volant & paſcuntur, & quando amiſerunt ſocias, vociferando ſe mutuò requirunt.

II, *Pullos ſuos excluſos per omnia tractant, & fovent, ſicut gallinæ.* Cùm tamen ſunt in metu propter inſidias aucupum, ſæpè ipſos transferunt, ſeu in loca tutiora reponunt. Eo loco non pariunt, ubi incubant, ne quis locum percipiat ex longioris temporis commoratione. Parere dicuntur ova ſedecim, & teſtantur auctores, quòd ſingulis annis quater pariant,
537 bis apud nos, bis in illis regionibus, ad quas à nobis circa autumnum abeunt. Addunt iidem hoc quoque, quod ante abitum prima ſoboles itidem excludat novos pullos. Hinc igitur Deus procurat nobis infinitam harum & aliarum avium copiam, & verè dictum eſt ab aucupibus, *quod in primo Vere coturnicem enecans enecet centum coturnices.* Nos hinc providam curam DEI agnoſcere & laudare diſcamus, quam gerit annuatim indeſinenter pro toto genere humano.

III. *Potiùs videntur animalia eſſe terreſtria, quàm volatilia,* neque etiam nidificant in alto, ſed in plano congerunt vepres, & inter ſegetes atque gramina excludunt ſua ova. Semper manent humi, nunquam conſiſtunt in arboribus. Propter hanc cauſam non amant tranquillitatem aëris, ſed ventos, ut ab ipſis velocius poſſint impelli, quando decurrunt in terra.

IV. *DEI igitur providentiâ factum eſt, ut cum hæ ſint aves graves, quod celerrimè currere valeant,* Deo ſupplente difficultatem volandi, facilitate currendi, & quod menſe Auguſto (ante diſceſſum gruum, qui fit menſe Septembri) abituris ipſis in terras alias propter imminentem hyemem ſeſe adjungant
538 magnitudine inſigni duces quidam, qui nominantur

matrix,

matrix, Lingulaca, Cynchramus & Otus ſecundùm receptam vulgi opinionem.

Matrix aliàs dicitur Ortygemetra, quaſi dicas coturnix major, & Germanicè dicitur coturnicum dux, der Wachtelkönig/ habet magnitudinem turturis & longa crura.

Lingulaca ſeu Glottis eſt alter dux coturnicum, (ein Dorndreher) qui inde nomen habet, quia linguam prælongam exerit. Sed hic eſt imago infidelium ducum & parentum, quia initiò valdè fervet,& diligenter perſequitur ſuum munus, ſed ipſum mox pœnitet facti, ita ut in primo hoſpitio ipſas deſerat, & ſecundò die redeat, unde prius erat digreſſus.

Cynchramus, ein Schreer/ tertius dux coturnicum, fideliſſimus & conſtans. Nam noctu cum eſt abeundum, ſuâ voce & peculiari ſigno ipſas excitat, & ad iter incitat, & ſi eſt erratum itinere, ſuâ voce revocat, & revocatæ ipſum ſeqvuntur. Itaque noſtri aucupes, quando audiunt vocem ipſius, deſperant de prædâ, & ſciunt jam parari diſceſſum à toto agmine.

Otus vel Aſio, vel auritus eſt quartus dux coturnicum, & aliàs dicitur Ulula nocturna, quia ſimilis
eſt noctuæ, & circa aures habet quandam ſpeciem a- 539
larum. Hic ineptus eſt dux, & imago ſtultorum. Nam eſt avis paraſitica, & glorioſa, geſticulabunda, imitatur ſaltatores & alios. Unde in proverbio *omnes illi appellantur Oti*, qui ſunt vecordes & tamen glorioſi, atque qui facilè ſibi patiuntur perſuaderi, omnia promiſcuè credunt, omnibus aſſentiuntur, nihil ipſimet perpendunt. Qualis enim hic ſit dux, vel ex hoc ſolo apparet, quia unus auceps in con-

ſpectu ipſius ineptias agit, ſaltat, vel alia quædam tractat ludicra, in quem dum ipſe nimium eſt intertus, ab altero aucupe clàm accedente capitur. Quî in re etiam *propoſita eſt imago ignavorum ducum*, qui interim explent animum, & oculos libidinibus, & voluptatibus, & interim patiuntur ſubditos pervenire in manus hoſtium.

V. *Venenum, quod aliis affert præſentiſſimam necem, haſce aves tanquam gratiſſimus cibus pinguefacit. Ita Sturni veſcuntur Helleboro, qui cibus eſt lethalis hominibus. Ratio* verò, cur coturnix ſine detrimento veſcatur veneno, *ab aliquibus, & à Baſilio Theologo quoque hæc affertur,* quia habet anguſtas venas, in quibus diutiùs detinetur venenum, & ita melius excoquitur, ut amittat ſuam perniciem. Hac
540 ratione fumi venenati vel non veniunt ad cor, vel tardius eo penetrant, quando ſatis ſunt correcti, nec poſſunt ſuâ frigiditate extingvere calorem cordis vitalem. *Alii dicunt,* ideò veneno ſaginari Coturnices, *quod fiat concoctio* non tantùm vi & ardore caloris inſiti (qui omninò cœleſtis & maturans, digerens, ſingulariter coquens & à conſumente calore in foco maximoperè diſcrepat) ſed totâ etiam ſubſtantiâ ventriculi atque quadam proprietate, nimirùm, quia caloris cœleſtis partes Deus his vel aliis inſerendas ſingulariter ſpiſſat, confirmat, acuit, ſicut videmus aves minutiſſimas comedere grana ſegetum aridarum duriſſima, & alia, quæ homo tamen commodè deglubere & concoquere nequit. Et ex hâc hiſtoria conturnicum *Baſilius* probat, herbas nullas à Deo fruſtrà creatas eſſe, etſi nos earum uſum ignoramus. Rectè quoque *Ambroſius Hexaem. lib. 3. cap.*

cap. 9. ait: *Si ratione medicinæ plerumque ad ſalubritatem humani quoque corporis temperatur, cui videtur eſſe contrarium* (*loquitur de veratro ſeu veneno*) *quantò magis proprietate naturæ ad cibum proficit* (*ſcilicet ex DEI ordinatâ diſpoſitione in uſum avium*) *quod medicinali manu convertitur ad ſalutem? Hæc ille.*

6. *Simul ſalaciſſimæ ſunt hæ aves, & adeò gaudent libidine, ut ſæpè corruant in ipſos aucupes*, cùm tamen aliàs ſint timidiſſimæ, neque ſurgant de terrâ, quàm diu vident accipitrem ſive vivum ſive pictum. 541

7. *Quando volant, tùm vociferant*, præſertim quando flat Auſter. *Ratio* eſt, quia graves ſunt, unde ægrè volant. *Deinde*, quia Auſter eſt humidus, & ſic magis gravat corpora. Aucupes igitur ipſis inſidiantur, non flante Boreâ neque tempore ſereno, ſed flante Auſtro. Itaque ut Deus oſtenderet ſuam potentiam contrariis ventis, Auſtris (*Pſal. 78. v. 26. 27.*) *infinitam coturnicum multitudinem adduxit in deſerto.* Catervatim igitur advolarunt in medium caſtrorum, ſicut ſæpenumerò maria ſpatioſa tranantes, & hæ & aliæ aves agminatim navibus inſidere ſolent, & manu facillimè capiuntur à nautis, utpote nimium defatigatæ longo volatu. Solent tamen non prius mari ſeſe credere, niſi autumni tempore, cujus qualitates obſervant, ſed nec niſi prius receptis viribus, quaſi non ignorantes, in omnibus rebus prius menſurandas vires eſſe, cum homo hujus præcepti immemor ſæpè tentet aliquid, antequam nervos & humeros ſuos metiatur.

8. *Etſi timida eſt avis, tamen exardens erigit cervicem*, & vehementer pugnat, unde ſolebant publica 542

 haberi

haberi ſpectacula, in quibus coturnices mutuò pugnabant. *Hinc induere naturam coturnicis, ſignificat eſſe pugnacem, & attollere criſtas, quaſi re benè geſta.*

Eroten *Ægypti præfectum, quod coturnicem pugnacem emiſſet & devoraſſet, Auguſtus Cæſar hiſce nugis delectatus, ſuſpendi juſſit*, apud Plutarch. in Apophtheg. Sed apud Fabium lib. 5. Inſtit. Orat. cap. 9. *quòd Areopagitæ puerum coturnicum omnium, quotquot reperire potuit, oculos configentem, capite mulctare voluerunt, ideò factum putabimus, quod ex illâ collegerunt, ingenium à naturâ truculentum, ideoque mature coërcendum.* Et non malitioſo inanique lubitu paſſim in beſtias, quæ non nocent, ſæviendum non eſſe, ſacrarum literarum quibusdam vellicantur aures noſtræ ſuggeſtionibus ſimilibus, *Deut. 22. v. 6. Num. 22. v. 32.* numerat Angelus, plagas datas aſinæ. Vide etiam *Baruch. 3. v. 17. & Phil. Camerar. ſuccif. 2. 39. & ſeqq. item 84. & ſeqq.*

Hæc ſunt præcipua de coturnicibus, *quas aliqui faciunt imagines mercatorum, aliqui vulgatorum militum.*

543 1. *Sicut enim coturnices* non altè evolant, ſed in terra nidificant & currunt: *ita hoc genus hominum,* non ſtudet evehi per artes & virtutes, ſed obſcuro loco ſemper manet, unde olim *filii terræ dicebantur,* qui nolebant inclareſcere per artes & per virtutes.

2. *Sicut coturnicibus venena ſunt inſtar gratiſſimi cibi,* quæ tamen aliis animalibus afferunt perniciem: *ita quoque mercatoribus & militibus vulgatis,* nihil eſt uſitatius, quàm diteſcere rapinis & furtis, vivere dolis & iſtis, à quibus piæ mentes abhorrent.

3. *Sicut Coturnices* annuatim migrant in alia loca:

loca: *ita hoc utrumque genus hominum*, militiæ & mercaturæ gratiâ ad alienas terras ſeſe ſubindè conferre geſtit.

4. *Sicut autem coturnices* ſæpenumerò in itinere laſſæ incidunt in naves, & capiuntur: *ita ex utroq; hoc genere hominum multi* in itineribus intereunt, incidunt in hoſtes, latrones, &c.

5. *Item ſicut* coturnicibus quatuor ſunt duces, à quibus in peregrinas terras abducuntur: *ita ejusmodi commercia hominum* ſuos habent inſtigatores, & aſſeclas & duces, à quibus ſemper abducuntur quidem, ſed non ſemper reducuntur. Nam coturnices
redeunt ſine duce: *ita* tales abducuntur & ſeducun- 544
tur quidem, ſed non convertuntur.

6. *Coturnices auſtrum* humidum non poſſunt tolerare: *ita tales* in levibus etiam ærumnis propè deſperant, quia nunquam cogitârunt de remediis Chriſtianis contra ærumnas.

7. *Sicut coturnices* inſtar gallorum ſunt aves pugnaces, unde olim publica ſpectacula harum pugnarum edebantur: *ita quoque horum hominum* crebra licet videre diſſidia & de lucris pugnas. Cætera quilibet poterit applicare.

Cæterùm ut ad coturnices Iſraëlitarum iterum redeamus, *Cyrillus lib. 3. Evang. Joh. cap. 14. eas cum Legibus Moſaicis comparat, præſertim Ceremonialibus.*

1. *Sicut enim Coturnices* nunquam altè feruntur volatu ſuo ſupra terram: *ita typi Moſaici de Chriſto*, ſcilicet Sacrificiorum, purificationum, vix niſi terreſtris erant diſciplina, quibus Iſraëlitæ non adeò multum elevabantur à terrâ. Unde Meſſiam non viderunt,

runt, niſi ex longinquo, poſt murum, poſt parietem, per feneſtras, per cancellos, ut loquitur *Canticum Canticorum c. 2. v. 9.*

2. *Sicut item veſperi* immittuntur coturnices, *ita ſub illis veſpera* & nox erat mundi, ſed nunc ſub Evan-
545 gelio factum eſt dulciſſimum MANE.

3. *Sicut coturnices* operiebant caſtra: *ita Iſraëlitæ* penè contecti fuerunt tot typis & figuris: & hiſce velaminibus adhuc hodiernorum Judæorum corda tecta ſunt & manent, *2. Cor. 3.*

4. *Sicut autem* poſt veſperam manè cum rore deſcendit Manna, & jacuit circa caſtra: *ita Evangelium* exortum circumcirca omnibus gentibus cœpit innoteſcere, tanquam in deſertis extra & ultra caſtra, & extra maximam partem Judæorum.

CAPUT XX.

DE UPUPA, MERGO ET MEROPE.

UPUPA etſi propter ſpectabilem duplicem criſtam & inſignem formam aliquibus hæc regia & paradiſiaca dicitur avis & gallus ſylveſtris, è diverſo tamen, alii propter motus *eam faciunt imaginem impiorum, & imprimis turpium atque obſcœnorum hominum*, qui delectantur ejuſmodi peccatis & quidem beluinis, à quibus ſani omnes meritò abhorrent, ut qui cum meretricibus conſueſcunt, qui ſemper verſantur in nidis cereviſiariis, & in taber-
546 nis vini aduſti. Et grave, utinam non ominoſum ſit,

ſit, quod ſcribunt aliqui, apud nullos populos upupas frequentiores eſſe, quàm apud Germanos. Solet enim upupa

1. *Delectari cumprimis converſatione in ſepulchris* & in fimis, vel immunditie, nimirum ut ſus quærens ſibi vermem: *ita multi ſunt*, qui toti peccatis & operibus mortis turpiſſimis ſunt addicti.

2. *Potiſſimùm ſtercora comedit humana*, & nutritur putreſcente & malè olente fimo: veſcitur tamen & ſæpè inebriatur uvis.

3. *Ut plurimùm etiam ex ſtercoribus hominum fingit ſibi nidos*: *ſicut multi* ex turpiſſimis rebus quærunt lucra. Hoc autem ideò dicitur ab aliquibus facere, ut animalia ſibi infeſta teterrimo odore repellat.

4. *Non ex odio, ſed ex metu hominum nidos fingit*, non in oppidis aut hortis, ſed vagatur faſtidiens multitudinem hominum & avium, & quærens deſerta loca in ſylvis plena gemitu, & clamore, & clamat ſemper πȣ, πȣ: *ita impuri* & injuſti malam habent conſcientiam, & ſæpè omnia tuta timent.

5. *Variè ſolet mutare colorem*, quia in Vere eſt candida, ſed in æſtate maculoſa: *ſic* enim injuſti in omnes formas ſeſe transmutant, ſimulant & diſſimulant, jurant & pejerant, ſolius auri causâ. 547

6. *Novit herbam quandam, quâ ſe ſolet præſervare adverſus morbos, quàm* Phyſici appellant Amiantum. Refert *Ælianus lib. 3. cap. 25. de quodam villico, qui viderat pullos upupæ in loco deſerto & pariete ruinoſo. Cumque ex odio obſtruxiſſet rimam luto, vidit redeuntem matrem iterum avolare in cam-*

pos,

landis reperta fuiſſe ova illorum anſerum, quos hactenus decepti credidimus naſci ex arboribus. Quod hiſtoricum teſtimonium omnibus gratiſſimum eſſe debet, & anſam ſimul præbere ad veritatem in aliis quoque materiis exactius inveſtigandam.

MEROPS.

Merops avis *pennas habet partim cæruleas, partim invirides*, *& roſtrum aduncum,* quo tanquam proboſcide uti videtur, illoque omnes caveas confringit, præter ferreas. Unum eſt, quod in ipſo vehementer admiratur *Ælianus lib. 1. cap. 51. quod nimirum contra naturam reliquarum avium volat.* Omnes enim reliquæ aves quaſi rectâ ſurſum ad oculos verſus volitant, ſed merops retrò ad caudam verſus obliquè quaſi videtur volare. Id quod tamen videtur fieri propter gravitatem corporis, & paucas pennas, unde non ita poteſt ſublimia petere, & nidum ſuum 554
non facit in arboribus, neque inter gramina, ſed in ſubterraneis locis, in ſpecu, ſex pedum altitudine, ut plurimum defoſſa. Præ reliquis verò omnibus *in ipſo eſt imago piorum liberorum.* Superius vehementer laudata fuit ciconia, quæ parentibus ſenio confectis reddit ἀντιθρεπτήρια ſeu opera nutricationis. *Verùm hæc avis quoad juſtitiam & pietatem erga parentes longiſſimè præſtat,* non modò reliquis omnibus avibus, verùm etiam ipſis ciconiis. Non enim differt ſuam gratitudinem, nec ſolummodò ſenio confectis parentibus benefacit: Verùm ſtatim cum poteſt volare, exercet gratum animum ergà parentes. Non patitur tunc exire patrem vel matrem ex nido, ſed ipſe evolat, conquirit eſcam, quam paren-

 tibus

tibus deliteſcentibus domi defert. Vix igitur eſt pulchrius exemplum, quod pii liberi imitari poſſent, quos decet maturè benefacere parentibus, neque differre gratitudinem in ſeros annos. Aliàs appellatur hæc avis *Apiaſtra*, quia inſidiatur apibus, quas ut & muſcas & vermes capit, devorat, & partem etiam parentibus ſuis affert. Vulgò vocant Krinitz. Et ſatis de iſtis.

555

CAPUT XXI.

DE HIRUNDINE.

HIRUNDO eſt iſta avis, 1. *quæ ſuo adventu annunciat appropinquare pulcherrimum anni tempus. Hinc Cicero in Lælio* mutuatus eſt ſimilitudinem, *quod multi ſint amici ſimiles hirundinibus, præſtò nimirùm in fortuna felici, ſed diſcedentes tempore ærumnarum.* Porrò hirundinibus olim captis ſchedas ex obſidionibus domum deferendas præbuerunt antiqui, qui meliùs & citiùs hoc expeditum dederunt, quàm co umbæ, quas interdum ab aliis avibus raptas, ab hominum clamoribus in exercitum detractas fuiſſe conſtat, ut hoc pacto ſecreta proderentur.

2. Quod attinet ad ipſum diſceſſum hirundinum, *non omnes abeunt, ſed multæ remanent. Quædam* à nobis remotiores per maria volitant in calidas regiones, *quædam* circà maria ſeſe ſubmergunt, aut occultant in locis ſaxoſis, quia cum mare ſit ſalſum, ideò vicina loca calefacit. *Quædam* verò ſaltem in montes aliquos propinquos recedunt, & latent, reperiuntur-

riuntur-

riunturque implumes & nudæ in petris & anguſtiis
convallium. Aliqui ſunt, qui hirundinibus rubra
fila alligarunt. Etſi autem per totam hyemem non
conſpiciebantur iſtæ hirundines, tamen ſub initium 556
veris redibant, & habebant illud ipſum filum ru-
brum. Huc pertinet, quod Jeremiæ 8. cap. v. 7. ex-
probratur Judæis, *quod nequeant agnoſcere tempus
viſitationis, cum grus & hirundo & ciconia norit tem-
pus ſui adventus.* Georgius Major in explicatione
ſuper Epiſtolam Pauli 1. Cor. 15. refert, *ſeipſum ob-
ſervaſſe in hoc oppido Wittebergâ, & in media hyeme
reperiſſe in nidis hirundines mortuas. Imò in in-
ciſis putridis quercubus & aliis concavis pulvere intus
ſcatentibus arboribus ſæpè glomeratim invicem ad-
hærentes depræhenſæ fuerunt.* Hinc Eccleſia præ-
ſertim primitiva uſa fuit ſimilitudine contra Ethni-
cos pro reſurrectione mortuorum. Sicut enim hi-
rundines & muſcæ, & aliæ aves atque alia inſecta hye-
me intermoriuntur, & ſub vernum tempus revivi-
ſcunt: *ita quoque* noſtra corpora intereunt, ſed in
ultimo die vivificabuntur.

3. *Poſtquam rediit vivificata calore Solis, nihil
magis habet in votis, quàm ut ſpeciem ſuam propaget.*
Valdè igitur maturè parit, antequam hybernum fri-
gus integrè evanuit, unde primi ipſius fœtus frigo-
re plerumque emoriuntur. Reliquos igitur ſuos
fœtus diligentius fovet, quæ eſt imago Eccleſiæ, quæ 557
non patitur ſe deterreri perſecutionibus, ſed ſuos di-
ligentius inſtruit.

4. *Mirabili autem utitur arte & ſolertiâ in con-
ſtruendo nido.*

(1.) Enim *ſtramina ore ſuo colligit*, & deportat ad locum, ubi vult extruere nidum.

2. *Si poteſt habere lutum, ungvibus arreptum portat.* Si verò non datur facultas luti, *ad aquas advolat*, & ſummitates alarum ſuarum humectat, poſteaque ſeſe involvit in tenuiſſimum pulverem, & hoc pacto ſibi comparat uſum luti.

(3.) *Lutum humidum conjungit cum feſtucis ſeu ſtramentis*, & quidem ita implicat, ſicut faciunt, qui parietes formant ex lignis cum admixto luto, quod apud *Plutarchum*, vocatur lutaria paleatio. Valdè autem cautè fundamentum nidi conſtruit ex ſolidis & firmis ſtramentis, poſteà admiſcet leviora.

(4.) *Figuram ſuo operi non angularem eligit*, vel plenam anfractibus, *ſed globoſam & æquabilem*, quia hæc eſt firmior & capacior, & fortius reſiſtit violentiæ inſidiantium.

(5.) *Cum poteſt flocculos reperire, defert*, vel ſi non poteſt reperire, ſedet in tergo ovium, *& evellit*
558 *tenues floccos*; ut ita intus molle cubiculum præparet infantibus teneris pullis. Sæpenumerò hoc ipſum facit, cum jam modo ſunt excluſi pulli, & non ſatis molliter cubant. Hinc *Baſilius Magnus in Geneſin* ſeu in opus 6. dierum inſtituit admonitionem ad pauperes, qui non debent deſperare, ſi nullum habent patrimonium. *Si enim hirundo deſtituta omnibus manibus, & omni arte, carens robore corporis, tamen ſua ſolertia & diligentiâ* citra fraudem & furtum tàm egregium & admiratione dignum conſtruit nidum, multò magis homines, quibus eſt anima rationalis, labore & ingenio, ſi acceſſerit indefeſſa aſſiduitas, nidulos ſibi facient, & divitias aliquas comparare

Digitized by Google

parare poterunt. Sed ſicut aliæ ſunt aves, quibus non data eſt divinitùs tanta ſolertia conſtruendi nidulos à Deo: ita omne ſtudium augendi rem familiarem vanum eſt, niſi adjuvetur divinitùs.

5. *Vehementer autem amant hirundines ſuos nidos.* Quando ante reditum hirundinum eos occuparunt paſſeres, lucris & furtis delectati, tùm illis acre bellum parant. Sæpè multæ convocantur, quæ ſingulæ lutum apportant, & foramen obſtruunt, ut paſſer ſuffocetur. Quin etiam nidos veteres repetunt, à reditu cum admirabili congratulatione partis 559
antea quæſitis fruituræ. Quin & eosdem puros conſervare, vehementiſſimè & unicè omnibus temporibus allaborant. Siquidem excrementa ſua non dejiciunt in nidum, ſed averſo podice extra nidum cacant. Cumque pulli hoc nondum poſſunt facere, ipſi parentes excrementa eorum egerunt, & paulò poſt adultiores factos pullos circumagunt, & ſimiliter excrementa egerere docent.

6. *Quemadmodum magna curâ mater excludit, ita quoque maxima cura fovet pullos.* Cùmque aliquot pullos ſimul foveat, nec poſſit omnibus ſimul afferre multum cibi, diligenter cavet, ne quis bis accipiat cibum, deinde ut primò editus in lucem primò paſcatur, ſecundus ſecundò, & ita usque ad tertium. Si quis ex loco ſuo movetur infans pullus non accipit cibum, niſi redeat ad priſtinum locum. Regulariter quinque parit. Tremebundos tandem, ſed tamen aliquantulum adultos ex nido producit, ut ipſi diſcant inquirere neceſſarium victum. *Hanc admonitionem dirigere debemus ad parentes*, quos non tantùm decet gignere, ſed & honeſtè & liberali-

 ter

ter educare & alere liberos. Et meritò reprehenduntur, qui ſæpè neſcio ex quâ causâ, ſæpè etiam temerè plus favent uni, quàm alteri ex liberis. Et ſi-
560 cut hirundo maturè aſſuefacit pullos ad inquirendum cibum, ita maturè vel ad ſcholas, vel ad artificia manuaria ducendi ſunt liberi, ut diſcant ſeſe honeſtè ſuſtentare. Huc pertinet illud, quod adverſus colubrum pro pullis adeò vehementer certet, ut advolans ad & circa maxillas ab eodem ipſa quoque conficiatur.

7. *Hirundines dicunt ſæpè laborare morbo oculorum, ſed contra illum quærere herbam utilem, Chelidonium, quam dicunt hirundinariam.* Ariſtoteles & alii referunt, *pullos hirundinum excæcatos in primâ nativitate ita poſſe curari à matribus, ut integrum viſum recipiant, id quod tamen fieret, non niſi hoc modo, quod ſcilicet hirundo quaſi cæcos parit, unde tales pulli nondum habent oculos plenè perfectos.* Licet igitur ſtimulo vexentur, tamen non corrumpuntur, ſed poſtea demùm integrè enaſcuntur. *Sicut autem* hirundo quærit Chelidonium contra dolores oculorum: *ita Chriſtianis* in Eccleſia contra ſpirituales tenebras quærendum eſt lumen verbi Dei.

8. *Quod ſpectat reliquam naturam hujus avis, eſt ipſa ſatis indocilis inter omnes volucres,* ſicut mures ſunt inter terreſtria: & non canit ſicut aliæ aves, ve-
561 rùm ſtridore inepto moleſta eſt incolis, imprimis conſuevit tempus matutinum ad feneſtras terere ſuo garritu, & turbare ſomnum. Hinc videtur natum eſſe proverbium Pythagoricum, *Hirundinem ſub tecto ne feras,* id eſt, garrulum & ineptum hominem ne tibi aſſocies, item non legas tales auctores, qui nihil

nihil veræ doctrinæ & ſolidæ eruditionis habent. Apud *Plutarchum* tamen aliter explicatur hoc Adagium, ita ut oſtendatur, non propriè ad loquacitatem illud pertinere, ſiquidem galli, gallinæ, perdices, coturnices, ſturni etiam ſunt loquaces. Aliam igitur explicationem ex aliis proprietatibus hujus volucris afferunt, quam primò recenſebimus, mox etiam cenſebimus. *Illud igitur aliqui commemorant & exaggerant.* 1. *Quod hæc avis non veſcatur frugibus*, etiamſi in os ingerantur, ſed, ſicut crudelis prædita acutis unguibus gaudeat, vivat & veſcatur carnibus, & cumprimis interficiat cicadas, quæ ſunt animalia, Poëtis olim Ethnicis dicta muſica & maximè vocalia, item plerumque humi volet & inſidietur infirmioribus minutis animalibus, & nunquam attollatur altiùs, niſi relaxationis animi gratiâ, item nunquam veſcatur ſedendo, ſed in volando tortuoſis utatur orbibus velociſſimoque volatu, ubi muſcis & veſpis affert perniciem. 1. *Quod ſola ſemper verſetur in* 562
tectis, ingrediatur domos non vocata, ut eſt in verſu:

Et nidum in tignis peregrina reponat hirundo.

Item nullam utilitatem afferat domino, non purget terras ſerpentibus, ſicut faciunt ciconiæ, non patiatur ſe tangi, ſed celerrimè avolet, non ſpacietur ut poſſet conſiderari, quia etiam pedibus deficit, quantum pennis prævalet, non manſueſcat, nil addiſcat ſuo tempore, diſcedat ſine omni gratiarum actione, ſemper odio proſequatur hominem, metuat ipſum, diffidat ipſi, & ſit quaſi fera quædam, quæ ſemper circumvagatur, & ſtruit inſidias animalculis, non maneat, ubi ſæpius bellageruntur, ſicut referunt au-

ctores, Thebarum urbem nunquam ingreſſas fuiſſe hirundines ab illo tempore, cum ipſa ſæpiùs eſſet capta. Quæ cum ita ſint, judicant, illum fuiſſe ſenſum Pythagoræ, hirundinem ſub tecto ne feras, id eſt, caveas tales ſocios convictores, condiſcipulos, amicos, affines, collegas, qui ſunt crudeles, & ſuggerunt conſilia crudelia, & ſtruunt aliis perniciem, qui non patiuntur ſe admoneri & corrigi, qui non ſunt candidi, qui tibi diffidunt, & tamen ex te omnia arcana cupiunt ſcire, qui volunt frui tuâ benevolentiâ, ſed
563 nullam reportant gratiam, qui minores præ ſe contemnunt. Ergò ipſis hirundo ſub tectis eſt ſocius crudelis & ingratus. Ipſa hirundo non eſt obnoxia, ſecundùm ipſos, rapinis cæterarum avium, & tamen meditatur necem aliis, & imprimis inſidiatur apibus, unde hortulani deturbant nidos hirundinum, ſi ſunt vicini apibus. Eodem modo tales homines, inquiunt, volunt vivere in pace, ſed tamen aliis pacem neque exoptant, neque permittunt, & tempore calamitoſo diſcedunt, ſicut etiam hirundo non poteſt ferre pluvias, ſed inſtantibus pluviis præ anguſtia humilius juxta aquam volitat, ſicut hoc inter præſagia pluviarum commemorat *Virg. in 1. Georg.*

Atque arguta lacus circumvolitavit hirundo, qui verſus de verbo ſumptus eſt ex *Lucretio*. Et hæc quidem ita recenſentur ab auctoribus. Verum enimverò hirundo non odit hominem, etſi non poteſt ab homine tàm accuratè cicurari ut aliæ volucres. Sed tamen deprehenſæ fuerunt quandoque admodum cicures hirundines. Etſi item hirundo non purgat domum à ſerpentibus, tamen purgat aërem à muſcis, papilionibus, cicadis, culicibus, in quem finem Deus

Deus ipſi dedit celerrimum volatum, ut his ſaginata tandem hominibus cedat eſca ipſa hirundo. Hye- 564
me diſcedit coacta, ut & aliæ aves. Non eſt igitur, quòd tantoperè accuſentur hirundines cum muſcis, quarum utraque fera non eſt, licet ſit indocilis, inter ipſos vivens utraque homines. Non refutatione indiget ullâ, quod apud *Laurentium Surium* in vita S. Franciſci c. 1. *narratur de S. Franciſco, qui in caſtro Alviano ſub concione hirundines ſibi moleſtas alloquitur* (*ſorores meæ hirundines jam loquar & ego, quia vos usque modò ſatis dixiſtis, audite verbum Dei, teneatis ſilentium, donec verbum Dei compleatur.*) *Quo audito confeſtim tacuiſſe memorantur hirundines, ſcilicet.* Sed ad hiſtoriam Hirundinis revertamur.

9. *Eſt genus quoddam cantharidum, quod nominant Silphas, quod vehementer inſidiatur pullis hirundinum, aliàs nominant blattas.* Unde matres apportant folia Apii, & projiciunt inter pullos, hacque ratione à blattis purgant nidum, quia eſt naturalis ἀντιπάθεια inter blattas & apium, ergo bruta avis novit detrimentum ſuum avertere, quantò magis rationalis homo debet noſſe remedia contra morbos animæ.

10. *Stercus* hirundinum ſicut etiam columbarum & anſerum, valdè eſt calidum. Et quia calidum eſt, 565
idcircò corrodit, conſumit humorem, perdit, imprimis igitur oculis nocet. Et cum, ut ſuperiùs dictum eſt, hirundines averſo corpore extra nidum egerant excrementa, & plerumque nidificent ſub tectis in conſpectu hominum, non mirum eſt, quod ſenior Tobias ſtercore hirundinum fuit læſus, ita ut propè

 excœ-

excœcaretur. Calidiſſimum enim ſtercus ſuo fervore humores ſubtiles oculorum partim conſumſit, partim condenſavit. Deinde quomodo ſit curatus ille morbus felle piſcis, quod tamen ſolet eſſe calidius, mirum poterat videri, niſi ex Phyſicis conſtaret, calorem non evocari per frigus, ſed per calorem alium. Unde qui combuſſerunt digitum, non in aquam frigidam debent intingere, ſed calida medicamenta apponere, ut hæc calida medicamenta aperiant poros digiti, ut poſſit alienus calor tanquam noxius iterum exire & exhalare. Solent igitur apponere lac camelinum, vel etiam caprinum, tanquam calidum lac, quia vaccinum eſt frigidum & potiùs conſtiparet digitum, & concluſum detineret calorem noxium. Item ſolent apponere mel, quod eſt cali-
566 dum, &c. Simili modo fel piſcis, id eſt, bilis calidiſſima appoſita oculo Tobiæ ſenioris præternaturalem calorem ingreſſum revocavit. Putant autem docti, illum piſcem fuiſſe iſtum, quem nominant Callionynum, qui plerumque verſatur circà littora & noctu nonnihil exit, & oberrat, undè facilius à Tobia juniore potuit capi, præſertim ſi acceſſit divinus inſtinctus Angeli. Et teſtantur *Ariſtoteles*, *Plinius*, *Ælianus*, & alii, peculiarem quandam craſin ineſſe bili piſcium, ita ut contra multos morbos proſit. Quomodo verò felle piſcis aſſato Raphaël expulerit dæmonem ſeu Aſmodæum, (*Tob. 6. & 8.*) illud non eſt hujus loci dicere, ſed pertinet ad piſces. *Sicut* igitur fimus hirundinum perdit oculos: *ita quoque* ineptiæ & calumniæ falſorum amicorum plurimùm conturbant cor ſapientis. *Sed ſicut* morbus ille tollitur bile piſcis: *ita* non tacendum eſt ſemper, ſed reſpon-

reſpondendum eſt ſtulto acriter, & magnâ gravitate confutandæ ſunt ipſius calumniæ. Hûc autem imprimis pertinet imago, quæ habetur *Pſal. 84.* cujus initium eſt. (*Quàm dilecta ſunt tabernacula tua Domine virtutum, &c.*) In quo nihil aliud agitur, quàm quod optat Propheta eſſe membrum Eccleſiæ, quam vocat tabernaculum. Dilecta igitur ſunt 567
tabernacula Domini, id eſt, Eccleſia eſt res jucundiſſima. Cumque plerumque in trahibus, ſub tecto & circa feneſtras magnarum domorum, & templorum nidificent hirundines & paſſeres, *idcircò Propheta in hoc Pſalmo membra Eccleſiæ comparat hirundinibus & paſſeribus.* Etſi autem infrà de paſſeribus hac de re dicendum eſt, tamen illud ſaltem nunc obſervetur, quod *ſicut* hirundo vehementiſſimè lætatur, cum reperit in templis locum pro ſuo nido, & nidum ſuum purificat, & pullos docet egerere fimum: *ita quoque* quisque gaudebit reperto loco in verâ Eccleſiâ, & ſua membra, quæ recipit in ſuam ſocietatem, docebit de purgandis moribus, juxta illud Pſalmi: *Abſtine à malo & fac bonum.* Hic enim erit bonus introitus in Eccleſiam. Incipiunt enim pulli vehementer & ipſi amare nidum, unde ad eosdem nidos revertuntur, ut jam modò indicavimus. Referunt hiſtorici, Cecinnam Volaterranum ducem comprehendiſſe hirundines, ſecumque abſtuliſſe in caſtra, & poſt victoriam illis alligaſſe ſchedulas, & dimiſiſſe hirundines. Hæ igitur mox redierunt domum ad priſtinos nidos, & amicis victoriæ nuncium attulerunt. Et hæc quoque eſt imago, de non deferendâ ſocietate Eccleſiæ, quia cui non eſt Eccleſia ma- 568
ter, illi non erit Deus Pater, juxta vetuſtiſſimum dictum Eccleſiæ.

Addan-

Addantur & aliæ collationes: 2. *Sicut hirundo* hyeme latet: *ita Eccleſia* in perſecutionibus tolerat.

3. *Sicut hirundo* ruinoſas ædes fugere dicitur: *ita Eccleſia* temporalium rerum inſtabilitatem conſideret, ne ipſius ſtudio opprimatur.

4. *Sicut hirundo* non ſtans, ſed volitans capit cibum: *ita* terrenis obiter utatur Eccleſia.

5. *Sicut* aliis avibus non nocet hirundo: *ita* nec Eccleſia nocet proximo.

6. *Sicut* hirundo ordine cibum diſtribuit: *ita Eccleſia* & præſertim doctor probet, quales conciones ſingulis proponere debeat.

7. *Sicut* flexuoſo volat circuitu: *ita* non eſt ſine criminibus inconſtantiæ Eccleſia.

8. *Sicut* hirundo in collo & pectore rubicunda eſt: *ita* voce & corde ſangvinis Chriſti meritum profiteri & tenere debet Eccleſiæ veræ membrum.

9. *Sicut* infantum pullorum curam maximam gerit hirundo pater & mater: *ita quoque* Eccleſia debet operam dare, ut ex omnibus nationibus plurimos Chriſto lucrifaciat. Sed de hirundine ſatis.

569

CAPUT XXII.

DE TURDO, MERULA,

STURNO, ET FICEDULA.

IN his avibus nihil occurrit, quod admodum ſingularem aliquam virtutis cujusdam mereretur laudem. Sicut enim ipſæ ventri ſunt deditæ, & ex

ex aliis locis advolant, cum vel uvæ & ficus, vel ſimiles fructus maturuerunt, illisque ſatiantur & ſaginantur: quin & capiuntur laqueis juxta cibum diſpoſitis, dum cibis nimis incautè & avidè inhiant, ut tandem hominibus fiant gratiſſimus cibus: *ita* multi ſunt Chriſtiani, qui toti ſunt etiam hujus per fraudes vel incautas in augendâ re familiari, & ita quidem, ut negligant ſtudium religionis, deinde multi ſunt, quorum ſolummodò venter Deus eſt, & tales tandem fiunt eſca Dæmonum. Hinc etiam in vulgatâ linguâ & communi vitâ Turdos & Sturnos, & Merulas appellamus illos, qui poculis nimis ſunt dediti. His in genere præmiſſis facillimè poteſt quilibet ea, quæ in ſpecie dicentur, accommodare ad naturam & vitam bibulorum, voracium, &c. * *Sicut* autem hæ aves propter latam lingvam aſſuefieri poſſent, ut loquerentur: *ita* tales helluones & avari aliqua diſcere, 570
& recitare de religione poſſent, attamen ſicut per naturam iſti ſunt indociles; *ita* hi per alteram naturam, quæ eſt prava aſſuefactio: *Et ſicut* in hiſce avibus non deprehenditur dulcis modulatio, nulla ſolertia, nulla utilitas, niſi pro palato: *ita quoque* in iſtis hominibus nihil ſapientiæ reperitur, ſed tantùm ſtudium gulæ.

TURDUS.

Initiò notandi ſunt verſus Martialis, commendantis hanc avem ad uſum menſarum, ſicut guloſi nullibi laudantur, niſi inter guloſos, & propter gulam, propter expeditum exercitium bibendi:

Inter aves Turdus, ſi quis me judice certet;
Inter quadrupedes gloria prima Lepus.

Solet

Solet enim hæc avis eſſe valdè ſurda, ſed ſicut inter homines etiam fit, ubi ſurdi ſunt loquaces, ita turdus eſt loquaciſſimus, & Agrippina uxor Claudii Cæſaris *habuit unum, qui imitabatur ſermones hominum,* & Scaliger dicit, *turdum tanquam è modulis ſermocinari.* Sunt autem tria genera turdorum.

1. *Viſcivorum,* Krametsvögel/ quod eſt paulò minus quàm pica, & non niſi hyeme cernitur, atque in nive capitur, quando volat ad loca conſita junipe-
57 ris, unde ventriculum refertum habet baccis juniperi, aliàs libentiſſimè veſcitur viſco & reſinâ, unde etiam nomen accepit. Olim Romæ in maximo precio erant, ſed prius ſaginabantur offis, ficubus, farinâ, milio, unde factum eſt, quod ita ſunt commendati à Poëtis. Nunc apud nos non eſt tanta ſuavitas, quia capti ſtatim interficiuntur, non ſaginantur, unde etiam duriores ſunt concoctu, nec ita benè nutriunt ſicut perdices, columbæ & gallinæ. In tantam autem apud veteres Romanos aviaria iſta excreverunt multitudinem, ut ex eorum ſolorum fimo plurimi ſtercorarentur agri, apud *Plinium lib. 17. cap. 9.* Ad proverbium iſtud: *Turdus ſibi ipſi malum cacat,* quod attinet, quaſi viſcum devoret, & ejiciat ac ſerat in agro, quo poſtea capiatur, rectè putant recentiores, rem ita ſeſe non habere, cum viſcum videamus in locis, ubi nulli ſunt turdi, &c.

2. *Dicitur pilaris turdus,* Wachtel/ edit acutum ſonum, & per totum annum apparet valdè maculoſo pectore, & propter cantum alitur in caveis. Habet magnitudinem merulæ.

3. *Genus minimum inter turdos ſolet nominari frigellus,* quia per æſtatem non videtur, ſed tunc advenit,

venit, quando vineæ dulces habent uvas & jam eſt vindemia, & paulò poſt etiam hyems appropinqua- 572
bit, unde dicitur frigellus, ein Weintroſchel/ quod ſit nuncius frigoris adventantis. Multas habet maculas rubras, & latas per totum corpus intus & extra, & valdè delectatur uvis, unde etiam apud nos accepit nomen quaſi vinoſus turdus. Omnium minimus turdus appellatur Rubetra, ein Zipdroſchel/quia delectatur fructibus rubi & baccis ſambuci.

MERULA, Amſel.

Merula valdè ſimilis eſt Turdo, atque ſola volat, ſola paſcitur, prima omnium parit ova, & quidem bis, eſt nigro pennarum colore, roſtro rutilo, & carnem habet valdè duram, niſi comedatur juvencula. Solet ſub hyemem ex nigra fieri ruffa: magnam colit amicitiam cum Turdo propter ſimilitudinem, vel ut alii volunt, Turture. Notiſſimum eſt, quomodo æmuletur vocem humanam & integras diſcat melodias, præſertim illo tempore, cum reliquæ cantillant aviculæ, quia circa hyemem & balbutire, & tandem prorſus tacere ſolet.

Reperiuntur autem triplicis generis Merulæ, *quædam nigræ, quædam albæ, quædam fuſcæ.* Circa hyemem ſolent etiam abire in vicina loca & delite- 573
ſcere. Poteſt dici *imago hominis ſolitariam vitam amantis*, qui tamen ſuum genium non defraudat. Mali punici grano guſtato perire dicitur. Non diſſimilis Merulæ, quoad figuram & quantitatem, eſt alia avis, quæ dicitur Collurio, ein Brachvogel/ degens in novalibus agris libenter, quæ & ipſa capitur hyeme, colore fuſco, terreo, & ita obſcuro, ut cum

humi

humi ſedet, vix poſſit agnoſci & diſcerni à terrâ, adeò ſimilis eſt quoad colorem ipſi terræ. *Ita multi ſunt homines*, qui adeò ſunt ſimiles brutis quoad voracitatem & ingluviem, item quoad crudelitatem, ſtupiditatem, contemtum religionis, ut videantur parùm differre à beſtiis.

STURNUS, ein Staar.

Valdè garrula hæc avis & ſtrepera, & eſt *genuina imago loquaculorum ineptorum.* Cæſares juvenes habuerunt unum Sturnum, qui Græcè & Latinè loquebatur. Loqui autem diſcunt Sturni, ſicut etiam aliæ aves, quando ſecretò & ſeorſim inſtruuntur in conclavi, ubi nulla alia vox auditur, & Præceptor ſemper aſſidet, & crebrò inculcat ea, quæ vult addiſci ab ipſis, & cibis bonis blanditur. Tunc enim aves
574 vocis ſpiritum illis magiſtris concionantibus & formantibus ſequacem & æmulum præbent, & vel cantiunculas, vel verſiculos, vel vocabula variarum linguarum addiſcunt. In locutione tamen aliquem ſibilum committit Sturnus, id quod non facit Corvus, qui puriſſimè loquitur, & optimè poteſt pronunciare illam literam, quam Demoſthenes difficillimè poterat enunciare, quæ dicitur elementum caninum.

Catervatim autem volant ſturni & in orbem tanquam in pilum circumaguntur, quia omnes tendunt in medium usque agmen, & ſic quoque capiuntur, dum poſt volatum cum magno impetu procumbunt. *Planè eodem modo bibuli multi ſæpenumerò* ſimul vel in corporale vel in ſpirituale malum incidunt. *Uvas matureſcentes valdè amant*, & circa illud tempus etiam ad nos veniunt, & vineas depopulantur. Hoc obſervan-

ſervandum eſt in ſpecie de ſturnis, quod ſicut cotur-
nices, *ita & ipſi pingves fiunt quodam veneno*, unde
multi ſunt, qui ſturnos interdicunt menſis, cum ta-
men aliæ multæ aves ſimiliter edant venenum, ut ci-
coniæ, quæ ab Anglis ſuaviter & ſine noxâ come-
duntur, item gallinæ domeſticæ, ut ſuperiùs dictum
eſt, devorant araneas. Sturni perhibentur etiam 575
vocare carnes ſuſpenſorum, & libenter verſari circa
greges armentorum, & colligere vermes ex ſtercori-
bus ipſorum.

FICEDULA, ein Schnepfflein.

FICEDULA *parva avis, ſed tamen exquiſiti guſtus eſt, citò & optimè nutriens, ventriculum non gravans, ſed vehementer roborans, ſi vel valdè multa edantur.* Ajunt, toto die hilarem eſſe illum, qui multas comedit, unde concludunt Phyſici, carnem ipſius gignere ſangvinem ſuaviſſimum, & efficere ſpiritus vitales, valdè vegetos. Delectatur autem ficubus, unde tunc prodit, quando matureſcunt ficus. Aliàs captat muſcas & culices, ſed tamen à ficubus nomen accepit. Veſcitur etiam dulcibus uvis, unde *Martialis.*

Cum me ficus alat, cum paſcar dulcibus uvis,
Cur potiùs nomen non dedit uva mihi.

Mutat ſimul formam & colorem, ſicut aliæ aves, &
non tantùm aves, verùm etiam quadrupeda, ut im-
primis de Sciuro dictum eſt, ſicut etiam ſerpertes &
cancri exuunt ſenectam, id eſt priorem cutem & te-
ſtas, & aſſumunt alias. *Quæ mutatio colorum nobis
hominibus debet eſſe exemplo,* ut ſæpiùs doleamus
propter admiſſa peccata, & ita exuamus veterem ho-
minem, & induamus novum, qui ſit conditus ad ju- 576
ſtitiam

juſtitiam in ſanctitatem. *Quando igitur ficedula mutavit colorem, ſecundum auctores aliquos, tunc appellatur Melancoryphus, ſeu Atricapilla,* ab atro apice, ſeu nigro capite, ein Münglein.

Sumque melancoryphus, quod mihi fuſcus apex.

Legatur *Ariſt. lib. 9. de hiſtoria animalium c. 49.* qui ſimiliter probat, *ficedulam & atricapillam eſſe unam & eandem avem:* ita enim fit, ut propter effectus aliquos, ſæpæ una & eadem avis diverſa ſortiatur nomina.

Concluſionis loco addatur *alia avis, quæ appellatur Mollıceps,* ein Haarſchnepff, à molli capite. Habet quidem grande caput, ſed valdè cartilagineum, ita habet paucas pennas, ſed optimos pedes, ſicut contra hirundo habet breviſſimos & imbecillos pedes, ſed optimas pennas: *ita* enim divinitù s & alternatim diſtribuuntur dona, ut non uni dentur omnia.

FICEDULAE *ſimilis dicitur eſſe illa avis,* formiculis victitans, & muſcis, *quæ appellatur Motacilla,* à motu, quia continuè movet caudam, propter partem poſteriorem valdè debilem. Quæ cauſa eſſe dicitur, quòd etiam in alieno nido parit. Eſt aſtuta & difficulter capitur, ſed capta ſubitò dicitur miteſcere.

577 Denique *Ælianus lib. 16. de animal. cap. 3.* dicit: *in India eſſe avem magnitudine ſturni, varicolorem, quæ etiam ſemper moveat caudam,* ſicut motacilla ſeu cynclus. Vocant autem pauperes cynclos, quia cynclus ſeu motacilla parit in alieno nido, ſicut pauperes non habent domi, unde vivant, & quia plerumque moribus non ſunt gravibus & conſtantibus, Videmus enim ruſticos in congreſſibus oppidanis

torquere

torquere digitos, pileos, &c. Hæc igitur avis Indica, magnitudine ſturni & varicolor, propter motum caudæ perpetuum nominatur Circio, & dicitur exprimere humanam vocem, & eſſe vocalior Pſittaco, magnâ docilitate & ingenio prædita. Sed non canit cum capitur, etiamſi opimos accipiat cibos, cùm aliàs in ſylvis tenuiter victitet. Mavult igitur cibos horridos in libertate, quàm regios in ſervitute, & ſic nobis proponit admonitionem illam, quæ eſt in vulgato verſu:

Crede mihi benè qui latuit, benè vixit.

Sed ſatis de illis.

Caput XXIII. 578

DE ALAUDA, FRINGILLA, CARDUELE, ET LUTEOLA.

HÆ ſunt aves parvæ & imbelles, & tamen *non tantùm ſua voce diligenter laudant Deum, verùm etiam ſuâ morte paſcunt homines.* Et ſunt *optima imago piorum in Eccleſia,* qui non tantùm audire debent religionem, ſed in illâ ita ſe exercere, ut lux ipſorum luceat coràm hominibus, ne ſint muti, tanquam qui nihil ſcirent de Deo, neque etiam remiſsè debent agere opus Domini, ſicut avicula quædam eſt, quæ dicitur *Parus,* ein Meiß/ quæ modicè & valdè tenuiter cantillat. *Eſt autem naturale diſſidium inter carduelem* clariſſimè canentem, *& inter Parum,* qui reverà parùm canit, ſiquidem Carduelis

 odit

odit Parum, per omnia, ſicut pii oderunt hypocritas. *Et ſicut* Parus plurimùm nocet apibus: *ita* hypocritæ piis obſunt. Atque *ſicut* Parus eſt avicula fœcundiſſima: *ita quoque* magnus eſt numerus hypocritarum.

Alia quædam eſt avicula, quæ dicitur ACREDULA, ein Schreyerlein/ cujus mentionem facit *Cicero in 1.*
579 *de divinat.* quæ manè præſertim valdè cancillat, & conqueritur quaſi aſſiduò, & triſtem edens vocem. Verùm pii non debent ineptos edere ſonos, ſed ſicuti aves quatuor nominatæ in titulo ex intimis præcordiis dulces Deo canere hymnos.

ALAUDA, ut placet ludentibus quibusdam, nomen habet à laude, & plebei norunt, quomodo hæc avis omnium prima cantu ſuo inter aves æſtatem prædicens, & diei exortum indicans, ſingulariter altum habeat volatum, quaſi ſingulariter aſſurgeret propius ad Deum, eique pro renovatione mundi tempore Veris ageret gratias. Huc referantur verſiculi ex Baptiſta Mantuano:

Prole nova exultans galeâque inſignis alauda
Cantat & adſcendit ductoque in aëre agyro
Se levat in nubes, & carmine ſydera mulcet.

Eſt illa imago piorum.

I. *Sicut Alauda nihil magis obiter videtur agere,* quàm diſquirere pabulum, *nullumque magis proprium opus facit, quàm hoc, ut in cœlum ad preces ſubvolet: ita quoque pii operam dabunt,* ut ordinariè & ſemper ſint occupati toti in cœleſtibus procurandis, quò propiùs ad Patrem cœleſtem annitantur, eique cantillent; & ut ab ipſis alienæ ſint curæ, injuriæ

juriæ, & ex profeſſo terreſtres libidines, iræ, ſimula- 580
tiones, invidiæ, odia, ambitiones.

2. *Sicut enim interim tamen obiter Alauda quærit victum*, paſcitur, gignit, educat ſobolem, tota ſemper cantui intenta: *ita terrena negotia obiter ſunt conficienda piis*, interim in cœleſtia tota defixâ mente, ut eorum pulchritudine animus oblectetur & firmetur.

3. *Sicut Alauda* cum accipitrem perſequentem animadvertit, *in hominis ſinum refugere dicitur: ita pii* Diabolum non rectiùs evadent, quàm *ſi ad ſinum Chriſti & Eccleſiæ ſeſe recipiunt*.

4. *Sicut in ſpecie Alauda laudat Deum* propter hyemem quæ aliò transmiſſam, & divinitùs conceſſum jucundum tempus: *ita quoque pii libertati ex ærumnis* altiùs debent aſcendere, & Deo gratias agere pro liberatione & pro conſolatione. Veteres jocati ſunt de Alaudâ, quod ſit omnibus terrenis rebus antiquior, nimirum, quod divina adoratio reperiatur vel antiquior ipſis terris, & quod Alauda vel ſepties in die laudet Dominum.

5. *Sicut verò Alauda aliquoties in die laudat Dominum: ita quoque pii* ſæpius uno die gratias agere debent.

6. *Sicut Alauda ſummo mane* incipit canere, & demum poſt cantum quærit, non quærit primò, de- 581
indè verò cantillat: *ita nos decet primùm* querere regnum Dei.

7. *Et ſicut Alauda* non ſedendo, ſed *volando cantat*, & licet fuerit incluſa, tamen conatur expandere alas: *ita quoque* non decet eſſe inter pios propter terreſtria negligentiam in cœleſtibus aliquam, ſed

 requi-

requiritur magna induſtria in precibus, ut ſint excitatæ vires, abſit ſomnolentia, abſint curæ.

8. *Ut plurimum Alauda*, non tantùm non conſiſtit in arbore, ſed neque etiam in arbore nidificat, *ſed inter ſegetes nidum ſuum exponit aëri & ventis*, & ſuos pullos docet maturè aufugere, cum inſtat temp⁹ meſſis. In ipſius etiam nido ſæpenumerò parit cuculus, ut ſuperiùs dictum eſt: *ſimili modo pios non decet conſidere præſidiis externis*, neq; quærere ſplendorem mundi, ſed tamen ipſi ſeſe periculis non debent objicere temerè.

9. *Et ut miſera Alauda ſæpè excludit cuculos*: *ita multi hæretici* egrediuntur ex ipſa Eccleſia. *Semen ſinapis ſi guſtaverit alauda, perit per hyemem*, (non tamen admodum valdè, quia ſæpiùs conſpicitur) latet, non diſcedit in alia loca. Non enim omnes aves ad loca tepidiora abeunt, ſed tantùm illæ, quæ
582 velociſſimè volant. *Eſt autem duplex genus Alaudæ*, quia *quædam* habet criſtam, unde dicitur Caſſita & Galerita, quæ rarò evolat, & evecta ſtatim rurſus procumbit, neque altis neque longis ſpatiis confectis; *quædam* verò non habet criſtam, quæ paulò eſt minor, & altius evolat, & hæc propriè canit, Sanglerch: *ita in Eccleſia* pii plerumque ſunt deſpecti, ſed impii gloriantur propter externam formam.

FRINGILLA, Rothfinck, notiſſima avis eſt, & *plerumque rubra, habens vocem clariſſimam.* Sæpè autem excœcatur, ut dulcius canat: *ita ſæpenumerò Deus permittit Eccleſiam exagitari ab impiis*, ut excitetur ad ardentiorem precationem. *Nomen accepit à frigore*, quia etiam in frigore adhuc cantat & viget. Non eſt prædita aliquâ calliditate, neque habet, un-

de

de poſſit commendari, niſi à cantu: *ita pios decet in nulla re gloriari*, & de nulla tantùm loqui, quantùm de cruce Chriſti.

Carduelis, Stiglitz item Acanthis, vel Ligurinus, vel Spinus, vel Spinula, Diſtelfinck/ etiam nota eſt avis, *quæ valet voce valdè canora, & habet dorſum cinereum & fuſcum, alas croceas, & albis maculis mixtas.* Ideò dicitur à carduo, vel à ſpinâ, quia vivit in ſpinis & paſcitur ſemine carduorum. Valdè odit aſinos, qui ſolent dorſum ſuum in ſpinis torquere, & ita vel dijiciunt florem ſpinarum, vel devorant ipſum. Antea dictum eſt, quomodo Spinula odio proſequatur Parum. Refert Plutarchus, *tantum eſſe odium inter paros & ſpinos, inter Aquilas & Dracones, inter coturnices & noctuas, ut ne quidem interfectorum horum animalium ſangvis poſſit miſceri, & licet violenter commiſceatur; tamen ſtatim ſeorſim fluat.* Præterea *cardueles poſſunt aſſuefieri*, ut non tantùm voce, ſed & pedibus & ore, quo pro manu utuntur, imperata faciant. Facit ipſius mentionem *Virgilius*, cum inquit: 583

Littoraque halcyonem reſonant, & acanthida dumi.

Diſcit *ſervitutem maturè animo ferre patienti*, & attrahit funiculo potum: *Sic ſtudioſi* bonarum literarum maturè diſcant fieri ſedentarii, ſubindè ad ſe attrahant codicem cumprimis ſacrum, unde reficiantur. Viſco capta adeò recordatur hujus rei, ut hoc ipſo modo amplius capi nequeat, ſi evaſerit.

Luteola eſt parva avis, ſicut Alauda, & nomen habet à luteo colore, ſeu pallido colore partis ſuæ inferioris. Notius eſt, quàm ut opus ſit alienâ admoni-

monitione, quàm ſuaviter cantillet. Et Medici qui-
584 dam dicunt eſſe *naturalem συμπάθειαν inter luteolam, & cerebrum hominis*, ita ut cantus & ipſa vox luteolæ mirificè recreet cerebrum. Facit ſibi nidulum ſicut Merula & Pica ex lino, lana, & imprimis ex herbâ quadam, quæ in petris naſcitur, & ſimilis cunilæ, *& dicitur Alum.* Hanc autem herbam unà cum radice magnâ difficultate eruit, & ad nidum ſuum deponit. Cætera nota ſunt ex quotidiana aſpectione luteolæ.

CAPUT XXIV.
DE CAPRIMULGO, REGULO ET GAVIA.

HÆ aves, quæ in hoc capite commemorantur, magnâ ex parte conveniunt hæreticis & hypocriticis doctoribus, item doloſis & furacibus hominibus, quia neque canunt, ita ut oblectarent homines, neque alias inſignes habent utilitates, ſed vel ſuperbia vel damno nomen ſibi celebre parant.

Et primò quidem CAPRIMULGUS nomen habet à mulgendis capris, ſed in lingvâ vulgatâ dicitur Pfaffus, *eſt minor cuculo, valdè audax.* Aſpernatur enim parvas aves, & non veretur impetum facere in capras, neque timet paſtorem, ſed ex uberibus ſugit
585 lac, unde etiam nomen accepit. Pro hoc verò ſive beneficio ſive furto malum reddit præmium. Nam quod extat apud graves auctores, ubera capræ redduntur,

duntur emortua, ità ut nullum amplius gignant lac, deinde ipſa capra, quam ita mulſit, cœca efficitur.

In hac ave non inepta continetur imago Epiſcoporum Pontificiorum. Quanta enim ſit ipſorum audacia & ſuperbia, notum eſt. Aſpernantur enim omnes admonitiones aliorum piorum paſtorum, ſæpè etiam propriorum Clericorum, qui manifeſtas impietates Epiſcoporum taxant. Nec timent Epiſcopi ſummum paſtorem Chriſtum, ſed violenter invadunt Eccleſias, in quibus magnas efficiunt vaſtitates, nec tantùm pecuniâ ſpoliant miſeros, verùm etiam corda reddunt ſecura & emortua, dum Miſſis ſingularem vim adſcribunt, cùm tamen reverà per miſſas tantùm emungantur nummi, & homines, auditâ unâ miſsâ, putent ſe per omnia eſſe in gratiâ Dei, ex quâ ſecuritate quid ſequatur cuivis colligere promptum eſt & facillimum. *Præterea hæc avis interdiu aut nihil aut parùm videt, ſed noctu cernit acutè,* & noctu furatur: *ſic tales Epiſcopi,* & ipſorum miſſatores noctu cernunt acutè, ſed interdiu cœcutiunt, id eſt, in 586
rebus vanis & ineptis ſunt ſeduli & diligentes, ſicut vix dici poteſt, quot & quantas quæſtiones tanquam magnalia Dei de ſolâ Miſsâ moveant, de re nimirùm impiâ & vaniſſimâ, ſed cœci ſunt interdiu, id eſt, ipſam veram doctrinam de merito Chriſti, de emendandâ vitâ ſecundùm præſcriptum Chriſti, planè nec intelligunt, nec populo inculcant.

Regulus eſt *avis valdè parva, quæ plerumque ſaltat circa ſepimenta.* Deindè tanta ipſum invaſit audacia, ut *audeat contendere cùm aquila de volatu & de primatu.* Nota autem eſt fabula, quod ut vinceret altiori volatu, ſuper aquila ſederit, & cum evola-

ret aquila in altum, tamen jactaret ſe eſſe altiorem: ita nunquam contemnendus eſt hoſtis, quantumvis parvus. Pridiè quàm Julius Cæſar interficeretur à viginti tribus conjuratis, viſus fuit regulus, qui diſcerpebatur ab avibus multis diverſi generis. Id ſpectaculum absque dubio excitavit angelus ſanctus vel malus. Julius igitur Cæſar fuit comparatus regulo. Sed ſicut miſer regulus non potoſt ſeſe defendere adverſus alias aves: ita Cæſar potentiſſimos habuit adverſarios. *Nomen* igitur *accepit hæc avis à regendo*, quod audeat cum ipſo maximo inter aves,
587 quaſi duce, aquilâ, contendere. Sunt aliqui, qui putarunt, regulum eſſe illam avem, quæ nominatur TROCHILUS, *de qua dictum eſt ſuperius de Crocodilo, cui ſolet purgare dentes.* Sed aliud eſt Trochilus, aliud Regulus. *Trochilus* eſt inſtar Turdi, & habet criſtatam plumam, acutam & plicatilem, quâ ſolet palatum figere, ſi Crocodilus claudat fauces. Crocodilus enim faucibus hiantibus, & quidem in tantum ut vaccula aliqua poſſit ingredi, quærit cibum, & hac ratione ſimul recipit hirundines & alia, quæ lædunt dentes ipſius. Itaque ad littus progreditur, vaſtiſſima belua, & radios Solis adverſos intuetur, & iterum maximè hiat ore. Tùm igitur absque dubio ex divinâ providentiâ Trochilus involat in fauces, & extrahit hirundines. Pro præmio hoc accipit à Crocodilo, 1. *quod non devoratur*, ſicut ſæpenumerò Tyrannis agendæ ſunt gratiæ, quod non nocent. (Mala numina colenda ſunt, non ut proſint, ſed ut non noceant.) 2. *quod Crocodilus liberatur hirundinibus*, ſed tamen interim Trochilus accipit prandium. Aliquando muſcis ita ingurgitari perhibe-

hibetur, ut etiam de vitâ periclitetur. 3. *Quod Crocodilus interdum alios cibos ſibi obji it*, ſiquidem Trochilus plerumque errat circa ripas fluminum. Vice verſa Trochilus Crocodilo refert gratiam, quia cum 588
dormit Crocodilus, ibi vigilat Trochilus, ſicut dormiente Petro, vigilat Judas, & cum videt accedentem hoſtem Crocodili, Ichnevmonem, clamat & verberat nares Crocodili, & ex profundo ſomno eum evocat, & in hoſtem exacuit. Quid verò nobis proponatur in hac naturâ horum animalium, prolixè expoſitum eſt in primo tractatu, in Capite de Crocodilo.

Gaviae *ſunt ſtupidæ aviculæ, ſicut etiam fulicæ.* Vivunt ſpumâ marinâ, & nidificant in petris, atque veſcuntur piſcibus quoque, quos venantur in ſummo mari & in fluminibus. Citò ſolent augeſcere propter copioſum humidum, ſed tamen plus habent pennarum, quàm carnis. Et quidem Gaviæ quando parturiunt, vociferantur, quaſi magnum quiddam eſſent edituræ, vel rem arduam præſtituræ, ſed cognatæ fulicæ pullos aquilæ ſolent nutrire, quæ eſt curioſitas. Itaque *Gavia* ſunt *imagines illorum paſtorum, qui audaces ſunt & jactabundi,* cum re ipsâ nihil poſſunt præſtare. Sed fulicæ ſunt *imagines illorum, qui temerè ſeſe immiſcent alienis.* Utræque avidè expetunt ſpumam, ſicut inepti paſtores, vendunt fumos, laudant exigua, quia non intelligunt ar- 589
dua. Simul ſolent hæ aves circumvolitare in mari, & matutino clangore præſagiunt tempeſtatem, quâ de re legatur *Virgil. in Georg.* Sed ſatis de illis.

CA-

Caput XXV.
DE PASSERE.

NIhil notius eſt hac quoque ave, quæ ſecundùm aliquos fortaſſis *nomen accepit à patiendo*; quia patitur, *ſiquidem obnoxia eſt morbo caduco*, unde ab ipſius eſu abhorrent plerique.

Et 1. *quidem calida eſt hæc avis, & diligenter circumſpicit*, utrum ipſi ſtruantur inſidiæ, num retia ſint diſpoſita, vel decipulæ quædam lateant, ita ut difficulter poſſit capi, atque potiùs bombardis vel aliis machinis interficiatur, quàm ut viva perveniat in manus hominum.

2. *Hæc avis valdè diligit ſuam gentem*, id quod inde patet, quod cum vident captum ſocium, conclamatur totus cœtus, & ſi poſſunt, diſcerpunt retia, & liberant captivum.

3. *Nidum ſuum purum ſervat*, quia ejicit ſtercora, & cogit pullos ſuos, ut hoc ipſum faciant.

590 4. *Cum ſibi ſit conſcia magnæ infirmitatis*, & noverit humi eſſe ſerpentes, laqueos diſpoſitos, retia collocata, *nidulos ponit vel in ramorum cacuminibus, vel in foraminibus parietum*, quò non facilis patet cuivis aſcenſus.

5. *Amat tamen hominum commèrcia & habitationes*, vocata ad puerorum manus advolat, & ex manu cibum capit, quemadmodum & aliæ aliquot minores aves faciunt: quin & multos gignit pullos, eosque magnâ ſolertiâ educat, & paſcit araneis, muſcis, & vermibus.

6. *Maxi-*

6. *Maximoperè zelum concipit*, & pugnam inſtituit maſculus pro uxore.

7. *Summô mane ſurgit*, & ſuo qualicunque garritu gratias agit Deo, quin etiam norunt hæ aves ex mutuâ benevolentia omnis invidiæ experte, ſeſe invitare invicem ad epulas, ſignificantque ſuo garritu, ubi gregatim ſimul omnes abundè epulari queant: volant enim in arbores ad alios ibi conſidentes, nunciantque ſe alicubi frumentum ſparſum inveniſſe. Apud *Eunapium* quidam audiens clamorem paſſerum in tecto, *dicit ſe intelligere, quid referant, nempè in ſuburbio cecidiſſe aſinum, & effudiſſe triticum, id quod etiam factum fuerat.* Verùm absque dubio eſt quidam motus communicandi animi ſenſa per nutus, per alia ſigna, item per immutatas voces, ſed nos non poſſumus illum modum ſatis aſſequi, ne- 591
dum explicare.

Gallina immutatâ voce congregat pullos ad cibum: *Perdix* ſuâ voce peculiare provocat alias perdices, ut incidant in captivitatem. *Coturnices* habent ſuum ducem Cynchramum, cujus voce noctu excitantur, ſicut *grues* audiunt ex duce, cum eſt diſcedendum. Inter tritas hiſtorias *illa quoque commemoratur de anſeribus cum multo ſtrepitu exeuntibus ex pago, & ſe mutuò ſæpius reſpicientibus.* Id cum mirarentur ruſtici reliqui, ſenior quidam ruſticus reſpondet, colloqui ſuo modo anſeres & jam contendere, ad quamnam primò deberent contendere pyrum (poſitæ enim erant duæ arbores ferentes pyra) ſibique videri maximam partem concludere, ut ſinguli accederent prius ad poſtremam pyrum; id quod etiam factum fuerat. Et hæc omnia confirmant

mant illud, quod Lactantius contra Ethnicos ſcribit: *Maximè proprium eſſe hominis ſtudere religioni, ſiquidem viſus, auditus, voluptas, calliditas, communicationes ſeu collationes, ſuo tamen modo inſtitutæ, item virtutes, fortitudo, caſtitas, temperantia & ſimilia reperiantur etiam in brutis.* Et addit: *riſum, qui*
592 *maximè proprius eſſe putatur hominis, tamen reperiri etiam in brutis, non quidem eodem, ſed ſimili modo, ſiquidem canes mirificè blandiuntur dominis.* Sed legant ſtudioſi ipſa verba apud ipſum Lactantium in libro *de ira Dei cap. 7.* Verba Lactantii ita ſonant: *Nullum eſt animal (ait Cicero) propter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei. Solus enim ſapientia inſtructus, ut religionem ſolus intelligat, & hæc eſt hominis, atque mutorum vel præcipua, vel ſola diſtantia. Nam cætera, quæ videntur hominis eſſe propria, etſi non ſint talia in mutis, tamen ſimilia videri poſſunt. Proprius homini ſermo eſt, tamen & in illis ſimilitudo quædam ſermonis: Nam & dignoſcunt invicem ſe vocibus, & cum iraſcuntur, edunt ſonum jurgio ſimilem: & cum ſe ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, ſicut illis fortaſſe noſtræ, ſed ipſis, qui ſe intelligunt, verba ſunt: denique in omni effectus certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis oſtendant. Riſus quoque eſt homini proprius: & tamen videmus in aliis animalibus quædam ſigna lætitiæ, cum ad luſum geſtiunt; aures demulcent, rictum contrahunt, frontem ſerenant, ocu-*
593 *los in laſciviam reſolvunt. Quid tàm proprium homini, quàm ratio, & providentia futuri? Atqui ſunt animalia, quæ latibulis ſuis diverſos, & plures exitus pan-*

pandant, ut ſi quod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis: quod non facerent, niſi ineſſet illis intelligentia, & cogitatio, alia provident in futurum, ut:

---------- Ingentem formicæ farris acervum
Comportant, hyemis memores, tectoque reponunt,
(ut apes:)
Quæ Patriam ſolæ, & certos novere penates,
Venturæque hyemis memores, æſtate laborem
Experiuntur, & in medium quæſita reponunt.

Longum eſt, ſi exequi velim, quæ à ſingulis generibus animalium fieri ſoleant humanæ ſolertiæ ſimillima. Quod ſi horum omnium, quæ aſſcribi homini ſolent, in mutis quoque deprehenditur ſimilitudo: apparet ſolam eſſe religionem, cujus in mutis nec veſtigium aliquod, nec ulla ſuſpicio inveniri poteſt. Religionis enim eſt propria juſtitia: quam nullum animal attingit. Homo enim ſolus imperat: cætera ſibi conciliata ſunt. Hactenus verba Lactantii.

8. *Cæterùm alioquin venenoſa ſemina, imprimis omnia inſecta paſſim venatur paſſer,* præſertim cum infantulos habet. Tunc igitur capit papiliones, araneas, muſcas, veſpas, aves, crabrones, formicas, gryllos, ſcarabæos, &c. Et hinc, ut ex hiſtoria ſimilium avium deprehendent Studioſi, propter quos 594
fines ſeu in quemnam uſum Deus talia & alia inſecta condiderit. Propter peccata tamen hominum ea ſæpiùs ingrediuntur frequentius in urbes, quæ alioquin in agris manere debebant, quemadmodum in *Exodo* ranæ in Ægyptum extra aquas migrant. Eadem ratio eſt pediculorum & pulicum, quæ omnia animalculorum ſeu avium quarundam cibis debebant

cedere,

cedere, & interim copioſius intra urbes veniunt, & intra pagos ad vexandam hominum petulantiam, *Diodorus Siculus* teſtatur, *paſſeres in Media frumentum adeò depopulatos fuiſſe, ut cogerentur homines inde migrare*. Urgente nemeſi paſſeres nihil curant perſonas vel larvas in agris milio conſitis poſitas. Corticem ab hordeo celerrimè ſeparare ſcribuntur apud Albertum.

9. *Paſſer quidam paulò grandior & nigrior ſolet videri, qui ſolus per domorum culmina incedit*, & cantum habet ſuaviorem, appellaturque paſſer ſolitarius. Et huc videtur reſpexiſſe David *Pſal. 102. verſ. 8.* item *104.* & alibi, *quando in maximis anguſtiis conſtituitur, & ſeſe comparat paſſeri in tecto.* Etſi autem hic paſſer ſolitarius imprimis amat ſolitudinem, neque intereſt congregationibus paſſe-
595 rum, tamen omnibus hoc ſolet eſſe proprium paſſeribus, deliteſcere in nidulis ſub tecto, non circumvagari ſicut gallinæ, non circumvolare ſicut hirundines. *Sicut* igitur paſſer latet: *ita* quoque mentes conſternatæ nihil tàm avidè expetunt, quàm ut in locis ſolitariis procul à conſpectu hominum dolori poſſint indulgere, inſtituere querelas ad Deum, & miſcere preces & ſuſpiria.

10. *Semen alii valdè calidum dicitur eſſe venenum paſſerum*, id quod etiam teſtatur *Ælianus lib. 6. c. 45.*

11. *Naturalis eſt* ἀντιπάθεια *inter hirundines & paſſeres*, quia hirundinum ingrediuntur nidos paſſeres, & ſi poſſunt, perdunt ova.

12. *Valdè inſtabilis eſt hæc avis, & valdè quoque libidinoſa*, unde propter ſalacitatem non diu vivit. *Plinius*

Plinius teſtatur, *mares ſolummodò unum annum vivere, ſed fœminas diutius*, id quod inde colligit, quia nigrities, quæ eſt in roſtro paſſerum, non apparet in initio Veris, ſed incipit in æſtate, cùm tamen paſſeres non emigrent ad loca calida, ſicut reliquæ aves, nec etiam regulariter capiantur ad uſum menſarum. Certum igitur eſt, nimiâ Venere extingvi ipſos, & interim à matribus novos excludi pullos. Maſculus non tantùm viſâ, ſed & auditâ fœminâ ſemen
emittit. Julius Cæſar Scaliger uno die decies, Ulyſ- 596
ſes Aldrovandus vigeſies coëuntem intra breve diei ſpatium obſervavit: Sed tamen & quadriennium vivere paſſeres aliqui docent.

Hæc ſunt præcipua de paſſeribus. Valdè autem jucundum eſt, quod *Pſal. 84. Eccleſia comparatur paſſeri & hirundini.* Hæc enim ſunt verba: *Etenim paſſer invenit ſibi domum, & hirundo (in veteri verſione Turtur) nidum, altaria tua Domine*, &c. Et absque dubio Spiritus S. accommodavit ſeſe ad captum vulgi, *ſumſitque ſimilitudines ab illis avibus, quæ & libenter in templis circumvolitant, & juxta templa libenter nidificant*, ut hac ratione conſpectis illis avibus ſæpiùs admonerentur plebei, nihil eſſe dulcius tabernaculis Domini ſeu ipsa Eccleſia, ſicut paſſeres & hirundines libenter verſantur in templis, id quod non faciunt aliæ aves.

1. *Sicut igitur hæ gaudent reperto loco pro nidis in templo*, & ſicut delectantur templis: *ita pii* debent de loco intra Eccleſiam ſibi dato tripudiare & amare publicos congreſſus. Non enim ſufficit domi orare & meditari, ſed adeunda ſunt illa loca & colenda commercia, quæ habent promiſſionem præſentiæ Filii

 Dei:

597 Dei: *Ubicunque duo aut tres congregati fuerint in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Huc pertinet illud Caſſiodori ſuper hæc verba Pſalmi: *Paſſer eſt nimia velocitate celerrimus, qui in ſylvis habitare non patitur, ſed domum ſibi in parietum foraminibus deſideranter requirit, quamdiu invenerit, nimio gaudio lætus exultat, quia ſe diverſarum adverſitatum ulterius patere non credit inſidiis. Hæc ille.* Idem de paſſerum nimia timiditate, propter quam inter quieſcendum à ſomno ſæpiſſimè excitantur, quia ſcilicet nullis armis aliis contra accipitrem à Deo munitæ ſunt, ſic ſcribit: *Paſſer eſt avis parva, ſed nimia ſagacitate ſolicita, quæ nec facilè irretitur, nec per illuviem ventris eſcarum ambitione decipitur. Hæc propter infirmitatem ſuam, ne aut ipſa à prædatore capiatur, aut fœtus ejus ſerpentinis devoretur inſidiis, inter aves unica cautione munita, ad domorum faſtigia excelſa concurrit, ut à ſuſpectis caſibus reddatur aliena, quæ multis periculis probatur obnoxia. Hæc iterum ille.* Et rectè omninò ideò in mediâ urbe & in faſtigiis nidificare ſtatuemus paſſeres, quod ſperant hunc modum adverſus prædones auxilium futurum.

2. Apud *Ælianum* enim *lib. 13. cap. 31. ab accipi-*
598 *tre vehementius impetitus paſſer in Xenocratis ſinum devolavit, non malè cogitans, accipitrem viſo homine ceſſaturum à perſecutione, non aliter atque canes & filioli ad hominum & parentum aſyla in periculis confugiunt.* Multò igitur magis *homines & Chriſtiani adulti in calamitatibus ad altaria Domini,* ad Eccleſiam, ad conſolationes verbi divini, ad Dei auxilium confugiunt, cum videant paſſerem lætari, quando

quando in tabulatis hominum vel in templis nidificare poteſt. Apud *Herodotum lib. 1.* cum quidam templum circumiret, & ex nidis paſſeres & alias aviculas ſpoliaret, ex adyto vox audita fuit; *Hominum ſceleſtiſſime, quænam libido te inceſſit, ut auderes aves ſupplices diripere. Cui iſte reſpondit: Cur tu Rex non fers auxilium ſupplicibus. Aliquoties enim Orator ille Satanicus rogatus reſponderat, Cyro reddendum ſupplicem, qui præ metu ad Cumæos ſeceſſerat.* Sed utut hæc ſint, multò magis Deus vindicabit eum, qui pios innocentes turbabit & non defendet.

3. *Sicut paſſeres & hirundines nidos ſuos ſervant puros,* & docent pullos egerere excrementa: *ita qui vult eſſe membrum Eccleſiæ, ante omnia debet valedicere mundo,* non ampliùs vivere in peccatis, ſed exhibere membra ſua vaſa juſtitiæ, & ſanctitatis. 599

4. *Sicut hæ aves manè maturè ſurgunt,* & ſuo modo celebrant laudes Dei: *ita ſingulis diebus præſertim manè repetenda* & prædicanda ſunt beneficia Dei. Et cum reliqui, qui mundo ſunt dediti, tempus matutinum diligenter obſervant, tanquam magis aptum, multò magis hoc facere decet Chriſtianos. Et cum paſſeres ſemper verſentur in ædibus noſtris, idcircò ſuo garritu hanc admonitionem ſemper nobis in memoriam revocant.

Et ut rectiùs hoc fieri poſſit, notetur hiſtoria, quam recitàt *Gotſchalcus Holem, qui floruit ante Lutherum, in Explicationibus ſuper Epiſtolas Dominicales, & quidem ſuper Dominicam I. Adventus.* Verba ipſius hæc ſunt: Recitat *Helinand. in Chronicis ſuis l. 8. de ſeipſo*: Audi, inquit, fabulam: non fabulam, ſed rem geſtam, *Philippus Beluacenſis Eccleſiæ Epiſc. aliquando apud*

do apud nos hoſpitatus eſt, & non quidem devotionis cauſa, ſed devorationis. Præcepit enim mihi præfatus Epiſcopus, ut eum facerem audire matutinalem miſſam. Ad quem cum die craſtinâ, primâ jam cantatâ, veniſſem, nemo de familia ſua eum excitare præſumebat. Ego autem acceſſi ad eum propius, & eum
600 *excitavi, quaſi jocando dicens: Jam diu eſt, quod paſſeres ſurrexerunt ad laudandum Deum, & adhuc Pontifices noſtri ſtertunt in cubilibus ſuis: attende Pater, quid dicat Pſalmographus, prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ſuper quo dicit gloſſa: Indecens eſt Chriſtiano, quod ipſum otioſum in lecto radius Solis invenit. Hæc ex Helinando recitat Holem.* His ipſis verbis nos noſtros ſomnolentos in æſtate præſertim ſæpius excitare decet: *Surge piger, jamdudum enim ſurrexerunt paſſeres ad laudandum Dominum.*

5. *Sicut hirundines*, quarum ſimul cum paſſeribus mentio fit in dicto Pſalmo, *non comedunt frumenta, ſed quærunt muſcas & culices*, & quidem illis paſcuntur intervolandum, ſed poſtea cum ſedent, vel purgant corpora ſua, vel curant pullos ſuos: *ita vera membra Eccleſiæ non decet eſſe nimis ſolicita de voluptatibus mundi*, neque debent totum ſuum ſtudium convertere ad opes augendas, ſed in terreſtribus quaſi obiter verſari, ſicut hirundo volando comedit, & omnes reliquas ſuas actiones in hoc convertere, ut & ipſi placeant Deo, & ut poſt ſe relinquant alia membra, quæ agnoſcant & celebrent Deum.

Et 6. *ſicut hirundines & paſſeres occupant parvam*
601 *partem* & quaſi angulum in ædibus: *ita quoque Eccleſia in hoc mundo cogitur, eſſe contenta exiguo quo-*
dam

Digitized by Google

dam angulo mundi, cum interim hoſtes ipſius dominentur in ampliſſimis regionibus.

7. *Sicut paſſeres ſunt valdè callidi*, & difficulter capiuntur: *ita Eccleſia debet quidem eſſe ſimplex* ut columba, in doctrina & moribus, ſed tamen non temerè debet ſeſe objicere periculis, ideò enim additur, ut prudentes ſicut ſerpentes.

8. *Sicut paſſeres* invenientes frumenta *convocant ſocios ſuos: ita pii de bonis ſuis liberaliter debent communicare pauperibus*, non aliter atque Petrus, cum Chriſti beneficio magnum numerum piſcium caperet non ſolus & clam illos accepit, ſed & ipſe convocavit ſocios ſuos.

Atque 9. *ſicut paſſeres zelant* & pugnant pro uxoribus: *ita quoque in Eccleſia* imprimis conjugium decet eſſe honorabile.

10. *Et ſicut paſſeres per hyemem* nobiſcum manent: *ita Eccleſia* in cruce debet eſſe conſtans.

11. *Sicut* item *duo paſſeres* vix aſſe veneunt: *ita ſemper Eccleſia* in mundo eſt ſpreta & contempta.

12. *Sicut* igitur paſſer antea errans, nunc verò repertо nido expandit cum tripudio alas, ut volet ad domum ſuam; *ita Eccleſia* elevet pennas fidei, ſpei, charitatis, quibus exultet in cœleſtibus ſibi reconditis theſauris & domiciliis. 602

Denique *Lev. 14. v. 6. 49. Leproſi*, quando jam erant mundati *offerebant duos paſſeres*. Sicut enim, ut dictum eſt, hæc avis circa templa verſatur: *ita illa oblatione ſignificabatur, hunc leproſum jam mundatum iterum admitti ad ſocietatem publicam*. Simul tamen *innuitur, vitandas poſthac eſſe nimias vo-*

 lupta-

luptates mundanas. Cætera membra collationum per ſe ſunt facilia.

Caput XXVI.

DE LUSCINIA.

HÆc *avis pulcherrimè inter omnes aves*, (niſi
cuculis hanc laudem conferre & aſino auſcultare velis) cantat, *& tamen corpore eſt puſillo & admodum obſcuro*, unde Lacon apud Plutarchum in
Apoph. Lacon. æſtimans corpus ex claritate vocis,
cum devoraret Luſciniam, & videret parum carnis
ineſſe, dixit: *Vox es, prætereaque nihil.* Admirandum autem eſt, in tam parvo corpuſculo tantas poſ-
603 ſe eſſe vires, ut ſine intermiſſione canat, non tantùm
integros dies, verùm etiam per noctes. Nam quamprimum ſylvæ incipiunt frondeſcere, ex latebrâ ſuâ prodit, & quindecim diebus & noctibus aſſiduò cantillat, unde natum eſt Proverbium: *Somnus Luſciniæ*, de illis, qui ſummam diligentiam adhibent. Poſt illos quindecim dies adhuc quidem cantat, ſed non ampliùs aſſiduo. Quando æſtus augetur, pulcherrimam modulationem intermittit & aliâ utitur voce, ſed non tam variâ & ſuavi. Non igitur diu canit, tùm ne fatigetur, tùm ne ſatietur. Utroque enim modo fieret, ut cantus ipſius vileſceret. Mares magis ſunt vocales & cantores, quàm fœminæ, contrarium fit inter illum utrumque ſexum humanum.

2. *Non canit, ſi includatur in caveam*, ſed amat liberùm aërem, incluſa abſtinet cibo, & indulget dolori, præſertim ſi eſt ſenior. Nam juniores interdum, ſed valdè raro aſſuefiunt, ut etiam in caveis cantillent.

tillent. *Sicut autem ipſa Luſcinia eſt imago Doctorum*, qui dulciſſima opera edunt, & ſine intermiſſione immorantur ſtudiis: *ita quoque docti amant libertatem*, unde *artes dictæ ſunt liberales* & ingenuæ. Servilia enim & contemta ingenia, non ſunt apta ad di- 604
ſciplinarum & lingvarum ſtudia. Unde *Homerus Odyſſ. ρ.* dicit, *quod Juppiter omnibus ſervis abſtulerit dimidiam portionem animæ.*

3. *Etiam gloriæ cupiditas quædam eſt in luſcinia.* Nam cum nullos videt auditores, & verſatur in deſertis, ſimplicem nec ita elaboratum cantum edit. Sed cum non deſtituitur auditoribus, & eſt extra deſerta, ibi non tantùm ſtrenuè cantat, ſed etiam cantum variat, intendit, remittit, exprimit, obſcurat, & mille modis fingit atque refingit.

4. *Tantam voluptatem percipit ex modulationibus, ut obſervatum ſit ipſam præire cantu pullis*, h. e. inſtituere pullos, dare ipſis verſiculos, quos æmulentur. Atque deprehenſum & hoc fuit, quod pulli magnâ cum intentione auſcultarunt, & poſtea per vices repetierunt. Quin & illud fuit obſervatum, quod mater ſæpenumerò quaſi interlocuta correxit & reprehendit pullos. Si igitur procul, aut nimis negligenter vel inſcitè à matribus alantur pulli, nec ita peritè, nec ita ſuaviter canunt. Hoc autem omne faciunt nullius mercedis, ſed ſolius gloriæ, & delectationis cauſa. Nota autem eſt fabula apud *Ovidium de Tereo*, qui interfeciſſe dicitur virginem, quæ mutata fue- 60
rit in Luſciniam, & ſic adhuc retineat voces, quarum ſonũ videtur exprimere luſcinia, Τηρεύς μὲ ἐβιάζετο.

Tereus

Tereus me violenter oppreſſit. Subindè enim inter canendum tales ſoni audiuntur ex luſcinia.

5. *Hoc quoque memoriâ dignum eſt, quod ad multa poteſt aſſueſieri:* ita ut meditetur in diem, & aſſiduè nova loquatur. Druſus & Britannicus filii Claudii *habuerunt luſcinias Græco & Latino ſermone dociles, & quæ longos contextus potuerunt pronunciare.* Adeò huic avi nil niſi cantio curæ eſt, unde etiam alterum ſuum nomen accipit Philomela, à φίλος amicus, & μέλος cantio. Cumque Philippus Melanchthon nomen habeat, cujus initiales literæ & ſyllaba congruunt cum nomine hujus avis, deindè cum divinitus ſit adjunctus Luthero in reformatione papatus barbari, atque cùm Theologica & Philoſophica multa præclarè docuerit & ſcripſerit, & in hac Academiâ innumeros habuerit diligentes auditores, atque ſine intermiſſione fuerit occupatus in illuſtrandis bonis artibus & diſciplinis, idcircò eruditi multi in ſuis ſcriptis ipſum comparant luſciniæ & re atque
606 nomine vocant Philomelam. Sic ante omnes alios poſſent vocari etiam Prophetæ & Apoſtoli, imprimis Prophetæ, qui etiam noctu ante exortum Solem juſtitiæ, Chriſtum, tamen multas ſuaviſſimas prædictiones de ipſo protulerunt. Aliàs etiam dicitur ἀηδὼν, q. d. cantor perpetuus, ab ἀεὶ & ἄδειν.

6. *Facillimè capti poteſt, quando ſcilicet fœmina concluditur in caveam:* tunc enim advocat marem, qui mox illabitur in inſidias retium. *Eſt etiam curioſa,* unde aucupes in conſpectum ipſius aliquid rerum gerunt, & interim fodiunt foveam, quam etiam abdunt ſuperimpoſitâ tabellâ, ſicut fit in quibusdam deci-

decipulis, diſcedentibus aucupibus advolat luſcinia, & in fovea capitur.

7 *Doceri poteſt de multis, cum ſcilicet nullas alias audit voces.* Olim Romæ tàm cara erat, ut carius venderetur, quàm ſervus & quidem armiger, apud *Plinium lib. 10. cap. 29.* vinitor ſervus apud Columellam octo millibus æſtimatus, ſed armiger pluris venditus, ut qui præſidium vitæ homini afferre poſſet. Et fuerunt exempla, ita ibi aſſuefactæ erant, ut cum juberentur canere, inciperent & ſubindè mutarent vocem.

8. *Circa autumnum non quidem diſcedit, ſed abſconditur usque ad dies vernos,* & interim mutat co- 607
lorem. Hæc autem occultatio avium plerumque *eſt inſigne ſimulacrum reſurrectionis mortuorum*, ſicut mutatio coloris eſt ſignum pœnitentiæ. Cum autem valdè pulchrè cantus luſciniarum totum negotium deſcribat *Plinius lib. 10. cap. 29.* ideò libet ipſius verba adſcribere. *Multis nominibus* (inquit Plinius) *admiratione digna avis; 1. Tanta vox in tàm parvo corpuſculo, tàm pertinax ſpiritus, deinde in una perfecta Muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus, & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtingvitur conciſo, copulatur intorto, promittitur revocato, infuſcatur ex inopinato, interdum & ſecum ipſa murmurat: Plenus, gravis, acutus, creber, extentus, ubi viſum eſt vibrans, ſummus, medius, imus: breviter omnia tàm parvulis in faucibus, quæ tot exquiſitis tibiarum tormentis ars hominum excogitavit. Ac ne quis dubitet, artis eſſe, plures ſingulis ſunt cantus, & non idem omnibus, ſed ſuus cuique. Certant inter ſe palamque animoſa conten-*

tio eſt. Victa morte ſæpè finit vitam, ſpiritu prius deficiente quàm cantu. Meditantur alia juniores, verſusque quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipu-
608 *la intentione magnâ, & reddit, vicibusque reticent, Intelligitur emendata correctio, & in docente quædam reprehenſio. Hactenus Plinus.* Quæ omnia pulchrè *conveniunt doctis*, qui pugnant operibus ingeniorum, & qui velit ingenio cedere, nullus erit. Multi etiam ſunt, qui ſtudiis immoriuntur.

1. *Et ſicut* luſciniæ amant libertatem, ſiquidem captæ aut venditæ ſilentio, triſtitiâ & mœrore dominum ulciſcuntur: *ita & docti.*

2. *Et ſicut pulli* non ſuaviter canunt, ſi mater longè abſit: *ita* αὐτοδίδακτοι, qui nullos poſſunt nominare præceptores, inepti ſunt, non intelligunt vera fundamenta, & plerumque ſunt infelices.

3. *Et ſicut* non optimè diſcunt canere, quæ cum pigrioribus verſantur matribus: *ita* opera danda eſt, ut habeas bonos præceptores.

Et 4. ſicut Luſcinia, quoad externam formam, eſt contempta avis: *ita* doctis & literatis nihil eſt execrabilius. *Et ſicut* varios ſonos edit luſcinia: *ita quoque* docti varia de variis rebus ſcribunt. Si nimis pingveſcunt ex lautiore cibo, etiam amittunt vocis & ſuavitatis donum: *ita* pingves ventres non ſtudent libenter, nec opera conſarcinant laude digna.

5. *Sicut* alauda, *ita* luſcinia nunquam cibum ca-
609 pit, niſi prius cecinerit. Pudeat ergò homines non ſemper à publicis & claris precibus exordiri menſam.

Nazianzenus Academiam Athenienſem nominat Atticam Luſciniam: ſimili modo omnes Academiæ poſſunt

poſſunt dici Luſciniæ à ſtrenuo cantu & propter doctrinam, quâ imbuuntur teneri auditores. *Euripides in Palamede* Ulyſſem vocat Luſciniam Muſarum, quia Ulyſſes fuit præſtans Philoſophus, & dicitur ipſe ſcripſiſſe Iliada, cujus tamen loco hodiè legatur nomen Homeri. Sic quilibet Philoſophus & Theologus juventuti utilia proponens nominari luſcinia poteſt.

Non ſatis igitur laudare poſſum luſciniam: in ejus autẽ honorem illud poſt hiſtorias hactenus recitatas, additur, quod etiam incubans ovis mater ſuaviſſimè cantillare perhibetur, & hoc modo infantibus ipſius ingeneratus affectus & ardor erga muſicam & prænotio variorum ſonorum. Quàm autem nimis dociles pulli ſint, quam non ex matribus tantùm diſcant & æmulentur, ſed etiam quantum ex hominibus audita retinere, & reddere ſoleant, non meo, ſed alio apud Conradum Gesnerum teſtimonio doceri Lectorem cupio, quod & citat Italus Ulyſſes Aldrovandus de avibus lib. 18. cap. 2. & Neander in Phyſicis, 610
ut alii plurimi.

NARRATIO APUD GESNERUM
his verbis deſcribitur, ſcripta ab alio ad Geſnerum.

Quoniam de avibus perſcripturus es, Geſnere, dicam tibi de luſciniis, ſermones hominum imitantibus admirabile quiddam, ac propemodum incredibile, quod & veriſſimum eſt, & ipſe his meis auribus audivi, atque expertus ſum proximis Comitiis

Digitized by Google

tiis Ratisbonenſibus Anno 1546. Cum iſtic in publico diverſorio ad auream coronam agerem, habebat hoſpes tres luſcinias ſeparatim collocatas, ita ut ſingulæ ſingulis caveis opacis includerentur. Per id verò tempus vernum, quo alioqui continuò ac indefeſsè cantare ſolent, adversâ valetudine ex calculo ita laborabam, ut quam minimum mihi ſomno indulgere liceret. Tum circa & poſt quidem mediam noctem, cum nihil usque turbarum eſt, miras altercationes & æmulationes duarum Luſciniarum Germanico ſermone inter ſe colloquentium audiviſſes planè hominum ſermones imitantium, me ob admirationem propemodum obſtupeſcente. Promere enim
611 ac conferre inter ſeſe nocte, ſilentio hominum facto, quicquid interdiu ab hoſpitibus colloquentibus inaudierant & meditatæ fuerant. Duæ enim inter eas erant artis ejus inſignes atque præcipuæ, vix decem pedum ſpatio disjunctæ, tertia longè remotior aberat, quam non ita lecto decumbens exaudire poteram. Sed duæ illæ mirum dictu, quam invicem altera alteram laceſſendo invitabat, nec voces tamen confundebant ſimul, ſed potiùs alternatim reddebant. Præter autem quotidiana & recenter à convivis relata, duas potiſſimum hiſtorias mutuò inter ſeſe prolixè & à mediâ nocte in auroram usque, donec multus hominum ſtrepitus fieret, decantabat, & eâ quidem modulatione ſuâ nativâ & vario inflexu vocis, ut niſi intentus nemo hominum facilè ab illis beſtiolis exſpectaſſet vel animadvertiſſet. Et quærenti mihi ex hoſpite, num lingvæ earum fortaſſe novaculâ ſolutæ eſſent, aut aliquid loqui edoctæ? mihi reſpondebat, minimè: num idem animadvertiſſet aut intelligeret,

geret, quæ noctu occinerent? ſimiliter negabat. Idem dicebat familia tota. Ego verò, qui totas noctes ſepè dormire non poteram, auſcultabam beſtiolas avidius ac diligentius, induſtriam, curam & certamen profectò admiratus.

Altera hiſtoria ſeu collocutio erat de pincernâ ſeu 612
οἰκέτῃ ejusque uxore, quæ poſtulantem maritum profecturum in bellum ſequi noluerat. Conabatur enim maritus uxori, quantum ex aviculis animadvertebam, perſuadere ſpe prædæ, ut diverſorio eo, ſervitioque relicto ſecum proficiſceretur in bellum: illa verò recuſans ſequi vel Ratisbonæ manſuram vel Norinbergam abituram ſe recipiebat. Fuerat utrinque magna & longa contentio, ſed amotis (quemadmodum intelligebam) arbitris atque hero inſcio, hancque totam reddebant aviculæ. Si quid etiam ſecretius tacendumque magis inter diſceptandum fortè evomuerant, illæ prodebant, ceu neſcientes diſcrimen inter honeſtas & inhoneſtas voces. Et hanc quidem contentionem & altercationem beſtiolæ ſæpè noctu repetebant, ut quàm firmiſſimè, ut conjiciebam, hærebat, ac quàm probè meditatæ fuerant.

Altera erat tunc imminentis belli contra Proteſtantes hiſtoria, & ceu præcinium quoddam, rem omnem, quæ paulò poſt accidit, velut præſagientes & vaticinantes, decantare viſæ ſunt. Tùm & immiſcebant ea, quæ antea contra Ducem Brunſuicenſem geſta erant. Sed ut ego puto, aviculas illa hauſiſſe omnia ex nobilium ſeu capitaneorum quorundam pri- 613
vato & clandeſtino colloquio, quod id loci, ubi avi-

culæ

culæ detinebantur, tanquam in publico diverſorio frequens eſſe potuit. Hæcque nocte, ut dixi, & præſertim poſt mediam, cum profundius eſſet ſilentium, faciebant, interdiu verò magna ex parte ſilebant, & nil apud ſe', quàm illa, quæ fortè vel in menſa conviv væ vel deambulando conferebant, meditari videbantur. Ego profectò nunquam Plinio noſtro crediddiſſem, multa adeò miranda de aviculis iſtis ſcribenti, niſi ipſe has beſtiolas talia promentes & oculis vidiſſem, & auribus hiſce audiviſſem. Neque ſatis ex tempore tamen, mi Geſnere, tam ita ad te omnia perſcribere poſſum, & ſingula comminiſci longum eſſet. Hactenus narratio, quam Geſnerus lib. 3. hiſtor. avium ſuo operi inſeruit. Quanquam autem ex his relationibus naturam luſciniarum divinitùs non niſi jucundiſſimam factam agnoſcimus, tamen ſimul inde juventus diſcat veritatem iſtius vulgati verſiculi:

Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

Si quis cunctos adoleſcentiæ teneræ vegetos annos
614 ante omnia & unicè profanarum fabularum & Ethni-
corum figmentorum inculcandis monumentis præbuerit, iſti adultiori facto ſpontè in mediis habendis ad plebem concionibus, eadem ipſa vel invito, ut h.l. luſciniæ, ſeſe offerent, & nequaquam is ipſe in adultiori ætate ſacra & utilia opera & ſcripta eodem tenacitatis firmæ modo parietibus cerebri ſui inſculpet. Quiſquis igitur adultâ ætate Theologum & concionatorem idoneum agere voluerit, is ætate teneriore cerebro ſuò & memoriæ maturimè inſtillet Sacras li-

teras

teras & alia opera Theologica maximè profutura. Nihil deteſtabilius eſt, & nihil magis turpe, quàm quòd multi non niſi poſt annum ætatis viceſimum ad Biblia demum legenda veniunt. Sed de his ſatis.

CAPUT XXVII.

DE HALCEDINE.

CEleberrima & jucundiſſima paſſim eſt mentio apud pios Patres & alios quoque Halcedinis, ſeu quæ eſt Græca vox Alcyonis. Dicitur autem παρὰ τὸ ἐν ἁλὶ κύειν, id eſt parere in mari. *Deſcribitur ea talis avicula, magnitudine paſſeris, colore cæruleo, viridi ſub purpureo mixtis, roſtro longo, tenui & luteo, quæ circa brumam pariat & excludat pullos, vel in ſcopulis, vel in ipſo mari,* præſertim Sicu- 615
lo, quod tunc temporis mirabili quadam providentiâ divinâ eſſe tranquillius perhibetur. Hæc eſt ſumma hiſtoriæ de Halcyone, *quæ à Patribus magno conſenſu ſtatuitur imago Eccleſiæ,* cum ea applicatione, quæ ſequitur ex ipſorum mente.

1. *Sicut enim Halcedo eſt parva avicula*, & contemta tanquam paſſer: *ita quoque Eccleſia* ſpernitur.

2. *Deinde ſicut Halcedo* parit in mari: *ita quoque Eccleſia* ſemper eſt ſubjecta cruci, & tamen in ipſa cruce multos convertit, & Chriſto gignit filios.

3. *Sicut autem mare tunc temporis,* quando inſtat tempus partus, *mirabiliter fit tranquillum: ita quoque Deus Eccleſiæ* ſuæ interdum aliqua concedit halcyonia,

ſeu

ſeu tempora tranquilla, ut poſſit filios iſtos ſuos rectius inſtituere & educare. Quemadmodum in veteri inſtrumento univerſi pii & ſtudioſi Theologiæ paſſim appellantur filii Prophetarum.

Audiamus verò, quomodo *Plutarchus* naturam hujus aviculæ prolixiùs deſcribat in lib. de comparatione animantium, & quomodo Patres & Doctores Eccleſiæ commemorationem *Plutarchi itidem ad Eccleſiam* accommodent.

616 1. *Cum Halcyon ſentit, ſe eſſe prægnantem, ſtatim nidum ſibi procurat, & quidem nidum firmiſſimum, idque circa brumam*, id eſt, initium hyemis. Nullum autem habet organum, quo præparet nidum, niſi ſolum os & roſtrum: *ita Eccleſia* non confidit externis præſidiis, ſed in ſilentio & ſpe preces ſuas ad Deum dirigit, & hoc opere labiorum ſuorum impetrat nidulum, ubi ſacra ſua poſſit exercere.

Deinde 2. *materia, ex qua facit nidum, ſunt ſpinæ piſcis cujusdam, qui appellatur Acus,* quas ſpinas colligit, & collectas mirabili contextu ita diſponit, ut alias in directum, alias in transverſum convertat, non aliter, atque mulierculæ in ſtamine ſubtegmen mirabilibus flexibus & anfractibus ſubſternunt, & ita nidum ſuum non ſimpliciter præparat, ſed ſicut textrix texit.

Præterea 3. *nido illi talem dat figuram,* quæ poſſit in mari apta eſſe contra fluctus. Ex parte igitur facit ſublongum, ſicut eſt Naſſa piſcatoria, ſed etiam leniter in rotundam figuram contexit, inſtar cucurbitæ.

4. *Poſtquam abſolvit nidum, defert in mare, & probat, utrum adhuc ſint rimulæ,* quæ poſſint recipere

pere aquam. Si quas enim deprehendit, ſtatim ſar-
cit, & conſtringit, adeoque firmiter compingit, ut la- 617
pide vel ferro difficillimè poſſit diſcindi. Foramen
autem nidi mirabiliter eſt conſtructum, id quod (ut
vult) vidit ipſe Plutarchus, ita ut non ſit conſpicu-
um, ſed certum quidem ſit, halcedinem intraſſe, ubi
verò & quomodo intraverit, non poſſit cognoſci.
Fertur igitur in nido per mare, ut nullam imbibat
aquam nidus. *Hæc poteſt imago eſſe mirabilis con-*
ſervationis Eccleſiæ in hoc mundo, etiam inter medi-
os hoſtes. *Sicut* enim hæc avicula mirabiliter con-
ſtruit ſibi nidum, qui nec ferro poteſt diſcindi: *ita*
in Veteri Teſtamento Eccleſia erat parvus cœtus, quia
Judæa eſt admodum anguſta regio, quæ circiter in
longitudine habuit 40. milliaria Germanica, & cir-
citer in latitudine 20. Et tamen omnipotens Deus
ipſi mirabiliter ſemper adfuit contra innumeros ho-
ſtes, & potentiſſimos Reges, qui circumcircà obſide-
bant Judæam: *ita Eccleſia Novi Teſtamenti* ſingulis
ſeculis aliqua conceſſit hoſpitia ſub piis quibusdam
Principibus. *Et ſicut nidulus Halcyonis*, in quo ex-
cludit, & educat ſuos pullos, in mari circumfertur:
ita Eccleſia non eſt alligata certo loco, ſed ſubinde
migrat, & mutat hoſpitia, & tamen in ipſis peregri-
nationibus multos gignit filios ſpirituales. *Et licet*
cogatur migrare de loco in locum; tamen ſicut cum 618
parit Halcyon, mare per ſeptem dies eſt tranquil-
lum, & deinde cum excludit pullos, adhuc per alios
ſeptem dies mare miteſcit: *ita Deus interdum mira-*
biliter excitat benignos animos Principum & alios
Patronos, de quibus omnes deſperaverant. Cum
enim flat Spiritus Domini, tunc commoventur corda

Principum, utpote quæ ſunt in manu Domini. Et huc pertinent ſimilitudines, quod Regna & Principatus in Pſalmis nominantur clypei. *Sicut enim clypeo defenditur corpus: ita Deus* vult Principes tueri cœtus piorum. Dicuntur etiam laternæ, quarum unus uſus eſt defendere candelam noctu contra ventos & pluvias: ita Principes lucem verbi Dei debent protegere contra ineptos & impios flatus hæreticorum. Dicuntur etiam Principes Dii & nutricii Eccleſiæ, quod loco Dei in his terris ipſius curam agere debeant.

5. *Pulchrum illud eſt, quod inter marem & fœminam tantus eſſe perhibetur ardor,* ut neuter alterum unquam deſerat, ſed potius fœmina toto anno vicinum habeat, obſervet marem, non quidem laſciviæ cauſa, ſed ſicut pia materfamilias omni charitate & benevolentia proſequitur ſuum maritum. Itaque
619 cum ſenuit, à fœminâ portari fertur ad dulces aquas (quia marinas aquas ſalſas nec homines, nec bruta poſſunt bibere) eumque reportat, & ſuaviter reponit in nidum, fovet, nunquam relinquit, ſed curat, & conſervatur cum eo usque ad finem vitæ. *Hæc eſſe poteſt imago Eccleſiæ, quæ diligere debet ſuos Doctores illo amore,* qui eſt ſuper amorem mulierum, ſicut de Jonatha loquebatur David *2 Sam. 1. v. 26. Pios igitur & benè meritos Paſtores nec in ipſa ſenecta debet deſerere,* ſed pro meritis conferre ipſis ἀντιθρεπτήρια, pendere adhuc ab ore ipſorum, & cum ipſis usque ad finem pacificè & tranquillè vivere. Cum igitur ſeptem dies ante brumam & ſeptem dies poſt brumam mare perhibeatur tranquillum, ex mirabili pro-

providentia divina, tantùm in gratiam hujus aviculæ, idcircò nullum animal perindè amari ab hominibus in iſtis locis, atque hoc ipſum commemoratur, utpotè cujus tempore & cujus gratiâ ſecuras navigationes poſſint inſtituere: *ita Eccleſia* ſuis precibus efficit apud Deum, ut propter ipſam ſæpè etiam hoſtibus benefaciat, ut hac ratione ſæpè hoſtes ad Deum converti queant. Sed ſatis de illâ ave ex auctorum veterum placitis & hiſtoricis relationibus.

Caput XXVIII. 620

DE NOCTUA ET VESPERTILIONE.

POſt illas aves, quæ interdiu cernuntur, nunc ſeqvuntur illæ, quæ ſicut nomina ſtatim monſtrant, non niſi noctu & veſperè prodeunt, in Moſe prohibitus eſt eſus earum, quia opera tenebrarum & ipſos lucifugas Deus vitari cupit. *Philoſophi ſolent his comparare debitores,* qui non libenter prodeunt in conſpectum hominum, ne à creditoribus exagitentur. Ambroſius in Malachiam *ipſas comparat hæreticis & illis hominibus, qui acumen ingenii conferunt in perveſtigationem rerum obſcurarum, vanarum,* & quæ nullius ſunt utilitatis, quæque veritatem aſſequi nequeunt. *Sicut enim noctuæ* noctu vident: *ita tales homines* in cœleſtibus & divinis, quæque magnam habent utilitatem, nihil vident, nihil etiam ſapiunt. *Poſſunt autem etiam applicari hypocritis,* qui coram Sole ſeu hominibus videri

volunt innocentes, clam verò omnia mala perpetrant, item illis, qui propter facinora in publicum producuntur, & ab omnibus aſpectu arguuntur. *Alii tamen in bonam partem ſapientibus eas conferunt, qui eruditionem ſibi conquirunt nocturnis lucubrationibus*, vigiliis, contemplationibus ſolitariis, qui ſoli

621 vident in tenebris, hoc eſt, inter errores bonum à malo diſcernere poſſunt, qui tùm ſtudent, cùm reliqui otiantur.

Sicut autem avibus noctua: *ita ſtupori* plebi eſt vir eruditus.

Sicut aves omnes noctuam percutiunt: *ita ſæpè doctum* omnes plebei divexant, quod optimè experiuntur ii, qui inter opulentos cives ſunt publici pædagogi.

Sed ſicut Noctua vel ſola poteſt fugare omnes alias aves, vel ei in auxilium veniens amicus accipiter, omnes & cunctas terret & vindicat: *ita ſua eruditione* & præſertim à Collegis optimè adjutus adverſus importunos & imprudentes cives ſeſe facilè tueri poteſt literatus.

Sicut Noctua noctis domina poteſt dici: *ita* (utut rideatur) *tamen penna doctorum hominum* gubernat totum mundum, ſiquidem literis & eruditione nullus mundi ſtatus carere poteſt. In Apologo noctua monet aves, ut nullum patiantur creſcere quercum ab initio, ne viſco inde naſcente perire neceſſum habeant, utque lini ſemen ſatum eruant, utque caveant ſagittas, quæ pennis eſſent alarum velociores.

622 Aves initiò contemnunt & fatuam vocant Noctuam. Poſtea verò ſapientiſſimam eſſe cognoſcunt, & quamprimùm videre poſſunt, catervatim ad eam advo-

advolant, tanquam ad eam, quæ norit omnia. *Sicut* igitur hic accidit avibus: *ita* omnibus quoque contingit literarum oſoribus, qui nonniſi poſt varia tolerata damna, tamen eruditionem omnibus aliis rebus anteponere cogentur.

NOCTUA.

In ſpecie Noctua ſic dicta, tamen quandoque interdiu conſpicitur. Et tunc ad ipſam volant aves, ut mirabilem ſpeciem videant. Unde noctua cum videt magnam adeſſe multitudinem avium pro naturâ ſuâ, quâ ſaltatrix eſt & geſticulatrix, varios & ridiculos motus edit, corpus & cervicem in orbem contorquens, interim viſco vel laqueo, vel reti diſpoſito capiuntur aves. Quando opprimitur ab avibus, tunc auxilium ipſi affert accipiter. Cum Noctuâ cognationem habent Aſiones, Ciconiæ, Striges, Bubones, Ululæ.

Asiones vix duobus diebus apparere perhibentur in autumno, aliqui tamen ſemper latent, nunquam prodeunt. Itaque David Pſalm. 102, 7. inter alia dicit: *ſe ſimilem eſſe factum Aſioni, id eſt, tali Noctuæ, quæ vel nunquam vel rariſſimè apparet*, quia præ multitudine ærumnarum non prodibat in con-
ſpectum hominum. Dicuntur Aſiones compre- 623
hendi ſaltatione, quia quicquid vident, effingunt, *ſuntque imagines tibicinum & mimorum & paraſitorum*.

Ciconiae, Nacht-Raben/ ſeu νυκτικοράκες, id eſt, nocturni corvi, præditi ſunt ungvibus aduncis, & noctu vagantur, clamant, moleſtiam exhibent reliquis avibus, & venantur, Solem non poſſunt ferre,

 nidifi-

nidificant in ſepulchris & ruinoſis locis, frangunt & devorant ova columbarum & monedularum, & pugnant etiam cum ipſis. *Suntque imagines latronum*, furum, veneficarum, helluonum, adulterorum & ſimilium, qui amant noctem, & oderunt lucem. Multa enim fiunt noctu, quæ mens vel ſemihoneſta interdiu facere non auderet.

Striges ſunt etiam ex genere noctuarum, & nomen habent à ſtridendo, ſicut Ululæ flebilem ſonum edunt.

Bubones à ſonu Bu, ſunt illæ noctuæ, quæ plumas in modum aurium in loco aurium diſpoſitas habent, verſanturque in templis & deſertis ædibus, & in cavernis, & cantum habent valdè ingratum, qui etiam putatur eſſe, ſed fruſtra, ominoſus, *& eſt ima-*
624 *go calumniarum*, quæ ferè ſemper inauſpicatum ſpargunt, ſed tamen à cordatis & honeſtis contemni debent. Decet autem Chriſtianos cum reverentiâ admirari Dei ſapientiam, quod ſuæ bonitatis veſtigia non tantùm voluit apparere in omnibus locis, ſed & omni tempore. Nam quædam aves interdiu, quædam noctu comparent. Vide *Philipp. Cam. ſucciſ. c. 67* quomodo Tartari Aſiatici hanc avem felicem judicent, quia ipſorum Regem primum Imper. Changium Camum in fugâ ſub arbuſculis latentem ab hoſtibus protexit. Qvum enim illam avem conſpicerent, non ibi putabant aliquem in latebris eſſe.

Porrò velut aquila præſtat inter prædatrices aves diurnas: ita Bubo dicitur inter rapaces nocturnas excellere. Ut interdiu Aquila: ita noctu Bubo rapit lepores. Solertiâ tantâ venatur, ut una nocte

cogat amplam prædam, vigilantior ipſo gallo, unde
poterat optimis militibus aptè comparari. Nam &
Aquilam aut non metuit, aut non multùm curat, nec
ei cedit, canem egregiè tractare & unguibus ſcalpe-
re novit, ut ad pugnam non audeat redire. Sic boni
milites opportunè & importunè inſtare debent in ſuo
genere, adverſus omnes hoſtes. Cum videt ſe un-
dique cinctum, nec evadere poteſt, in dorſum recli- 625
natur, & ungves ac roſtrum ſic adverſum erigit, ut
hoſtis nullus accedere auſit. Sicut autem Bubone:
ita & Noctuâ utuntur homines ad venatum, ſeu ad
capiendas alias aves, præterquam quod conſtat pau-
periores iisdem veſci, & habere eas candidam ſatis
carnem.

VESPERTILIO.

Nocte volat ſeróque tenet de veſpere nomen, inquit Ovidius. Et hæc eſt illa avis, de quâ recitat illud ſuum Plato de Rep. *Vir non vir, videns, non videns, percuſſit, non percuſſit, lapide, non lapide, avem, non avem, ſuper arbore, non arbore*, id eſt, *Eunuchus Luſciosus talictro excuſſit pumicem in Veſpertilionem ſuper ſambuco*. Hactenus Plato.

Diſputant de Veſpertilione, utrum ſit avis, an verò mus? *Avis* videtur dicenda, quia volat. *Mus* videtur eſſe: 1. *Quia* quatuor pedibus conſtat. 2. *Quia* habet mammas & lac, & nutrit pullos. 3. *Quia* habet dentes. 4. *Quia* habet pilum, non verò pennas. 5. *Quia* gignit animal, non parit ova. *Vincit tamen illorum ſententia, qui referunt inter aves, tùm* quia volare proprium eſſe dicitur avium, *tùm* quia binos tantùm pedes habet, eosque in poſte-

riore parte corporis, & delabitur in terram, pedibus
626 ſeſe ſalvare nequit, ſicut nec hirundo pedibus ſidere poteſt. Et hæc ſola avis parit fœtus vivos, habet ubera & alit lacte, & ita ſeſe habet ad minores reliquas aves, ſicut Struthio ad majores.

Eſt imago neutralium ſeu dubiæ religionis hominum illorum, qui ſunt in utramque partem parati & hypocritarum, qui omnes in vita induunt colores. *Sicut enim* aves, *ita* veſpertilio volat, & quidem beneficio non pennarum, ſed quia alas habet non membranoſas. Qua tamen in parte Deus voluit oſtendere potentiæ ſuæ magnitudinem, quod poſſit volatnm procreare ſine pennis. *Ad mures aliquantum videtur accedere*, quod ad naturam ſubſtantiæ, & vocem, ſiquidem aliquando ſimilem edit ingratum ſtridorem & ſtrepitum, qualem alioquin percipimus ex forium ſeu januarum cardinibus, & ex curruum rotis malè junctis. Alii comparant eam avaris circa terram ſemper timidè verſantibus, quanquam & ferociores in faciem hominum involare & ſangvinem humanum appetere dicuntur, ſicut uſurarii etiam ſunt immiſericordes.

Poſtea *& Diabolorum eſt imago*, qui infiniti cohærent & in tenebris circumvolitant. Deliteſcere ſolet
627 in caminis fornacum hæc avis, item ibi, ubi carnes ſuillæ ſuſpenduntur, quas libenter arrodit, unde aliqui vocant Speckmauß/ & abſcondit ſeſe in rimulis parietum, lingitque pulverem, & exugit oleum ex lampadibus, & inſtar catervæ cohærent plurimi, ut in quibusdam locis deſertis vel currum ſtercore replere quotannis perhibeantur. Suos pullos valdè amat, amplectitur, & ſecum portat. Motum habet admo-

admodum præcipitem, ſicut hirundines. Admiratione verò rurſus dignum eſt, quod *ſicut* hirundo divinitùs eſt facta, ut aërem purget diurnis muſcis: *ita* veſpertilio juſſu divino noctu ſuccedit in locum & officium hirundinis, atque venatur & interficit culices. In hyeme latet ſicut aliæ aves. Moritur autem ex fumo incenſæ hederæ. Cognationem quandam habet cum talpâ, quæ etiam fugit lucem, & ſemper manet ſub terrâ. Omnes autem nocturnæ aves in Scriptura numerantur inter impuras aves, quarum eſus eſt prohibitus, ut ſignificaretur, vitanda eſſe nocturna furta, homicidia, adulteria, &c. Item non debere pios abhorrere à luce verbi, aut ſicut veſpertiliones in utrumque eſſe paratos.

Porrò de omnibus nocturnis avibus uſurpari poteſt illud *Tertulliani in libro de Anima*: *Solem noctuæ* 628
neſciunt, oculis aquilæ ita ſuſtinent, ut natorum ſuorum generoſitatem de pupillarum audaciâ judicent, alioquin non educant ut degenerem, quem Solis radius everterit. Eſt ideò alteri quid inviſibile, alteri non, quod ideò incorporale ſit, quia non ex æquo vis volat. Sol enim corpus ſiquidem ignis, ſed, quod aquila confiteatur, neget noctua, non tamen præjudicans aquilæ. Hæc ille. Unde nos quàm diligentiſſimè colligere decet hæc. Si contemptiſſima inter rerum naturas volatilia noctu cernere queunt, quantò magis infinitæ potentiæ ſpiritus divinus etiam in ipſis tenebris in abditiſſimos angulos intra terram, nedum maris, nedum cordium humanorum; nedum hypocauſtorum & conclavium perſpiceret quàm clariſſimè.

Poſtea huc accerſatur illud ex fine libri tertii Dialecticæ Philippi Melanchthonis, *ex Xenophonte ab ipſo citatum*: Exiſtimandum eſt non humanos oculos res longinquas videre poſſe, (*N B. imprimis nunc per inventa perſpicilla nova ſeu per novas catoptras omni commendatione digniſſimas & ante hoc triennium ab anno 1612. retrorſum numerando inventas, ſeu potius ex Orientalibus terris, ad noſtros uſus addu-*
629 *ctas & accommodatas*) Dei verò oculos non poſſe procul proſpicere. *Hactenus verba Xenophontis*, qui hoc ſibi vult, ſi homo poteſt latiſſimè proſpicere, cur non multò potiùs proſpiceret Deus. Nos enim reverâ nullum articulum inter omnes minus intelligimus, quàm articulum de Dei eſſentialibus proprietatibus, cum tamen multi putent, ſe illam doctrinam nimis benè tum extra, tùm intra didiciſſe & callere. Quomodo autem Deus cuncta præſens intueatur, ipſe tamen eisdem ſecundùm molem non commenſuratus, aut coëxtenſus nullâ ratione vel angelicâ nedum humanâ aſſequi licebit. Eſt enim myſterium myſteriorum. Utinam vel ex hiſce melius aliquid balbutire & credere jam tandem inciperent multi, qui carni Chriſti omniſcientiam divinam attributam eſſe & collatam negant. Utique plus naturis brutis à Deo datum eſſe convincentur concedere illi, quam ipſi carni Chriſti collatum credere perſuadebuntur. Sed vel jam tandem tempus Sapienti.

GRYPHES.

CONCLUSIONIS loco notetur, ſæpè occurrere mentionem avis, quam vocant Gryphem, *cujus tantam dicunt*

dicunt eſſe magnitudinem & fortitudinem, ut armatum virum vel in mediam aërem poſſet efferre. Di-630
cunt autem eſſe *quadrupedem avem inſtar Leonis, robuſtiſſimis unguibus, ita ut poſticis partibus ſit nigra, anticis rubra, alis albis, capite & ore aquilino, oculis igneis.* Dicunt etiam ipſum facere nidum in montibus, & quidem ex auro, & eſſe etiam auri cuſtodem. Item ajunt, ipſum concertare cum omnibus animalibus, & vincere omnia, excepto Leone & Elephanto. Quoties videt accedentem hominem, timere dicitur ſuis pullis.

Sed ipſa narratio ſeipſam prodit, & hoc figmentum convincit, quæ augetur, dum addunt verſari Gryphem in deſertiſſimis locis, ubi plurimum eſt auri, atque bis mille viros ſimul exire noctu, cum dormit avis, & ita in tenebris auferre aurum. Si enim vigilat, dicuntur omnes interimi. Item tertio aut quarto anno vix redire ajunt illos bis mille viros. *Sed hæc ſaltem recitare, eſt confutare hoc figmentum* de Gryphibus, quales non ſunt in naturâ rerum. Et quis primus excogitaverit ſeu ſomniaverit ſeu finxerit hanc avem, ignoramus; hoc unum cum dolore experimur, quod ſubinde poſteriores auctores citra omne judicium adhibitum ex prioribus libros ſuos concinnare ſoleant, ſicut hodiè fermè Plerique non tàm Scribunt accuratè, quàm ex 631
aliis Describunt ſuos libros, non propter ſerium ſtudium gloriæ Dei, quam ut audire ipſi poſſint auctores multorum commentariorum. Hinc etiam fit, quod in omni facultatum omnium genere, pauciſſimos liceat reperire, quibus tutò fidere poſſis, quique de rebus, quas deſcribunt, ſolidam tibi exhibeant veri-

veritatem. Sine dubio omnium primi Gryphum auctores intellexerunt, aquilæ quoddam maximum genus: reliqui fabulis illud & ſomniis contaminarunt, quibus pingendis ſomnolenta turba ſequentium auctorum ſuum μέρος ἐπιβάλλον addidit. Sed & in Bibliorum verſione malè irrepſit Gryphas, unde *Origenes l. 4. de principiis ita ſcribit: Gryphem, quem nullus unquam meminit vel audivit, humanis animis ſuccumbere, manducari prohibet Moſes in Levitico.* Hucusque verba Origenis. Benè autem faciunt, qui in diſſertationibus Biblicis ad fontes Hebræos & Græcos recurrunt.

Cæterùm ut obiter annotemus, tanta difficultas occurrit in vertendis Hebræis vocabulis animalium in lingvas alias, ut nihil ſupra. Nec dubitet, Lector in verſionibus ſæpè commemorari animal ali-
632 quod, quod tamen in ipſis fontibus reverà aut non, aut vix extat. Hoc idem eſt judicium D. Lutheri in Epiſt. Anno 1523. ſcripta ad Georgium Spalatinum, cum de ipſis nominibus animalium ſic inquit: *Apud Hebræos & Latinos & Græcos ſunt hæc nomina confuſiſſima, ſicut ex generibus & ſpeciebus animalium nos oporteat divinare, &c.* Hactenus verba Lutheri. Cauſa iſtius obſcuritatis non eſt alia, niſi hæc, quod nos Chriſtiani caremus ſubſidio variorum Hebræorum antiquorum librorum, in quibus animalia ſecundum nomenclationes & proprietates ſuas prolixè & exactè delineantur, & ex quibus omnem diverſitatem addiſcere debebamus & poteramus. Omnes aliæ lingvæ & facultates hodiè feliciores ſunt lingvâ & facultate Hebræâ. Ad illas enim excolendas

lendas ex peregrinis & exteris locis variæ conquiruntur & renovantur antiquitates. Hebræis Muſis exornandis deſunt neceſſarii ſumptus, fautores, patroni, ubique locorum. Imò ſicut ad ipſos Judæos ritè convertendos hodiè fermè nemo vel cogitationem unam impendit: ita quoque eorum libros antiquos ipſo Dæmone magis fugiendos plerique, qui eſſe aliquid volunt, ſtultiſſimè arbitrantur, qui eò dementiæ ruunt, ut nec ex converſis Judæis antiquitatum Judaicarum notitiam petendam 633
eſſe concedere ſatagant. Sed ad rem.

Si quis de Gryphe citare vellet veteres commentarios, facere illud quidem poterit, ſed cum conditione tamen hac, ne aliis inculcet fabuloſam pro vera ave, ideoque ſemper adjiciat cautelam, ita Veteres dicunt: Ita Antiqui ſcribunt, &c. Gryphes auri cuſtodes auro delectari, nec furibus ad aurum aditum concedere, Antiqui referunt: *ita quoque avari* omnia recondunt, ut ſolummodò oculos ſuos paſcant.

Gryphi accenſendæ ſunt aliæ fabuloſæ aves (meretricum tamen imagines juxta Poëtarum intentionem) *Syrenes, Stymphalides*, & cumprimis Harpyiæ:

Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus & pallida ſemper
Ora fame.

ut habet *Virgilius in 3. Æneid.*

Si quæ tamen talium formarum olim apparuerunt aut apparerent hodiè volucres quæ ſcilicet ſimiles eſſent deſcriptionibus, quæ apud Poëtas continentur, aut monſtroſas parvæ durationis creaturas,

aut

aut Phantaſmata à Diabolis ad illudendum homini-
634 bus parata, rectiſſimè dixeris. Sunt enim nonnulli, qui in peregrinationibus novarum Inſularum ſibi tales & alias figuras occurriſſe, citra dolum aſſerunt & confirmant. Et notum eſt, quod ab aliis etiam viſi ſcribuntur homines ſine pedibus, aut pede uno, homines ſine ore, &c. Si quid ergò talium rerum occurrit, certum eſt, quod aut monſtra, aut phantaſmata Diabolica fuerint. Sed hæc quoque de naturâ & proprietatibus avium dicta ſufficiant.

PARS TERTIA.
DE PISCIBUS.
Caput I.
DE PISCIBUS IN GENERE.

POſtquam in primo & ſecundo tractatu hiſtoriæ de animalibus, dictum eſt tùm de Quadrupedibus, tùm de Avibus: Nunc ordo poſtulat, ut dicamus de Piscibus, qui ſunt animalia aquatilia, ſeu ſemper vivunt in aquis. De his igitur in hoc capite in genere diſſeretur.

Et initio quidem 1. *notandum eſt, magnam eſſe*
635 *cognationem inter Aves & Piſces,* (1.) quia *utrumque genus factum eſt ex aquis,* ſicut dicitur in *1. cap. Geneſ.*

Geneſ. v. 20. (2.) quia licet forma externa piſcium & avium videtur diverſa eſſe, *tamen in multis conveniunt per analogiam quandam.* In avibus ſunt pennæ & alæ, & oſſa & caro, ſed in piſcibus ſunt pennæ, ſquamæ, branchiæ, ſpinæ. Id quod in volucribus ſunt pennæ, in piſcibus ſunt ſquamæ. Et quod in avibus ſunt alæ, hoc in piſcibus faciunt pinnæ, quibus ſeſe incitant & movent, vel in aliis chœlæ, &c. Per branchias hauriunt aquam, & cum aquâ ſpiritum, quem affundunt cordi. Magni tamen piſces in mari nullas habent branchias, ſed totum illud intervallum inter caput & reliqvum corpus eſt continuum. Id verò quod in avibus præſtant oſſa, in piſcibus præſertim noſtris faciunt ſpinæ, quia fulciunt carnem. In magnis tamen piſcibus marinis non ſunt ſpinæ, ſed ſolidiſſima oſſa, eaque maxima, quemadmodum cum admiratione talia conſpiciuntur in hac urbe in templo Arcis.

2. *Eſt quædam ſimilitudo inter piſces & vermes: Sicut enim vermes,* item ſerpentes progrediuntur contractione corporis & extenſione illius: *ita quoque piſces* nituntur quidem aquâ, ſed tamen contractione corporum colligunt ſeſe in minorem longitudinem, & poſtea extendunt corpus iterum, hocq; 636
ſuo motu repellunt aquam in partem anteriorem, & hac ipsâ ratione ſeſe propellunt. Videtur igitur natatio eſſe quædam reptatio, quia pedibus non utuntur piſces, niſi pauciſſimi, & tamen eodem modo, qui jam eſt expoſitus, promoventur. Cætera membra in piſcibus magnâ ex parte congruunt cum reliquis animalibus, præſertim in magnis, ut in marinis, qui non pariunt ova, ſed habent, ſicut animalia terreſtria,

ſtria, partes generationis, teſtes, uterum, membrum virile, item habent pulmones. Externis tamen partibus mutilantur, & carent naribus atque ſimilibus, unde ab aliquibus annumerantur terreſtribus animalibus, ſed tamen quia ſemper manent in aquis, commodius appellantur piſces.

3. *Non indignum conſideratione illud quoque eſt, quod quæritur, num ſint plura genera terreſtrium, quàm aquatilium.* In primo & ſecundo tractatu enumerata ſunt multa genera quadrupedum & avium, ſed longè plures ſunt ſpecies piſcium, ita ut Dei ſolertia & bonitas longè major eluceat ex animalibus aquatilibus, quàm ex terreſtribus, ſi ſtandum eſt judicio & auctoritate ſcriptorum. Mirabili etiam
637 varietate inſtruxit Omnipotens Deus hoc genus animalium. Nam *alii piſces* ſemper manent in mari, neque unquam egrediuntur, *alii* ut noſtri parvuli *uſitatè ſemper commorantur* in fluminibus dulcibus, neque ingrediuntur in mare, ſed *alii* inter hos ſunt mediæ naturæ, qui modò ex mari egrediuntur & dilabuntur in flumina dulcia, & vice verſa aliqui ex fluminibus dulcibus ingrediuntur in mare. *Sicut* enim aves hyeme ad calidiora loca proficiſcuntur: *ita* hyeme multos piſces ad mare diſcedere confirmant docti. Et mare eſt magna illa piſcina Domini, ubi Deus humano generi apparat ingentem copiam piſcium, quos tandem pro ſuo arbitrio & prout favet, vel non favet hominibus, his & aliis ad littora vel in flumina cogit & transmittit. Et quia carni Chriſti ſpeciatim data eſt omnis poteſtas ſuper mare & piſces maris, *Pſalm. 8. v. 9.* idcircò facto ipſo oſtendit aliquoties Chriſtus, in ſuâ manu & in ſuo libero

bero arbitrio eſſe, vel paucos vel multos, adeoque vel parvos vel magnos hominibus, vel etiam nullos indulgere & procurare piſces, *Matth. 17. & Joh. 21.*

Et primum nota eſt hiſtoria *Lucæ 5. v. 6 7. 8. 9.* ubi Petrus *per integram noctem in vanum piſcatus, juſſu* 638 *Chriſti demittit rete in ipſo claro die, & concludit magnam piſcium multitudinem, adeò ut rete dirumperetur.* Nimirùm nuperrimè in Apoſtolum Chriſtus vocaverat Simonem. Ut autem certiſſimè ſciret Petrus, quod in Apoſtolatu cùm magno fructu eſſet verſaturus, hoc externo Symbolo eundem confirmare voluit: Interim enim dùm Petrus retia ejicit, agitat, colligit, ibi Chriſtus ſua potentia piſces inter aquas cogit, ut ex variis locis ſubitò properent in retia Petri. Hoc miraculo Petrum Chriſtus monebat, quod eodem modo non tantùm cum Petro, ſed etiam cum Apoſtolis reliquis omnibus præſens & efficax eſſe velit, ut intra breve temporis ſpatium ad nomen Chriſti convertere poſſint totum orbem terrarum. Id quod etiam factum fuit. Rectè enim *Chryſoſtomus ſuper Matth. 24. v. 14.* refert, *viginti aut ad ſummum triginta annis poſt reſurrectionem Chriſti ad omnes oras orbis Evangelium tranſcurriſſe. Idem nimirum antea prædixerat Chriſtus verſu jam indicato ex Evangelio Matthæi.* Idem quoque confirmat Apoſtolus Paulus *Coloſſ. 1. v. 25. ſcribens jam ſuo tempore veniſſe & fructificaſſe Evangelium in toto orbe.*

Poterant autem hoc loco *multa collationum capita monſtrari inter piſcaturam piſcatorum, & inter piſcaturam auditorum.* 639 *Suggeſtum* ſeu Cathedram Eccleſiæ *comparat Chriſtus navi,* quæ debet vehere non

Mariam matrem Domini, ſed ipſum Chriſtum, cujus ſolius crux prædicanda eſt. *Petrus non aureis retibus,* ſicut quidam ex Imperatoribus Romanis aurea retia ſibi curabat fieri, *ſed vulgatis retibus piſcari debet,* quia non eloquentiâ ſapientiæ humanæ, ſed humilitate virtutis in ſermone divino latentis capiuntur & convertuntur homines. *Sæpè monſtra,* ſæpè prædones *negotium faceſſunt piſcatori: Sic miniſtro verbi* ſæpè confliċtandum eſt cum Tyrannis immorigeris magnatibus, ſæpè cum hæreticis extrinſecùs advenientibus. Maris aqua ſæpè habet truncos & ſcopulos reconditos, *ſæpè turbatur ventis: Sic Doctori Eccleſiæ* ſæpiùs auditores hypocritæ, ſæpè in publicis peccatis verſantes, maſitioſi & Diabolici moleſtias creant. *Piſces ſunt ſtupidi, muti,* guloſi, venenoſis ſpinis, latent ſub ſaxis, truncis, in gurgitibus: *Sic auditores ſunt à natura* in divinis cœci, ad luxum propenſi, rixis aſſueti, latent aut ſub gurgite impudicitiæ, aut ſub gurgite avaritiæ, aut ſub limo odii, iracundiæ. *Multi capiuntur piſces* injecto cadavere, multi
640 per hamum, multi per retia: *ita opportunè & importunè inſtandum eſt prædicatori,* & oſtendendum, quod Deus aliquibus impiis auditoribus indulgeat felicitatem corporalem, & per hanc eos vocet ad amorem cœleſtium rerum, aliquibus verò crucem, ut cruce eos ad ſe tanquam hamo trahat. *Reperiuntur in mari echeneides,* quæ remorantur navis curſum: *Sic ſæpè quamvis contemti homines, tamen malis exemplis miniſterio poſſunt injicere magna impedimenta,* alios ſeducendo, alios in impietate detinendo. Multi *capti* piſces tamen *in aquas reſiliunt: ita multi* revertuntur ad priſtinam nequitiam auditores. Multi *piſces*

mutant

mutant colorem: ita hypocritarum nullus eſt certus numerus. *Manè* ſeu noctu egreditur piſcator: *ita* in juventute auditores rectè ſunt aſſuefaciendi. Sed ſatis digitum intendi, reliqua quilibet facilè ipſe aſſequetur, excogitabit & adjiciet.

Deinde nota eſt hiſtoria *Matth. 17. v. 27.* quando *Chriſtus debebat ſolvere drachmam, nec tamen pecuniam habebat. Illicò igitur emittit Petrum ad mare, ut mittat hamum in mare. Dum hoc facit Petrus, interim Chriſtus ſua divina potentia, undecunque acceptum, ſive etiam olim in mare prolapſum, & ab aliis amiſſum ſtaterem, ut etiam piſcem ſtateri os admo-* 641
ventem adducit, & in Petri hamum perducit. Denique nota eſt hiſtoria *Joh. 21. v. 6.* ubi Petrus *& ſocii itidem noctu nihil capiunt piſcium. Tandem juſſu Chriſti rete in dextram partem conjiciunt.* Dum hoc faciunt, interim iterum Chriſtus duo fecit omnibus probè notanda. *Primò* enim ex variis locis ſub maris unda ſuo divinæ potentiæ robore cogit tantummodò magnos piſces & numero quidem 153. intra retia Petri. *Deindè* ſub actu piſcationis in littore Chriſtus præparat prunas, procurat panem, & prunis imponit ſua virtute ex mari productum piſcem, ut ſtatim poſt finitum piſcationis laborem vires ſuas recreari miſeri poſſent. Quemadmodum igitur in his tribus exemplis Chriſtus ſingulariter piſcium natationem ideò moderatus fuit, ut venirent illi in uſum ſuorum diſcipulorum: ita nemo dubitet, ipſum hodiè quoque ex mari quandoque plures, quandoque pauciores nobis tranſmittere per flumina noſtra piſces, imò quandoque claudere mare, ne vel unus exire ad nos queat, imò quod plus eſt,

quandoque ex noſtris fluminibus ad mare vel in alia loca gurgitum in acceſſorum revocat noſtros piſces. Sed ad rem.

642 Illud etiam providentiæ Dei ſignum eſt, *quod certis temporibus certa ſpecies piſcium ingrediuntur vel egrediuntur mare*, & quod adhuc magis mirum eſt, fermè ſingulis menſibus novæ capiuntur ſpecies, præſertim in locis maritimis. Et hoc eſt, quod dicunt, in locis maritimis mare ſingulis menſibus novam proferre ſpeciem piſcium, non quod ex promiſcuo coitu naſcerentur promiſcuæ quædam ſpecies, ſicut de Africa dicitur, illam ſemper aliquid novi apportare, hoc multò rectius de mari dicitur, & ſimul conſideranda eſt bonitas Dei, quæ fecit, ut ad noſtrum uſum ex vaſtiſſimo mari ad littora appropinquent piſces, & ſic capiantur. Sicut igitur ſunt intervalla dierum & noctium, viciſſitudinesque hyemis & æſtatis, ſicut item non omne terreſtre genus animalis uno tempore anni parit, ſed modò anſeres, modò gallinæ, modò aliæ aves, modò aliæ ſpecies quadrupedum poſt aliam, ſicut itidem in rebus ex terra naſcentibus conſpicimus priùs ceraſa quàm pira, & poma maturescere prius frumento, poſtea rapas, uvas, &c. nec unus menſis, imò fermè nec una ſeptimana totius æſtatis & hyemis caret novo & ſingulari dono Dei: ita quoque Deus eandem ſuam magnam bonitatem

643 & quotidianam curam pro nobis in mari & in fluminibus conſpici & prædicari voluit. Pii ſtudioſi, imò quivis Deum amantes homines, hanc immenſam Dei bonitatem in plantis quoque obſervabunt & latè explicabunt, quia nobis hic non eſt aliud propoſitum, niſi digitum intendere ad res maximas, ad miracula magna

magna Dei Domini Zebaoth. *In Januario* igitur Elleborum nigrum provenire & florere dicunt. *In Februario* Tuſſilaginem, Chamæleam. *In Martio* herbam Trinitatis, Hyacinthum, Violam, &c. *In Aprili* Allium Urſinum, Prunellam, &c. *In Majo* Quinquefolium, Caryophillatam, Acetoſam, Aquilegiam, Eryngium, Fumariam, Plantaginem, Iridem, &c. *In Junio* Altheàm, Malvam, Endiviam, Fœniculum, Chamomillam, &c. *In Julio*, Helenium, Ariſtolochiam, Fœnum Græcum, Cucurbitam, Millefolium, Origanum, Verbenam, &c. *In Auguſto* Ericam, Abrotonum, Serpillum, &c. *In Septembri* Hederam, Crobum, &c. Hæc ſunt ſigna magna ſingulariſſimæ providentiæ divinæ, de quibus Studioſi Theologiæ ſingulares & multas orationes componere, Miniſtri verò verbi multas conciones conſcribere, & in laudem Dei vel quotannis ad populum
recitare debeant. Et hoc ipſum videtur Deus ipſe 644
nobis indicaſſe *Pſalm. 65. v. 1.* ubi Deum in Spiritu Sancto David laudat his verbis: *Coronas annum bono tuo, & ſemitæ tuæ ſtillant pingvetudinem.* Quemadmodum enim virgo contexit coronam ex variis floribus, ſcil. ex purpureis, rubris, albis, viridibus floribus: ita Deus *ANNO* tanquam *PERSONÆ* imponit coronam ex variis bonis ſuis, dum unicuique quadranti anni, menſi, ſeptimanæ, ſingularia quædam munera deſtinat in montibus, agris, hortis, ſtagnis, in fluviis, in ſtabulis, &c. De quibus, ut latiſſimè inter ſe conferant Studioſi & Paſtores, & de iis populum ſæpiùs edoceant, diligenter hortor. Sed iterum ad rem.

Deinde etſi in mari ſunt multi parvi piſciculi, ta-

tamen in eodem, quantæ reperiuntur Balænæ & quàm vaſtiſſimæ magnitudinis, ex hiſtoriis notum eſt.

Etenim inter quadrupeda animalia cum admiratione ſummâ ſpectamus Elephantum imprimis, cujus corpus tàm eſt vaſtum, ut ſuper illo extrui poſſint ligneæ turres, & in illis recondi aliquot armati milites, item ut uno hauſta aliquot modios aquæ ebibat. Sed hoc etiam vaſtiſſimum animal tamen nihil eſt, ſi
645 conferatur ad aliquam magnam Balænam, cum ſæpè una talis Balæna vel quinquies ſuperet Elephantum, id quod melius cognoſcetur in capitibus ſequentibus, & imprimis in illo exemplo, de quo ſcripta fuit Epiſtola ad Polydorum Vergilium anno Chriſti 1532. ubi Balæna capta fuit, cujus rictus oris continebat ulnas ſex cum dimidia. Jam ſi conferatur ſolummodò ille cetus, qui excepit Jonam, rurſus apparebit, longè mirabiliora eſſe animalia aquatilia, quàm ſunt terreſtria. Neque enim Elephantus quantumvis maximus, hominem tamen ſine omni violatione deglubere poſſit. De Crocodilo dictum eſt tractatu primo, quod is etiam maximâ ſit præditus vaſtitate, ita, ut vaccam aliquam apertis faucibus poſſit deglubere. Sed neque hæc ipſa vaſtitas ſenſibilem aliquam habet ſimilitudinem cum Balænis. Undè rectè ſentiunt Theologi, quod ſub aquis plura & mirabiliora extent veſtigia potentiæ, ſapientiæ & bonitatis Dei, quàm inter animalia terreſtria & aërea.

III. *De natura piſcium non per ſe, ſed ex collatione reſpectu reliquorum animalium* hoc etiam obſervandum eſt, quod hoc genus valdè quidem ſit fœ-
646 cundum, ſed valdè etiam guloſum & vorax, atque impri-

imprimis frigidum. Unde homini non tàm conducit cibus piſcium, quàm avium, licet ſint factæ utræque ſpecies ex eodem elemento, ſicut ſalubriores ſunt ſylveſtres aves, quàm aves aquaticæ, quâ de re in explicatione doctrinæ Phyſicæ actum eſt à nobis prolixè. Cauſa verò eſt, quod piſces vivunt in craſſiore elemento, in quo non ita efficax eſt radius Solis, unde ipſorum caro non ita attenuatur & purgatur, ſicut caro avium, & manent in ipſis ſpinis præſertim abſtruſæ quædam & noxiæ qualitates. Et hoc eſt, quod Medici dicunt, ſpinas quorundam piſcium eſſe venenoſas, & experientia teſtatum facit, peſſimè cedere læſionem digitorum, ſi quandoque vel tenuis aliqua ſpina fuerit contrectata, vel ſi illa vulneraverit corpus.

Movet quidam apud Theologos quæſtionem ſimilem, & contrarium docet, quod ſcilicet animalia terreſtria magis ſint venenoſa & noxia, quàm animalia aquatilia.

Probationis loco adducit illud, quod Deus propter lapſum non maledixerit aquæ, ſed terræ, ſiquidem etiam Adamus comederat non fructum aquæ, ſed terræ, neque poſt devoratum pomum biberat aliquid. Præterea adducitur illud in Geneſi, *quod*
tempore diluvii univerſalis tantùm perierunt illa ani- 647
malia, quæ degebant in ſicco, Gen. 7. v. 22. Item adducitur illud, quod Chriſtus poſt reſurrectionem non manducaverit de terreſtri animali, ſed de piſce, & quod Deut. 28. *adhuc hodiè maledicitur terræ, non verò aquis.* Verùm mentione terræ in maledictione divinâ certum eſt ſubintelligi etiam reliqua elementa, & quæ continentur in ipſis.

IV. Præcedenti admonitioni cognata eſt & hæc, de quâ Plutarchus in opuſculis Ethicis, peculiarem inſtituit tractationem, cujus titulus eſt, *de comparatione animalium natantium & reliquorum.* Summa illius eſt: *quod omnia animalia natalia ſunt ſtupidiora reliquis animalibus.* Cauſa eſt in promptu, quia natatilia verſantur in Elemento frigido & humido, cum ad ingenium & calliditatem requiratur calliditas & ſiccitas.

In præcedentibus duobus tractatibus mira fuerunt commemorata de aſtutiâ vulpium, de religione, clementiâ & docilitate Elephantorum, de fortitudine Leonis, &c. Item de amore ſummo gallinarum erga pullos, de loquacitate corvorum, pſittacorum, picarum, de induſtriâ columbarum, luſciniarum, de calliditate paſſerum. Sed in nullo piſce tale occur-
648 rit exemplum vel docilitatis, vel loquacitatis, vel induſtriæ, vel cicurationis, vel alterius virtutis. Unde nec deinceps tantam copiam applicationum à nobis inter docendum expectabunt Studioſi, qualem in præcedentibus duobus Tractatibus animadverterunt. Et hæc quoque cauſa eſt, quod paſſim apud auctores piſces uſurpantur non niſi pro ſtupidis & ignavis. Et Theologi ſolebant lingvam piſcium conferre cum balbutiente lingvâ bibulorum. Sicut enim piſcis propter frigiditatem & humiditatem eſt ineptus & ſtupidus: ita nulla eruditio & ſapientia cadit in ejusmodi bibulos. Imò quia omnia ſtupidiora & craſſiora ſunt ſenſilia in piſcibus, ideò minore cum dolore mortem patiuntur, non clamant, non aliis geſtibus nimis refragantibus mactatori obſiſtunt, ut adhuc clarior ratio ex ſeqq. patebit.

V.Co-

V. Cognatum eſt præcedentibus capitibus & hoc, *quod piſces dicuntur muti, & deſtituti beneficio vocis, cum non habeant colla, neque explanatas lingvas.* Quæ enim in aliquibus videntur eſſe lingvæ, quibusdam auctoribus potiùs ſunt palata carnoſa, ſicut videmus in Cyprinis. Cum enim propter innatam ſtupiditatem non poſſunt cicurari, neque aſſuefieri ad aliqua opera, natura vel potius Deus eos indignos 649
eſſe exiſtimavit, *tùm* qui haberent lingvas, *tùm* qui beneficio vocis valerent. Et hinc nos admonemur de ſermone benè collocando, ad utilitatem publicam, & noſtram ſalutem. *Sunt tamen* inter piſces, præſertim maritimos, qui videntur habere vocis uſum, ſicut paulò poſt annotabitur aliquid. *Verùm* non tàm vox illa eſt in piſcibus, quàm ut quidam philoſophantur auctores, *qualiscunque ſonitus*, qualis etiam excitatur, colliſis inter ſe lapidibus. Simili modo latera piſcium quorundam comprimentia aërem edunt tales ſonitus, qui tamen non ſunt propriæ voces. Talis fermè eſt ſonitus ſuum, non tàm vox aliqua diſtinctior, quàm promiſcuus crepitus. Abjectum enim eſt genus piſcium ad paſtum & voracitatem. Alioquin 1. aliud ſonitus, aliud eſt vox, 2. aliud ſermo, aliud communicatio.

VI. *Quod ad rationem victus attinet, amant piſces terram & limum & algam, & lambunt herbas radices: multi etiam carnibus veſcuntur & inſidiantur minoribus piſcibus.* Et propter cibum longè latèque ſolent diſcurrere, & modò ex mari egrediuntur in flumina, modò ex fluminibus fugiunt in pontum, ſed maximè vagantur illi, qui veſcuntur carni- 650
bus. *Et hæc eſt imago mercatorum*, qui propter

opimas prædas diſcurrunt per ſaxa, per ignes. *Duæ autem recitantur ab auctoribus cauſæ,* cur piſces multi ex fluminibus excurrant in mare, 1. *quod ibi ſalubrior & commodior paſtus reperitur,* ſiquidem fundus maris perhibetur dulcis, & abundare tùm limo & algâ, tùm parvis piſciculis, ut imprimis ſunt Apuæ (Stint.) 2. *Quod in mari plura commodiora ſint loca ad partum.* Etſi verò putant in medio mari non eſſe tantum numerum belluarum, ſicut circa littora; tamen ſine dubio circa ſcopulos & littora maximæ multitudines minorum piſcium pariunt & creſcunt. Et ſicut aves ſub hyemis initium fugiunt in alia loca, ad evitandum frigus, & ſub initium Veris redeunt: ita quoque piſces ſæpenumerò ex ponto veniunt in flumina, ut melius exponantur ſoli, ſed poſtea redeunt in pontum, ut contra frigus muniantur. Refert *Ariſtot. de Euripo Pyrrheo,* ex quo omnes piſces enatant ſub initium hyemis propter frigus, quod ille locus ſit frigidior, excepto ſolo Gobiano. Pudeat autem homines quandoque non poſſe prævidere ſibi imminentia mala ex magnis vitiis, quibus aſſueverunt, & cum exempla ha-
651 beant, alios propter ſimilia ſcelera in ſimiles tragicos caſus graviter & miſerè incidiſſe. Hic igitur ex *Jerem. 8. v. 7.* paulum immutatis verbis eſſet exclamandum: *Stupidi & muti piſces (nedum aves) norunt tempora ſua. Homo autem non novit tempus reverſionis ſuæ.* Imprimis verò plerique manè dicuntur quærere cibum, unde tunc plerumque retia diſponunt piſcatores. Sæpenumerò latent & tunc proturbantur. Et ſingulari providentiâ Dei factum eſt, quod in mediâ æſtate mare fervet in diebus canicula-

nicularibus, uberrimus ex fundo ad ſuperficiem magis effertur, & tunc piſces ſimul innatant infiniti, turbati ſcilicet ex fundo, ſicut apud nos fit, quando teruntur gurgites. Et quod piſces deliteſcunt, inde etiam planum fit, quia poſt imbres juxta ſuperficiem aquarum conſpicuuntur captantes novas undas. Valdè enim ſalubres ſunt pluviæ omni generi piſcium.

VII. *Quod attinet ad rationem propagationis piſcium, aliqui arbitrati ſunt omnes eſſe fœminas, & concipere ſine maribus, ſiquidem aliqui ſtatim habent ova, cum naſcuntur.* Sed experientia oſtendit, ipſos coire, admotis invicem partibus ſupinis, & plerumque citiſſimè abſolvere coitum exceptis vitulis marinis, qui tanquam canes diu cohærent, *Multi ex limo,* 652 *& arena, & pluviis, & ſpuma fieri putantur,* ut refertur de aquis, item de anguillis, quod neque fiant per coitum, neque ex ovis, ſed ſimpliciter ex putridis limis. Refert etiam *Ariſtoteles* experientiam, quod natæ ſunt in illis locis, ubi nullus ſimilis habebatur piſcis. Utut autem hæc ita diſputantur, tamen verò ſimilior eſt ratio, *omnes minimorum minimos piſciculos tamen provenire non niſi ex ſui generis ſemine,* quod interdum vix ſenſu notabile eſſe libenter concedimus. Quâ de re ſuperiùs aliquoties actum fuit, & agetur adhuc inferiùs de inſectis. Poſſe autem ſemina piſcium per anates, & ciconias, & ranas deferri in novas & puras piſcinas, quisnam dubitabit? *Qui edunt ova, ſolent ipſa egerere imperfecta,* ita ut edita augeantur, non aliter, quàm ſicut farina tumore ſubacta augetur, dum ſcilicet pars ſolida augetur tumore, & poſtea ſpiritus ipſi provocati tumorem efficiunt.

Si

Si intus perficerentur ova piſcium, omnia manerent fœcunda, & ita infiniti gignerentur piſces, cùm contra quando ſunt edita, magnam partem devorent reliqui piſces, magna etiam pars intereat, dum ſcilicet
653 mares ſemen non ſuperfundunt. Quoties enim ova emittit fœmina circa radices arborum, herbarum, juxta littora, inter arundines & inter ſimilia loca, tunc mas inſequitur fœminam, & lac ſeu ſemen, quod eſt inſtar lactis, ejicit ſuper ova. Quæcunque igitur ova tanguntur *à ſemine maris, illa fiunt fœcunda, reliquà non item*, quemadmodum hac de re auctores philoſophari videmus. Sed reliqua hæc vel intereunt, vel unâ cum humore influunt in ova piſcium, & fiunt ipſis cibus. Citiſſimè autem augeſcunt ova edita, quia citò mas ſuperfundit ſemen. Qui verò piſces appellantur ceti, illi gignunt non ova, ſed viva animalia. Et inter omnes piſces nunquam coëunt diverſi, niſi Raja & Squatinia, & ſemper fœminæ in quovis genere ſunt majores & vivaciores, ſed mares ſunt ſuaviores cibi. Inter ipſos etiam maxima eſt concordia, qualis non eſt inter reliqua animalia, exceptis valdè paucis, qui ſibi mutuas ſtruunt inſidias. Semper enim mala ſunt mixta bonis. Hoc in loco Studioſis Theologiæ, & Eccleſiarum Paſtoribus inſignem revoco in memoriam locum communem: Piſcium plerorumque marinorum & fluviatilium propè innumera agmina eſſe, & quotidie eſſe,
654 experientiam univerſalem omnium temporum & locorum teſtem habemus. At ova piſcium à piſcibus ita foveri & defendi, ſicut ab avibus, utique nemo, ut potu, compertum pro certo habet, nemo etiam dicit. Quis igitur incubat ovis, quis infantulos pi-

ſces

ſces defendit, quis ut in infinitum augeatur hoc genus animalium, ſuo nutricatu efficiet, niſi ſolus Deus, **denn da kömmt keine Menſchen-Hand da zu.** Eadem miraculoſa bonitas Dei cernitur in feris, imò & in avibus ſylvarum. Econtrariò etſi in noſtris ſtabulis noſtri ſervi & noſtræ ancillæ, imò nos ipſi & noſtræ conjuges, noſtrique liberi ipſi ſuſcipiunt curam gallinarum, anſerum, vaccarum, ovium, ſuum, tamen quantâ cum difficultate educentur domeſtica hæc animalia, conſtat. Multa ova pereunt, multi agni, vituli, imò vaccæ matres ipſæ moriuntur, cum morbis prius conflictatæ vel innumeris, ita ut mala ſuperarent vel vincerent omnem noſtram curam, diligentiam & ſapientiam. Quanquam autem feræ, aves ſylveſtres & agreſtes, piſces hiſce adminiculis omnibus deſtituuntur, tamen melius augentur, melius propagantur, tantos morbos, tantas peſtes non experiuntur, quia ipſorum generatio & ortus ſoli
Deo committuntur. Quæ igitur à Dei ſolius pro- 655
videntiâ dependent, ea melius ſeſe habent, quàm ea, quæ hominum ſolorum curis & laboribus committuntur. Diſcant igitur Oeconomici & Patresfamilias ante omnia benedictionem à Deo petere pro felici educatione domeſticorum pecorum: diſcant in benedictione Domini plus ſitum eſſe, quàm in quotidianis curis & laboribus educandi. Diſcant omnes & ſinguli, multò magis ſobolis bonam educationem & felices ſucceſſus à Deo petere & expectare. Qui in terras peregrinas ſuos filios & filias ablegare coguntur, ii meminerint, nullâ re iſtos plus juvari, quàm ſi quotidiana à Deo offerantur ſacrificia. Tunc in rationalibus iſtis creaturis multò clariora benigni-

tatis

tatis ſuæ documenta edet DEUS, quàm quotidiè edere ſolet in piſcibus, feris, avibusque ſylveſtribus, ſi talem fiduciam à piſcium & ferarum exemplo monſtratam, in ipſo conjecerint parentes.

VIII. *Quæſtio agitata fuit inter Philoſophos, utrum piſces ſpirent, & utrum etiam dormiant; Certum autem eſt, eos & ſpirare & dormire. Et nemo miretur in aquas penetrare aërem, quem piſces unà cum aquâ imbibunt*, cùm videamus manifeſtè aërem ex aquis egredi, ut fit in bullis. Et certum eſt
656 hyeme emori piſces, quando piſcinæ ſunt glacie concretæ, niſi aperiantur foramina, per quæ inſinuet ſeſe aër externus ad internas partes aquarum. Nec eſt, quod moveat aliquem, quod piſces deſtituuntur pulmonibus, ſiquidem loco pulmonum habent aliud quippiam analogum, nempè branchias, quibus & aquam & cum aqua ſimul captant aërem. *Ad ſomnum quod attinet*, manifeſtò deprehenduntur dormire, quia quieſcunt ad ſaxa, ita ut vel manu capi poſſent, ſed tamen interim caudam leviter movent, præſertim quando infeſtantur à ſic dictis pediculis & pulicibus aquaticis. Harum beſtiolarum tanta eſt copia ſub aquis, ut ſæpè piſciculos abſumant, & iſtæ ſunt in cauſa, quod liberè non poſſunt dormire piſces. Ceti in mari multò magis ſpirant, ut infrà dicetur.

IX. *Quæſitum etiam fuit, utrum piſces audirent, olfacerent & guſtarent.* Cum enim non appareat manifeſtum aliquod membrum auditus & olfactus, dubitare multi cœperunt, & negare, piſces audire & olfacere. Verùm *omninò audiunt & olfaciunt, & guſtant etiam.* Quod audiant, *hinc patet, quia* ſtrepitu nautarum fugantur. Referunt paſſim hiſtorici de

ci de Delphinibus gregatim natantibus. Quod cum 657
animadvertunt piſcatores, ex alterâ parte magnum
ſolent edere ſtrepitum, ita ut incitato curſu rapiantur extra profunditatem, & capiantur Delphini. *Quod olfaciunt*, hinc conſtat, 1. *Quia* putridas eſcas non attingunt. 2. *Quia carnem*, præſertim ſepiarum adustam & hamis affixam percipiunt, & ita alliciuntur. 3. *Quia aliis* odoribus extra ſpecus ſuos evocantur, quemadmodum etiam de anguillis recenſet Ariſtoteles. 4. *Quia alii* delectantur aliis atque aliis piſcibus. *Quod ſapore non deſtituantur*, inde conſtat, *quia* alios atque alios cibos libentius comedunt. Et plerique piſces dicuntur amare eſcam ex piſce amia. Et alii referunt, pleroſque omnes piſces inſidiari halecibus, tanquam cibo jucundiori.

X. *Denique quæſitum fuit de morbis piſcium, ſiquidem multi fuerunt, qui piſces eximerent omni omnium morborum conditione*, unde natum etiam eſt proverbium, *Sanior piſce.* Verùm ipſos etiam *morbis eſſe obnoxios, hinc patet, quia* interdum decreſcunt aliqui ex certo genere, & fiunt macilenti, interdum etiam convaleſcunt. *Præterea* multi reperiuntur mortui, neque natura mortem intendit, niſi per præ- 658
cedentes aliquot morbos. Nec hoc quidem per omnia verum eſt, peſtem nunquam graſſari inter piſces, quia aliquoties recentior teſtata fuit experientia catervatim periiſſe in piſcinis piſces. Quomodo enim Deo impoſſibile eſſet, in piſcium turbas immittere & in medias aquas venenatos graſſari halitus, utut natura eorum nobis ſit ignota. Legatur hac de re tanquam de foro ſuo diſputans Joubertus Medicus

dicus in explicatione ἀποστημάτων in peſtis tractatu occurrentium cap. 2. nobis utique ſuffragatur.

XI. *Qui novi orbis, ante centum nimirum annos primùm reperti hiſtorias nobiſcum communicarunt, ii referunt, ſe etiam vidiſſe alicubi volantes piſces,* non quidem adeò in altum inſtar avium & alaudarum ſeſe attollentium, ſed inſtar hirundinum tempore inſtantium pluviarum aliquantum extra aquarum ſuperficiem ſublatarum. *Id quod iterum cedit in maximam laudem divinæ bonitatis & potentiæ,* quæ plura & mirabiliora poteſt facere, quàm noſter intellectus cogitando aſſequeretur. Mures (veſpertiliones,) ſupra fecit volantes, nunc piſcibus dat quibusdam facultatem volandi, adeò ut pinnis ſuis loco pennatarum alarum uti queant. Quin & *foſſiles*
659 quosdam piſces terrenos recenſet *Plinius lib. 9. c. 57.* Id apud *Athenæum lib. 8. cap. 1.* videtur explicari de planiciebus fabuloſis, in quibus piſces quærant graminum radices. De qua re judicent Phyſici, Medici, ut & *Plinius* caput jam indicatum ſuum his verbis concludit: *Quicquid eſt, hoc certè minus admirabile talparum facit vita ſubterranei animalis, niſi fortè vermium terrenorum & iis piſcibus natura eſt.* Hæc Plinius. Qui foſſores agunt metallicos, ii teſtantur, ſub terrâ reperiri exactiſſimas externas figuras multorum piſcium ſine dubio divinitùs impreſſas telluri, ut inde anſam caperent homines, ſeriò cogitandi, Deum quoque ſingulari providentiâ procurare aurum, argentum, plumbum, ſtannum, ſub terra, utpotè in cujus rudes maſſas talia ſchemata ipſe ſolus contulit, quæ nimirum nec uſu, nec ope humanâ imprimi potuerunt.

XII.

XII. *Coronidis loco obſervetur uſitata diviſio pi-
ſcium.* Solent igitur aquatilia animalia 1. dividi in
ἀμφίβια, & in piſces ſpecialiter dictos: ἀμφίβια
nominantur, quæ poſſunt vivere tùm intra tùm extra
aquas, ut eſt, rana, fiber, &c. Sed de illis nunc non
agetur. *Piſces igitur ſpecialiter ſic dicti, alii ſunt
ἔναιμοι, alii ἄναιμοι.* Ἔναιμοι dicuntur, qui habent 660
ſangvinem propriè dictum, *hi ſubdividuntur in 4. ſpe-
cies:* in Marinos, Fluviatiles, Lacuſtres, Paluſtres.
Marini appellantur, qui in mari degunt. *Fluviati-
les,* qui in fluviis, *Lacuſtres* qui in lacubus, *Paluſtres,*
qui ſunt in locis ſordidis, ubi aqua colligitur ex plu-
viis, vel aliis quibusdam impuris modis. *Marini
ſubdividuntur* in pelagios, littorales, ſaxatiles. *Pe-
lagii* dicuntur, qui amant profundum maris, & loca
remota à littoribus, ſuntque alii cetacei, alii non ce-
tacei. *Littorales* amant habitationes juxta littora.
Saxatiles verſantur circa ſaxa & rupes & ſcopulos,
ſive illi ſint in medio mari, ſive juxta littora.

2. *Piſces ſangvinei ſunt duorum generum, aliqui*
amant ſquamas & pinnas, ut noſtri lupi, carpiones,
&c. *aliqui* verò nullas habent ſquamas & pinnas,
ſed vel corium vel aliam cutem, ut anguillæ, lampre-
tæ. Lege divinâ conceditur eſus tantùm illorum
ſanguineorum, qui habent ſquamas & pinnas; re-
liqui verò, qui nullas habent, ſunt interdicti.

Ἄναιμοι ſunt aquatilia carentia ſangvine, & loco
ſangvinis habentia alium quendam humorem.

Horum *aquatilium quinque genera* numerantur, 661
Μαλάκια, Μαλακόστρακα, Ὀστρακόδερμα, Ἔντομα, &
Ζωόφυτα.

Μαλάκια ſeu *mollia* ſunt, quæ non habent oſſa, ut polypi, loligines, ſepiæ. *Μαλακόστρακα* ſunt, quæ teguntur cruſtis tenuibus, & Latinè nominantur cruſtata, ut ſunt cancri. *Ὄστρακον* enim ſignificat teſtam, unde *Μαλακόστρακα* dicuntur, quæ habent tenuem teſtam vel cruſtam. *Ὀστρακόδερμα* vel *Ὄστρεα* ſeu teſtacea ſunt, quæ concluduntur ſiliceis teſtis ſeu duriſſimis cruſtis, ut ſunt cochleæ, conchæ, &c. *Ἔντομα*, ſeu inſecta ſunt ſicut inter reliqua animalia pediculi, pulices, araneæ, &c. *Ζωόφυτα* ſunt, quæ videntur habere geminam naturam, & eſſe partim ſtirpes, partim animalia, ut imprimis eſt urtica marina. Cum autem tanta ſit varietas animalium aquatilium, neceſſe eſt, ut doctrinæ gratiâ ipſam explicationem contrahamus, ne in immenſum creſcat hoc inſtitutum. Et jam modò innuimus, ab his ſtupidis & mutis adeòque à converſatione & inſpectione hominum remotioribus animalibus vix poſſe colligi tot & tàm multiplices virtutum & vitiorum ideas ac explicationes, atque factum fuit in ſuperioribus aliis terreſtribus. Illud quoque obſervandum eſt, multos piſces ſortiri nomina ab animalibus reli-
662 quis, unde appellantur canes, qui mordent reliquos piſces, porci, qui fodiendo quærunt cibum, item, quidam appellantur aſelli, lupi, capræ, turdi, alaudæ, &c. Item, neque hoc negligendum eſt, multos autores nomine piſcium uti de omnibus, exceptis illis, qui gignunt viva animalia. Sed de his ſatis.

CA-

Caput II.

DE CETIS IN GENERE.

CEti dicuntur propriè *maximi piſces marini, qui
perfectum animal gignunt ex ſemine, non ex
ovo, & ſunt valdè grandi corpore, & aluntur
ſangvine, habentque oſſa & pulmones, & inſpirant
copioſum aërem,* etſi quandoque alios majores etiam
Cetos nominat vulgus. Dicuntur etiam Beluæ ma-
rinæ, quia eodem modo concipiuntur & generantur
ſicut Beluæ terreſtres, ac ſubſtantia carnea ipſorum
à ſubſtantiâ terreſtrium non multum diſcrepat, unde
ſub papatu diſputatum fuit, num liceret veſci carni-
bus Cetorum per dies jejuniorum. Externis tamen
partibus, naribus, pedibus, mutilantur, ut & articulis,
pleræque tales beluæ. Virgilius vocavit monſtra,
etſi non dubium eſt, ſæpè Diabolos nautis alienas &
horribiliores objeciſſe formas, quam revera Deus
creavit in mari. Initiò autem hoc obſervandum 663
eſt, quod apud Hebræos codices duo ſint nomina ce-
torum, ſcil. Hattanninim & Leviathan. *Primò enim
quos ſeptuaginta Interpretes* vocant cetos vel dra-
cones, hoc Hebræi codices nominant הַתַּנִּינִם
Hattanninim, quæ vox ſignificat non tantùm piſces,
ſed etiam ſerpentes, præſertim majores, qui vocan-
tur dracones. Sicut igitur ſerpentes majores di-
cuntur dracones: ita maximi piſces in linguâ He-
braicâ nominantur dracones, ut *Pſalm. 148. v. 7.
Laudate dracones (hoc eſt ceti) & omnes abyſſi Do-
minum.* Vide in Lexico vocabulum תַּנִּין. *Deinde*

Leviathan derivatur à themate לוה *Lavah*, quod inter alia ſignificat aſſumſit, cumulavit, auxit, unde Leviathan ſignificat piſces, quorum magnitudo eſt inſignis. Et talium deſcriptionem legent Studioſi cap. 40. v. 20. apud Jobum.

Huc pertinet, quod Pſal. 74. v. 13. *Deus dicitur confringere capita draconum.* Et Pſalm. 104. v. 26. לויתן *Draco nominatur, quem formavit DEUS ad ludendum.* Quo in loco abſque dubio reſpicitur ad illam conſuetudinem navigantium, qui conſpectis cetis coguntur & ſolent projicere in mare vacua vaſa. Interim enim dum ludunt ceti cum vacuis vaſis, nau-
664 tæ fugâ ſibi conſulunt. Dicitur igitur Deus formaſſe Draconem maris ad ludendum, ut quaſi maris imperium teneat, & in eo ceu in regno ſuo ludat, cæteros piſces venetur, ſeipſum ſecurè agitet & volutet. Sicut igitur apud Latinos bellua marina eſt nomen generis, & apud Græcos cœtus: ita apud Hebræos duo illa vocabula ſignificant omne genus piſcium vaſto & immani corpore præditum. *Allegoricè* ceti in ipſâ Scripturâ uſurpantur pro *Tyrannis*, ut *Eſa. 27. v. 1.* pro Pharaone, qui erat Draco Nili, id eſt, Tyrannus, qui dominaretur regionibus Ægyptiacis, per quas labitur Nilus, & huic Draconi minatur Deus, *Ezech. 29. v. 3.* cum non rectè ludat in aquis, id eſt, non ritè gubernet populum, quod velit eum perdere. *Sicut* igitur ceti ſunt magni, venantur & prædantur reliquos piſces, nocent etiam nautis: *ita* magna eſt verſutia & potentia Tyrannorum ipſorum, magna ſuperbia, crudelitas, & confidentia, quæ nocet ſubditis & peregrinis. Quod enim piſces reliqui

ſunt

ſunt in mari, hoc ſunt ſubditi in regno Tyranni, & quod ſunt nautæ, hoc ſunt exteri & peregrini. Sed *ſicut* Deus dicitur frangere caput draconum ſeu cetorum, & ipſos facere eſcam populorum, *Pſal. 74. v. 13. ita* Deus tandem punit Tyrannos, ſicuti pu- 665
nivit Pharaonem ſubmerſum in mari, ita ut vicini homines acciperent arma & veſtes & currus, ſed beſtiæ veſcerentur cadaveribus eorum. Sic enim fieri ſolet, ut Deus transferat Imperium ad alios, & ipſos de ſolio Majeſtatis dejiciat; quando in ſuo quisque mari non benè luſit cum ſubditis. Sæpè Reges cum ſubditis ludunt, & Nobiles cum ruſticis, ſicut pueri noſtri cum ranis. Has cum occidunt pueri noſtri, rident; ita Reges in interitu ſubditorum rident.

His præmiſſis de nominibus, nunc de re ipsâ. Sciendum eſt de cetis. 1. ***Quod non pariant ova, ſed miſceantur ſicut animalia terreſtria, concipiant & gignant animalia, ſiquidem etiam*** habent membra generationis, ſicut terreſtria animalia, unde factum eſt, quod multi cetos numerarunt inter terreſtria animalia.

2. ***Ceti non habent branchias***, ſed totum caput continuo nexu cohæret reliquo corpori.

3. ***Ceti habent pulmones, & juxta pulmones in dorſo & circa cerebrum habent non proëminentem, ut vulgò pinguntur, proboſcidem, qualem habet Elephantus, ſed alioquin ſatis amplam foraminoſam fiſtulam.*** Uſus hujus fiſtulæ eſt, quod humorem, quem cum cibo imbibunt, per eam rurſus effundunt: Sicut per 666
illam ipſam fiſtulam & per os ſæpenumerò in naves, quæ prætervehuntur, magnam copiam aquarum effundunt. Deinde quia hæc animalia majorem ca-

lorem cœleſtem (qui ab aëre ſemper & ſingulis momentis imprimitur) ad vitæ ſuæ in tantis corporibus conſervationem requirunt, pulmones etiam acceperunt, propter hanc ipſam cauſam, idcircò per illam ipſam fiſtulam, ultra aquas extenſam hauriunt aërem, & ita copioſiſſimè reſpirant, quin etiam dormiunt. Itaque proximè accedunt ceti ad terreſtrium animalium naturam, quia copioſum aërem hauriunt, & ut dictum eſt, quia habent membra generationis, ſicut etiam habent mammas, & lacte nutriunt ſuos pullos.

4. *Secundum communem auctorum ſententiam, omne genus cetorum eget parvo quodam piſciculo, longo & albo, qui ab ipſo nunquam diſcedit, ſed tanquam gubernator ante caput ceti ſemper præcedit, quaſi Temo.* Hic igitur dux ceti de cunctis ipſi proſpicit, & ſalutaria demonſtrat per extremam caudam, item per illam etiam oſtendit inſidias & loca, quæ non ſatis ſunt profunda, ne ad illa accedat & ita pereat. Et quamdiu vivit hic piſciculus, tamdiu ſalvus manet cetus: pereunte eo duce, pereundum
667 quoque eſt ceto. Etſi ita iſtud eſſet, utique verè mirabilè eſſet, quod minima beſtia adjuvet maximam.

Qua in re duplex nobis *proponeretur imago*, I. enim iſte parvulus piſciculus *referret imaginem ſapientis Principis.* 1. *Sicut enim piſciculus* ille cibum, loca tuta, noxia, & inſidiis apta præmonſtrat vaſtiſſimo ceto: *ita Principes* ſapientes & pii ſuâ prudentiâ avertunt omnem cladem à ſubditis, qui nihil aliud ſunt niſi vaſtum corpus.

2. *Sicut enim hoc vaſtum corpus* ceti deſtitutum rectore

rectore piſciculo interit: *ita promiſcua multitudo* plebis non poteſt ſibimetipſi conſulere. II. Hic parvus piſciculus rector *poſſet eſſe etiam imago Conſiliariorum & Literatorum. Niſi enim cetus habuerit parvum piſcem,* neque cibos poteſt acquirere, neque vitare inſidias. *Eodem modo ſine literis tota reliqua vita manca erit* & mutila, quia ſine literis nihil commodè excogitabitur, quod pertineat ad communem ſalutem generis humani. Poſſet etiam *dici idea veræ religionis.*

1. *Sicut* enim ceti vaſta quidem habent corpora, & ea ſine rectore defendere nequeunt: *ita* quoque omnia cedunt homini in temporale & æternum exiti- 668
um, niſi ex verbo Dei verum modum, & verum uſum terreſtrium acceperit.

2. *Sicut autem piſcatores* imprimis huic *parvo rectori inſidias ſtruunt,* quò facilius poſtea magno & vaſto ceto frui queant: *ita Satanas imprimis religioni bellum* & perniciem parat, quia ſcit, ſe poſtea irreligioſos quosvis facilè in ſuam naſſam traducere poſſe. *Verùm enimverò* etſi hæc ita à Veteribus fuêre de duce ceti propoſita, & pro more hodiè in omnibus facultatibus uſitato recentiſſimi plerique ſine judicio & experientiâ eadem ex Antiquis deſcribunt, *tamen* & Conradus Geſnerus & alii rectè negant, talem cetis adjunctum eſſe ducem. Et reverà nimis impar eſt hæc amicitia. Qui igitur ex Veteribus ſimilitudines illas tantùm jucunditatis gratia allegare voluerit, is cautè faciat, & quidem juxta modum, quem ſæpiùs monſtravimus, nimirum uſurpatis his formulis: *Ita Veteres: ita quidem ſcribunt, & ſi igitur ita eſt. Ad magnitudinem cetorum quod attinet,*

maximi ſunt Balæna, Phyſeter & Priſtis, ſed mediocres ſunt Delphinus & Phocæna, ſed minimus eſt Phoca. *In mari Indico, ut de omnium maximis aliquid ad-*
669 *damus, naſcuntur ceti, ut refert Ælianus, quincupio majores maximis Elephantis, ita ut coſta lateris in longitudinem habeat 20. cubitos*. Et qui ſunt verſus Arctum poli, ex coſtis cetorum, quas mare plurimas ejicit, domos extruunt. Legatur etiam *Plinius lib. 9. c. 3.* Et *lib. 32 cap. 1.* Et inſignis eſt ille, de quo extat Epiſtola ad Polydorum Vergilium. *Nam Anno Chriſti 1532. Balæna quædam fluctibus marinis ejecta fuit circa littora, ita ut aliqua pars appareret extra aquas, ſed altera intra aquas lateret. Etſi verò à pecoribus & piſcibus magnâ ex parte fuiſſet diſcerpta & devorata, tamen tantum manſerat reſiduum, quantum centum ingentia plauſtra vix poterant avehere. Præterea in longitudine Balæna illa habuit triginta ulnas, ſeu 90. pedes, à ventre ad ſpinam fuerunt 9. ulnæ, rictus oris complectebatur 6. ulnas cum dimidiâ: mandibula 7. erat ulnarum cum dimidiâ: in lateribus habuit 30. coſtas, quarum ſingulæ longæ erant viginti & uno pedibus, & in circuitu continebant pedem unum cum dimidio. Ventres ipſius erant quaſi vaſtiſſimi ſpecus, pinnas habebat duas utramq; 15. pedum in longitudine, & vix decem boves unam poterant trahendo evellere ex corpore: Longitudo capitis à principio uſque ad rictum oris complectebatur 7. ulnas, ſimiliter lingva fuit 7. ulnarum in lon-*
670 *gitudine, ſed 20. pedum in latitudine, genitale maſculinum fuit prodigioſæ magnitudinis, ſpatium inter oculos 6. ulnarum, cauda fuit bifurcata & ſerrata, & in latitudine 7. ulnas habuit.* Hæc de illo exemplo.

Plinius

Plinius refert reperiri Balænas in mari Indico *quaternum jugerum, id eſt, pedum nongentorum 60. vel ut planius res dicatur, circiter 320. ulnarum.* Plura legantur apud *Olaum magnum* de rebus Septentrionalibus *lib. 21. cap. 10.* Sic hiſtorici referunt, ſæpè viſos eſſe cetos, quorum oculi & palpebræ ſimiles eſſent grandi capiti armati militis, quando induit thoracem ferreum. Quemadmodum igitur miles unam partem ferrei munimenti in capite attollit: Ita ceti videbantur aperire palpebras. Hinc æſtimare poſſumus, quanta ſint corpora ſub aquis, & huc pertinet exemplum Jonæ, qui inoffenſus ſolidè excipiebatur & deglutiebatur à beluâ marinâ, & intra alvum ejus conſiſtebat. Id quod non potuiſſet fieri à quacunque beluâ terreſtri. Utque Studioſi habeant anſam penitius cogitandi de hoc carcere, in quem Deus Jonam per triduum conjecit, fuit is, quaſi culina calidiſſima vel quaſi balneum. Teſtantur auctores, quod balænæ vorent turmas apuarum, iisque 671
adeò ſeſe ingurgitent, ut contento ſono mugientes ultra duo milliaria Gallica, id eſt, plus quàm ultra unum Germanicum exaudiantur. Anno 1545. *in Pomerania Gryphisvvaldi* captus fuit exiguus quidam, *circiter longus triginta quatuor pedum, & tamen in illius ventriculo reperta eſt ingens copia piſcium adhuc non concoctorum, & inter alios ſalmo ſeu lachſus vivus ulnæ longitudine, ita ut tria dolia ſeu tonnæ inde replerentur.* Majores tantam algæ, ſpurcitiæ marinæ, ſpumæ humorum copiam imbibere & iterum per fiſtulam magno impetu rejicere perhibentur, ut vel onerarias interdum naves eo ſubmergant. *Oſſa* enim capitis habent tàm patentia, ut in-

de naviculam efficere queas. *Caudam* cum movent,
ita mare agitant,ut naviculæ ſubmergantur. *Ex lingua*, quæ in delitiis eſſe dicitur, quandoque viginti
quatuor impleta ſunt vaſa, cujusmodi ſunt ea, quæ in
Gallia ſalſamenta conduntur,ut huc & illuc vehantur,
inquit Conradus Geſnerus. Datis per tubas ſignis
tanquã ad expugnationem urbis undique ad captum
cetum omnes ſubditi concurrunt. Et cum poſt dorſum reſeratum quidam incautius ageret, inter inte-
672 ſtina periiſſet, niſi coſtam ſapienter apprehendiſſet.
O te miſerum igitur Jonam, qui in tàm denſum, profundum, firmum, ſpurcum carcerem propter tua
peççata deſcendere meruiſti,quid cogitâſti,quando interdum algâ, ſpumis, aquâ ſalsâ, & aliquot tonnis halecum, perçarum & aliorum piſcium undique fuiſti
obrutus, quando ventriculi parietes câlidiores te apprehenderunt,& reliquaCeti membra compreſſerunt?
Miſericordia Domini te conſervavit, quia & tu in hoc
inferno recordabaris Templi Domini, id eſt, omnium promiſſionum divinarum, quas in Synagogis &
templis ſanctis anteà toto vitæ tuæ tempore ex ſacris
explicari & inculcari audiveras literis. Hanc miſericordiam & potentiam, ô Jona, poſtea ſæpenumerò
Aſſyriis & Judæis prædicaſti, multosque hac ratione ad notitiam veri Dei perduxiſti. Tu potuiſti
ſcire, quid animi ſit condemnatis ad ſupplicia extrema, quid animi verſantibus ſuper lectulo dolorum
in agone, & portâ mortis, cum nec viſus nec auditus
amplius facit officium ſuum. Tu poſſes ſatis docere, qualem ſuſtineant luctam, qui ſubmerguntur ſub
aquis, qualem ſuſtinuerit miſerrima virgo veſtalis,
quæ apud Livium in Numa, poſt virginitatem pro-
ditam

ditam viva defoditur, in ſubterraneâ domo, in quam 673
lucerna ardens, ſtratus lectulus, aliquid panis & aquæ
ad brevem victum, neceſſarium lac & oleum item, prius reponebatur. Sed & tuo exemplo docuiſti extremè ægrotantibus & ultima ſupplicia paſſuris, tamen donec aliquid ſpiritus adhuc ſupereſt, cogitandum eſſe de Templis Domini, quæ ipſos admoneant de auxiliis à Deo, inter tantas calamitates, morbos, mortes, famem firmiſſimè & certiſſimè cum ſingultibus & cum gemitibus ſperandis & expectandis. Cum igitur tanta ſit magnitudo Cetorum, ſponte ſequitur, ipſorum carnem non admodum eſſe ſvavem, ſed duram, excrementoſam, & pravi ſucci. Plurimùm verò delectantur piſcatores pingvedine Cetorum, quâ aliquot tonnæ replentur. Et referunt, in Norwegia maximam Balænam captam ditare totam regionem. Mirabili autem modo capiuntur ceti & provocantur, ut ad littora veniant, id quod dum faciunt, faciunt illud cum magno impetu, ita ut prorumpant ad loca non ſatis profunda, ſicque hærent nec enatare poſſunt. Concurrit igitur præ gaudio exultans tota regio tanquam ad bellum inſtructa omnis generis inſtrumentis bellicis, ligonibus, furcis, bidentibus, bombardis, anchoris, haſtis, &c. & initiò belua ſagit- 674
tis atque globis configitur, donec emoriatur. Tunc enim navibus accedunt, & tanquam ex altiſſimis grandibꝰ arboribus ligna multa exſcindunt. Sunt etiam alia ſtratagemata, de quibꝰ paſſim legent Studioſi apud auctores. Valdè autem pingveſcunt hæ beluæ, ita ut tandem nec videre nec audire amplius poſſint. Valdè tardè ſeſe movent, & imprimis viſum habent hebetem. Os paulò eſt inferiori loco poſitum, quo corri-

corripiunt minores piſciculos, qui idcircò facilimè poſſunt effugere periculum. Caro bubulam referre dicitur, & ſalita diu aſſervatur, pingvedine vaſa complent ſeu tonnas multas valdè ex prægrandioribus.

Eſt & alius quidam piſcis in mari, valdè *aculeatus*, qui ex naturali quadam affectione ſtringit ventrem ceti, ipſumque vehementer lædit. Itaque cetus fugiens vim hujus piſcis, appropinquat invitus ad littora, ad quæ aliàs non accedit. Id quod procul dubio fit ex providentia divina, ut ita poſſint Ceti capi. Interim ceti vehementer delectantur & inſidiantur halecibus, & haleces fugientes ſimili modo appropinquant ad littora, ut ita utroſque piſces aſſequi poſſit induſtria humana. Nimirum ad littora ex feſtina-
675 tione incauta appulſis & hærentibus filiis matres aquam tantam, quæ inſtar fluvii ad aliquot ulnas in iſto loco mare augeat, adjicere referunt. Caudam tanto impetu vaſtam movere dicitur, ut naviculæ ſubmergantur. Sed ſatis ſit dictum de Cetis in genere: Nunc ſequitur de ſex ſpeciebus Cetorum.

CAPUT III.

DE SEX SPECIEBUS CETORUM.

B*Alæna* eſt prima ſpecies Ceti, & magnitudine ſuperat reliquos Cetos omnes. Tales igitur quaternum jugerum longitudinem habere paulò ante ex Plinio retulimus. Huc etiam pertinet exemplum

plum

plum recitatum ex epiſtola, quæ fuit ſcripta ad Poly-
dorum Vergilium.

Habet autem Balæna *dorſum paulatim utrinque ab
anteriore & poſteriore parte elevatum in valdè ma-
gnum gibbum, quo ſuo maximo gibbo tanquam qua-
dam differentia ſpecifica diſtinguitur à reliquis cetis
omnibus.* Deinde *in ſuperiore capitis parte habet
quidem fiſtulam,* ſed non ita apparentem, verùm quo-
dammodò flaccidam, ita ut videatur ſaltem eſſe fora-
men quoddam. Præterea *in ſuo gibbo multas habet
pinnas,* denique à ſuperiore maxilla non ab inferi- 676
ore utrinque dependent barbæ, ſic dictæ inſtar cor-
nuum valdè longorum. Tales igitur Balænæ ſicut
reliqui quoque ceti non appropinquant ad littora,
aut ad alia loca non profunda, ſed procul maris flu-
ctus agitant, niſi vel ab aculeatis piſcibus, vel ſimili
aliqua cauſa compellantur ad littora propius fugere.

Priſtis vel *Orca* eſt ſecunda ſpecies cetorum, quæ
nomen habet ab ore, cujus ut & totius corporis figu-
ra eſt rotunda & extrema admodum tenuia. *Dentes
habet valdè latos, acutos.* Et *eſt naturalis ἀντιπά-
θεια,* ſicut inter Tyrannos: ita quoque inter Balæ-
nam & Orcam, ſiquidem Orca ſuis dentibus perſe-
quitur Balænam. Tunc autem temporis, quando
Orca inſequitur Balænam, ipſa Balæna horribilem
edit mugitum, non aliter quàm cùm taurus morde-
tur à cane. Itaque in novis inſulis beneficio Orca-
rum ipſi incolæ venantur balenas & phocas. No-
ſtri igitur advenientes orare ſolent barbaros, ne læ-
dant Orcas, qui voraces ſunt veluti canes, qui expel-
lunt reliquas belluas ad littora, ut poſſint configi
ſagit-

ſagittis, ein Wall⸗Schwein oder groß Meer⸗Schwein.

Phyſeter, quaſi dicitur *flator*, eſt tertia ſpecies ce-
677 torum, qui habet nomen inde, quia multum aquæ efflat in naves, easque aliquando ſubmergit, Wall⸗Sprütz/ dentibus eſt valdè ſerratis præditus, & in prima ætate ingreditur in flumina minora, aquasq; abſorbet, & hac ratione aliquando alveos navigantium deprimit. Hoc autem facit, ſicut dictum eſt, in prima ætate: Nam quando adolevit, flumina minora non poteſt intrare. Verè igitur nomen habet à flando, quia delectatur abſorptione aquarum, quas iterum efflat per fiſtulam, per quam reſpirat. Conradus Geſnerus vidit quatuor flatores, quorum ſinguli tantum aquæ ejaculabantur, ut ſingulas naves potuiſſent ſubmergere. Et hi tres Ceti ſunt omnium maximi, Balæna, Orca, & Flator, qui ſua ſpiratione & ſuo flatu concitant mare, ac ſi à ventis agitaretur. Id quod imprimis fieri ſolet cum magno tremore, quando Orcæ perſeqvuntur balænas.

Delphinus, vulgò dicitur porcus marinus klein Meer⸗Schwein/ quia habet roſtrum ſimile porcino roſtro, & quia eſt præpinguis, & abundat lardo. Sicut autem inter animalia quadrupeda primas partes obtinet Leo, propter multas virtutes, ita inter beſtias marinas Delphinus.

678 Et I. *quidem omnium aquatilium velociſſimus eſt Delphinus*, propter quam incredibilem celeritatem aſſiduò gerit bellum cum Muræna, & in pugna utitur magna calliditate, quia alvum ipſius ſubit & ſua aculeata pinna, ut à quibusdam ſtatuitur, in dorſo pungit hoſtem, neque ceſſat, donec interimat ipſum. Hinc aucto-

auctores mutuati ſunt allegoriam. *Sicut* enim Del-
phini ſemper pugnant cum Murænis: *ita* perpetua
eſt pugna inter doctos & ſophiſtas in omnibus ſtati-
bus. Sed *ſicut* Delphini non quieſcunt prius, quàm
ventres hoſtium ſuis aculeis penetrarint: *ita* ſine
morâ operam dare decet, ut maturè proſternantur ſo-
phiſtæ. Atque propter velocitatem nullus piſcis
effugere poſſet Delphinum, niſi provida natura ſeu
potiùs & rectiùs ipſe Deus remedium quoddat attu-
liſſet: non enim niſi reſupinus ille capere prædam
poteſt, interim multi piſces præterfugere queunt.
Hinc igitur elucet ſapientia Dei, qui non uni dat o-
mnia: Ita etiam factum eſt, quod, licet terreſtria
animalia ſunt longè minora aquaticis, tamen aqua-
tica ſunt longè ſtupidiora terreſtribus. Quod au-
tem datum eſt in uno, illud ademtum eſt in altero.
Deinde hæc ipſa ſapiens providentia Dei hinc etiam 679
patet, quod Delphinus caret felle, unde vehementer
iraſci nequit. Cum tamen ira aliqua offertur, ibi in-
horreſcunt aculei. Sed ira illa nec eſt vehemens,
nec diuturna, aliàs plurimum damni inferre poſſet
reliquis piſcibus, & nautis quoque.

2. *Delphinus cum careat felle, multa præbet ſigna
dilectionis & amoris ſui erga formoſos homines*, erga
muſicam, erga ſuos pullos, neque eſt ullum exem-
plum inter piſces, in quo tanta occurrerent ſimulacra
multarum virtutum. Obviam enim ſolet procede-
re navigiis, & cum exultatione colludere, & quaſi
certare, & ſua velocitate præcurrere vela quantumvis
plena. *Sicut enim canes adulantur Dominis diſcur-
rendo ante & retrò: ita Delphini in mari faciunt.*
Huc pertinet illud apud Ovidium:

Undi-

Undique dant ſaltus, multaque aſpergine rorant,
Emerguntque iterum, redeuntque ſub æquora rurſus,
Inque chori ludunt ſpeciem, laſcivaque jactant
Corpora, & acceptum patulis mare naribus efflant.

Huc etiam referri debet, quod de Cetis in genere narrant Pſalm. 104. vel ſecundùm veterem verſionem
680 103. quod mare ſit amplum & latum, ubi ſint ceti facti ad ludendum. Voluit enim divina providentia paſſim ipſum mare non eſſe vacuum, & nautas in medio mari videre mirabilia, ex quibus cognoſcerent Deum. Hujus autem belluæ manſuetudinem antiquitas utcunque proponere voluit in fabulâ de Arione, *qui à Delphino dicitur vectus eſſe per mare in patriam, cum omminò tamen vectus nave judicaretur, quæ habebat ſignum Delphini.* Hoc tamen certum eſt, Delphinos delectari muſicâ, amare omnes homines, & imprimis formoſos pueros. Refert *Ælianus lib. 6. cap. 19. de Scholaſtico quodam, quem amabat Delphinus, adeò ut cum vocaretur ex mari, propius annataret, & pateretur puerum equitare ſuper dorſo. Immò tempus obſervabat Delphinus, cum ex ſcholâ ſolent dimitti pueri, quia tunc propius ad littora veniebat.* Et *lib. 2. cap. 8.* de piſcatoribus Euboicis narrat, *adeò Delphinos ipſis conſueſcere, ut ex mari piſces alios compellant ad littora, ut incidant in retia piſcatorum.* Libro etiam eodem *cap. 6.* aliud habet exemplum de Delphino parvo, *qui edebat ex manu fœminæ, & ludebat cum filio ipſius, & vocem pueri agnoſcebat. Ideoque revocatus ex mari accurrebat.* *Sicut* autem inter animalia terreſtria ſimia dele-

delectantur nomine proprio Martini, Hirci Herman- 681
ni,Porci Cunradi, Kuntſch/ Anſeres Tile, Feles Hen-
rici vel Mauritii, Lepores Lamperti: *ita* mirabili
quadam naturæ affectione hæc monſtra ſeu Delphini
gaudent nomine Simonis, & ſtatim accurrunt, cum
acclamantur Simones. Vide *Plinium lib. 9. cap. 8.*
Pullos *quanto amore complectatur*, hinc conſtat, quod
mater potius patitur ſeipſam etiam capi, quàm deſe-
rat ipſos. Dum ergo videt unum catulum pericli-
tari, alterum caudâ ſuâ verberat, & ſibilo maximo
edito, quaſi in remotiſſima loca diſcedere jubet, at-
que ipſa interim cum altero catulo capitur. *Neque
tantum hanc benevolentiam præſtat mater liberis; ſed
& Delphinus unus alteri.* Sic cum quidam caperetur
in Thraciâ, reliqui gregatim annatarunt, & captivo
ſuccurrere ſtuduerunt, præſertim adultiores, quia ju-
niores propter timorem diſcedunt. Et teſtatur ex-
perientia, ſi qui nimiâ velocitate nimis propè ad lit-
tora ſuper arenam appropinquarunt, ita ut non poſ-
ſint progredi vel regredi, reliquos cum magno boa-
tu & cum anxietate diſcurrere & ſæpiùs ore tantùm
aquæ effundere ſuper captum, ut & aqua vehemen-
ter increſcat, & ſæpè captus liberetur. Tantùm cha- 682
ritatis & ſtudii rarò etiam intimi amici ſuis amicis
præſtare ſolent. Experientia hoc etiam teſtatum
fecit, illos, qui viderant unum ex ſuo genere captum
in vicinia ſtetiſſe, & ſaltu quodam aliisque blandis
geſtibus quaſi ſupplicaſſe, ut captivus liberaretur.
Præterea ſicuti gregatim ſolent natare: *ita etiam
ordinem obſervare deprehenduntur*, & plerumque
præcedit unus natu grandior, ſeqvuntur fœminæ, &
parvuli, ſed in ultimo ordine diſpoſiti ſunt mares &

firmi Natu grandior ita præcedit, ut monſtret reliquis viam, ſed mares & robuſti ſeqvuntur, ut inſpiciant infirmorum natationem. Etſi igitur laudatur apud Homerum Neſtor, quod aciem benè diſponere noverat, tamen his ipſis beluis aliquam à naturâ ſeu Deo, ſi omninò ritè ſe habent narrationes Veterum omnes, donatam eſſe prudentiam, hinc videmus, ut & ex illo, quod jam ſequitur.

3. *Non tantùm in vitâ, ſed & poſt mortem ſuam in generis ſui ſocios declarant benevolentiam.* Mortuos enim Delphinos reliqui Delphini eruunt ex profunditate, & expellunt ad littora, ſequente magnâ multitudine, & illos tamdiu defendunt, ne devorentur, ſed ut ab hominibus ſepeliantur. Et hoc non
683 tantùm præſtant Delphini Delphinis, verùm etiam hominibus, & homines vice versâ libenter ſepeliunt Delphinos, quia ſciunt hoc genus piſcium amare homines. Sed inter homines tanta charitas difficillimè reperitur. Pompejus interfectus fuit ab illo, cujus Patrem ipſe ſervaverat, & in regnum Ægyptiacum reſtituerat. Et exempla alia multa ſunt in promptu. Neque hoc tantum faciunt Delphini, ſed & prædas mutuò communicant, ut per omnia videatur inter ipſos eſſe politiæ quædam ſpecies.

4. *In perpetuo motu conſtituta eſt hæc belua etiam tunc, cum dormit.* Nam in ſummâ aquâ incipit dormire, & ita ſenſim dimittitur, & pulſu terræ excitatur, reditque in ſuperficiem & hoc aliquoties. Denique quando ægritudine aliquâ afficitur, tunc quærit piſcem quendam marinum, qui dicitur *Sima*, & illius eſu ſibi medetur, non aliter quàm leo terreſtri ſimiâ ſuos morbos curat. Et talia de Delphinis

nis paſſim narrantur. Etſi autem forſan aliqua fidem ſuperare putabuntur, tamen hoc apud omnes in confeſſo eſt, & expertum, quod in hoc piſce ſit ſingularis calliditas. &c.

Phocena eſt *quintus cetus*, & parum differt à Delphino, niſi quod eſt brevior & paulò minor. Valdè 684
eſt pingvis & lardo abundat, undè æquè ſolet nominari porcus marinus atque Delphinus.

Phoca ſeu Φώκη ſeu *vitulus marinus*, ab aliquibus noſtratium Meer-Kalb/ *eſt ſextus cetus*, licet reliquorum cetorum magnitudinem non aſſequatur. Nomen habet à boatu, quia ſtridorem ſeu mugitum edit. Videtur autem potius eſſe ἀμφίβιον, quia exit de mari, & dormit extra mare, & parit in loco arido, & poſtea ſuos fœtus ſubducit in loca humidiora, & mox iterum in arida, ut ita inaſſuefaciat ad natandum. Cum igitur plus temporis conſumat in mari quàm in terrâ, & cibum etiam petat ex humore, factum eſt, quod à noſtratibus referatur inter aquatica. Præterea Phoca inſtruitur pedibus & habet crura, tanquam læſa & imperfecta quadrupes, ſed poſteriores pedes ſunt, ſicut pinnæ piſcium, quibus in mari etiam utitur pro pennis. Adeò Deus omnipotens poteſt natationem & volatum uno medio perficiendum dare. Suo capite potius refert vitulum terreſtrem, quàm piſcem. Habet etiam cutem, & pilos, & gignit animal, & dentes habet ſerratos & valdè acutos, nullas verò aures, ſed potiùs foramina quædam. Non
poteſt interfici, niſi elidantur tempora ipſius: tutum 635
etiam eſſe animal contra fulmen perhibetur, quod an omninò verum ſit, meritò dubitari poterat: quidnam

enim contra Dei potentiam liberum eſſe queat? Porrò neque ullum tàm gravem capit ſomnum atque hoc. Nullum etiam dicitur eſſe quod crudelius ſit erga uxores, quàm vitulus marinus. Operam igitur dat ſubindè, ut reliquas uxores interficiat, & novas ſuperinducat. Verùm ſicut malum malo punitur, piſcatores induunt ſimilem pellem, & jacent ſuper glacie, mugituque evocant vitulum. Is mox accurrit, putans ſe accepturum novam conjugem, & hac ratione vulneratur. Simili modo adulteria & libidines ſæpè mirabili modo puniuntur.

CAPUT IV.
DE RELIQVIS PISCIBUS MARINIS SEU PELAGEIS NON CETACEIS.

PSal. 104. v. 25. rectè dicitur de mari: *Hoc mare magnum, & ſpatioſum: illic reptilia, quorum
non eſt numerus, animalia puſilla cum magnis,
illic naves non pertranſibunt; Draco quem formaſti
ad illudendum ei, omnia à te expectant, ut des illis e-
686 *ſcam in tempore.* Verè enim in mari non tantùm
ſunt maximæ beluæ, ſed & mediocres & minimi piſces. Hoc igitur capite perſequemur illos piſces marinos, qui ſunt mediocri & minimâ quantitate præditi. Horum igitur alii ſunt valdè *craſſi & corpulenti*, alii verò ſunt *rotundi*. *Lati*, ut aurata, coracinus, aloſa, mugil, aſellus & ſimiles. *Rotundi* & quaſi lyriformes & plerique quidam rubicundi, ut mullus, cucu-

cuculus, lyra, hirundo & ſimilia. Ex planis piſcibus marinis *alii* ſunt *ſpinoſi*, *alii* verò *cartilaginei*. *Spinoſi*, qui non habent oſſa ſicut ceti, ſed ſpinas, ut Rhombi, Soleæ, Paſſeres. *Cartilaginei* ſunt, qui nec ſpinas nec oſſa habent, ſed cartilagines, ut rana, piſcatrix, muſtela, torpedo, lampreta, accipenſer, &c. de quibus omnibus breviter & ordine.

CORPULENTI LATI.

Aurata nomen accepit à colore aureo capitis. Eſtque piſcis ille, qui in multis lingvis à varietate punctulorum, & à variis coloribus dicitur Goldbrachſam (imperiti trutam interpretantur ein Fohrellen) plerumque parit in illis locis, ubi flumina exeunt in mare. In mediâ æſtate latet, in hyeme ægrotat, præbet bonum ſuccum & nutrimentum & benè digeritur, ad cubiti magnitudinem accreſcit: pinnis natat 687
quaternis, imò & quintam habet in inferiore & poſteriore parte præter caudam & branchias utrinque quaternas, cor in pectore quadratum, veſcitur piſciculis tellinis, conchulis parvis, quas validis maxillis frangit, ſcarique rictu ruminat. Piſcis omnium timidiſſimus, & frigoris valdè impatiens. Ælianus refert, quod ſoleant populorum arborum ramos frondibus veſtitos nautæ in loca poſt deflexum maris vacua reponere. Redit igitur mare cum innumerâ multitudine auratarum. Auratæ poſt reciprocationem relinqvuntur & ramorum à vento exagitatorum metu adeò quieſcunt, ut ne loco ſe commovere audeant, adeò ut à quibusvis facilè capiantur. Stagna maritima catervatim in Vere ſubeunt hi piſces, ut illic æſtatem tranſigant, deinde in mare remeant.

 Hic

Hic verò ſolent impediri & capi, & in alia flumina, præſertim ſtagna transferri. Non autem tùm tàm boni habentur, quia veſcuntur piſcibus & conchulis viventibus ex lutulentâ aquâ & limo. Solent igitur odoratu viroſum odorem evincere coqui. Patet autem hinc, in quem uſum Deus varia etiam conchularum minorum genera condiderit, etſi in uſum hominum non cedunt. Vidit Deus verè omnia, quæ
688 fecerat, & ecce erant valdè bona: Omninò valde ſunt bona, licet non omninò omnia devorare noſtro ore debeamus.

Coracinus Rappen/ auratæ ſimilis eſſe quodammodo ſcribitur, etiam cubitali magnitudine, & pro variâ ætate varia accipere nomina, major Platiſtacus, medius Millus, minimus Glotis. Vulgatè corvus exponitur, celebratur potiſſimum in Nilum ex mari egreſſus. Omnes enim piſces à Medicis judicantur ſalubriore & ſubtiliori ſucco facti, qui vel in medio, aperto, profundo mari, vel in fontibus fluminum, quàm qui ſunt oſtiis, quibus in mare influunt ea, propinquiores. Aqua dulcis præſertim piſces pingues efficit, & odorem maximum craſſum velut elicit. Dicitur Coracinus veſci algâ, parere bis in anno juxta littora locis algoſis & denſis, anno ſqualente plurimũ creſcere. *Id quod eſt imago illorũ hominum*, qui ad dignitates non poſſunt aſpirare, niſi tunc, cum bonis iminent perſecutiones, juxta verſiculum:

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.

Celerrimè dicitur adoleſcere & continuè movere oculos, & tamen amare gregem & ſocietatem, quia ſemper non unicus, ſed multi ſimul capiuntur.

Aloſa vel *Clupea* vel *Triſſa*, Jeſen oder Eiſen/ eſt pi-

piſcis plebejus, non multum abſimilis noſtris Cy- 689
prinis, niſi quod breviores ſquamas habet. Ex ma-
ri aſcendit in flumina, & quidem in Ægypto venit in
Nilum, neque metuit Crocodilos: ſed & in noſtrum
Albim. Semper autem mutat locum, & modò ver-
ſatur in alto pelago, modò apud littora: audito to-
nitru vehementer ad mare feſtinare ſcribitur, & nun-
quam ſolus natat, ſicut fermè omne genus piſcium
amat ſocietatem. Hoc apud Ælianum, & alios me-
morabile eſt *de ipſo, quod campanis parvis, cantu &*
ſtrepitu teſtarum advocatur & capitur, præſertim
juxta lacum Mareotin. Piſcatores enim in caſulis
ſuis ſaltant adhibitis inſtrumentis muſicis. Hunc
modum ſaltantium dum æmulatur Aloſa, per impru-
dentiam incidit in expanſa retia. Sic multi per vo-
luptates non tantùm incidunt in alia peccata, verùm
etiam in exitium extremum. Unde rectè quidam ex
Patribus dixit, voluptates & imprimis ebrietatem
ideò fugiendam eſſe, quod ex hac ſequantur alia pec-
cata. Et ille ipſe fatebatur, ſe tutum eſſe contra o-
mnia peccata, modò non ebrius eſſet: *Me enim ebri-*
um, addebat, non poſſum regere, ſed tunc Diabolus me
ducit in omne genus vitiorum. Nimirum primò Di-
abolus eum conabatur impellere ad committendum ho- 690
micidium, ſed fruſtra: mox ad adulterium ſed iterum
fruſtra. Poſteà perſuadebat miſero, ut inebriaretur.
Inebriatus & adulterium & homicidium ſimul commit-
tit. Eandem rem plurimis quovis ſeculo extremam
perniciem afferre, experientia ſtultorum magiſtra
comprobavit.

Aloſa ſimilis eſt chalcis, qui tot habet pediculos
parvos ſui certi generis beſtiolas ſub branchiis, ut
ſæpè interimatur, id quod nulli alteri piſci accidit.

 Mugil

Mugil piſcis quaſi *multum agilis ſæpè nominatur in ſcriptis auctorum*, & eſt valdè guloſus, & mirificè amat loca influentis dulcis aquæ, eſtque propemodum inſatiabilis, & licet viderit ſtructas inſidias, tamen ſibi non poteſt temperare. Quando metuit abſcondit caput ſuum, & hac ratione ſe totum latere putat, ſicut ſuprà dictum eſt de Struthione. Quæ eſt *imago eorum*, qui putant etiam Deum non videre peccata, quæ committunt in tenebris, & abſentiâ hominum. Sic etiam aliæ animantes multum humidæ, parum calidæ magnoque capite ſunt hebetiores, de quibus dicitur, ô quale caput & cerebrum non
691 habet. Præterea nimia voluptas ex cibis flatulentis ipſi enata hunc quoque piſcem in extremum exitium ſolet perducere. Nam ſi maſculus capiatur, & religetur linea aliqua longa per os ad branchias trajecta, ſicque emittatur in mare, & eadem linea retrahatur, paſſim omnes fœminæ marem retractum ex libidine usque ad littus ſeqvuntur. Et vice versâ, ſi fœmina tempore partus tali lineæ alligatur, omnes mares evocabit. Aliàs dicitur Capito propter magnitudinem capitis, & inter piſces non cetaceos celeritatem habet maximam, ita ut etiam transverſa navigia ſuperjactet, & retia ſaltu ſuo ſuperet. Reliquis omnibus piſcibus proſunt pluviæ, huic ſoli præſertim frigidiores & hybernæ nocent, eumque enecant, ut mortuus capiatur.

Aſelli vulgò dicuntur Stockfiſch/ quanquam hoc Germanicum nomen commune eſt multis aliis maritimis variarum ſpecierum piſcibus, qui & ipſi fumo vel ſole indurantur, & inter reliquos iis, qui baculis percutiuntur, ut durior caro ad concoctionem emolliatur.

liatur. Nomen acceperunt hi à colore cinericeo, qualis eſt in aſinorum cute: Deindè ideò hoc nomen habent hi piſces, quia licet externâ formâ ſint valdè pulchri, tamen plerique tardè concoqvuntur, 692
& ſemper, ut dictum eſt, fuſtibus domantur ante concoctionem. Plures capiuntur in Norrwegiâ in celeberrimo emporeo Bergen/ unde aliàs vocantur Bergenſiſch. Quando hamo tenetur, plurimum reluctatur, nec facilè ſequitur, unde iterum rectè hoc nomen obtinet. Etſi verò, ut dictum eſt, valdè pulcher videtur piſcis, tamen à magnatum menſis eſt alienus: ita non ſemper judicandum eſt de virtute & eruditione ex externis. Ad *Salpam* quod attinet, quæ propriè ſecundùm aliquos dici debet Stockfiſch/ veſcitur illa ſtercore, & in ſolitudine vagatur, & recens licet tamen ferulis domatur, ſtercoribusque capitur. De his piſcibus per jocum dici ſolet, quod *caput habeant in mari, ſed caudam in Germania,* quia & navigia & infinita pluſtra aſellis & ſalpis plena vehuntur non tantum in Germaniam, ſed etiam in alias regiones. *Bellovius* ſcribit, quod *ſalpas turmatim viderit ab imo gurgite ad Littus marinum ferri, ac deinde algis, herbisque marinis paſtas in mare celerrimè demergi.* Ad has ſpecies piſcium referuntur etiam *Melanuri,* & à melanuris prorſus diverſæ *Percæ,* piſces notiſſimi. Et quidem *Melanuri* ſunt duces Percarum, ſed *Percæ* dicuntur quaſi minimè parentes, quia ſuis aculeis, cum iraſcuntur, plurimùm læ- 693
dunt alios piſces. Præterea Percæ ſemen ſuum edunt in unâ continenti lineâ, ſicut ranæ in arundinetis, ubi colligitur à piſcatoribus. Melanuri non ſunt robuſti, ſed tamen valdè callidi, unde non facilè ca-

capiuntur reti vel naſsâ. Abſtinent enim ab illecebris ciborum. Tempore tranquillo latere vulgò perhibentur in fundo, quaſi ſentiant & colligant tunc egredi piſcatores, ideò ſeſe occultant. Tempore verò minus tranquillo, cum vident reliquos piſces ex ſuperficie aquæ deſcendere in profunditatem, ipſi ſecundùm communem opinionem proficiſcuntur paſtum, ſed tamen ſemper dant operam, ut circa ſcopulos verſentur, circa quos ſciunt eſſe ſpumas, quibus ſeſe poſſunt occultare: ſpumam enim putant eſſe ſufficiens ſibi tegumentum adverſus omnes injurias. *Hæc eſt imago ſapientum,* qui quantum ſalvâ conſcientiâ queunt, debent inſervire tempori, neque dolere, cum vident alios evehi ad dignates, tanquam piſces luxuriantes in ſuperficie aquarum. *Sicut enim* ſunt crebræ mutationes tempeſtatum aëris: *ita quoque* variæ ſunt vices, quibus Deus exaltatum deponit,
694 humilem viciſſim exaltat. Caro hujus piſcis durior eſſe ſcribitur, & iis, qui ſaxoſos piſces præferunt, præbere bonum ſuccum, benè nutrire, & imprimis prodeſſe ſtomacho. Amicitiam percæ cum lucio eſſe ajunt, quemadmodum & lucio cum tineâ, cujus muco affricare, & vulnera ſua illinire fertur. Quod ſi ita eſt, mirabiliter Deus etiam piſcibus remedia quædam præparando deſtinavit. Conradus Geſnerus recenſet in ſuo opere, apud Helvetios leges extare piſcatorias, *ne perculæ vel percæ capiantur ab exitu Maji usque ad Martini diem, exceptis decem diebus, qui Margaretæ diem proximè præcedunt. A Margareta usque ad Martini diem debet licitum eſſe, ſed non niſi per ampla retia.* Congruunt tales leges cum mente divina, quæ extat Deut. 22. v. 6. 7. *& hanc*

ſum-

*ſummam habet, ne naturæ nimia vis inferatur, ſed
concedatur ſpacium decens, ut nova ſoboles creſcere,
& ſylvas (ita quoque aquas) replere poſſit.* Geor-
gius Fabricius ſolitus fuit admonere, ex veterum
Saxonum Orientalium hiſtoriâ, qui Saturnum colu-
erunt dextrâ tenentem uterum roſis refertum, ſini-
ſtrâ rotam, nudis verò inſiſtentem pedibus petrâ,
fuiſſe nimirùm illud ſignificatum; *Saxonem debere
eſſe in ſuſtinendis perferendisque periculis ſtabilem at-
que conſtantem*, quia habet piſcis ille ſquamas duras 695
& tergum veluti ſpinis aculeatum.

Huc pertinet *Umbra*, id eſt, piſcis nigrior, ſicut a-
lius dicitur Faber. Alii nomen accepiſſe umbram
inde putant, quia celerrimo motu fugit, ut potius vi-
deatur eſſe umbra, quàm verum corpus. Quando
metuit, abſcondit caput, & ita ſimiliter putat ſe latere.
Aliqui autem à fuliginis colore, qualem maculam
habet utrinque minimi nummi magnitudine in me-
dio corpore. *Faber* dicitur piſcis, ille aliàs nuncu-
patur *Chriſtopſarus*. Notum enim eſt figmentum
Veterum de *Chriſtophoro geſtante Chriſtum* per ma-
re, quo ſignificare voluerunt, Profeſſorum veræ re-
ligionis illam eſſe conditionem, quæ eſt peregrinan-
tium in mari, ubi non tantùm periculoſa eſt profun-
ditas, verùm etiam magna copia horribilium mon-
ſtrorum. Fingunt igitur *Chriſtophorum* compre-
hendiſſe hunc piſcem in mari, & in eo veſtigia quæ-
dam reliquiſſe talia, qualia jam apparent in ipſo pi-
ſce; dicitur etiam piſcis Petri, quia dicunt, hunc fuiſ-
ſe, quem Petrus cepit, quando à Chriſto tributum
ſolvere juſſo admonitus ad mare exivit, & Staterem
in piſce quodam capto reperit. Cæterum umbram

terrâ,

terrâ, aquâ, limo, & cum arenâ auri laminis veſci, &
696 in ventriculo ac inteſtinis omninò aliquid auri inveniri referunt pro certo.

Similis eſt umbræ quidam piſcis (eine Art der See-Kappen. Sæpè etiam tricubitalis viſus fuit, oder groſſe Meerſtichling) qui à colore dicitur *Glaucus*, cujus una quædam ſpecies tàm immodicè diligit ſuos fœtus, ut in metu omnes ore ſuo receptos devoret: *quæ eſt imago illorum parentum*, qui adeò ardent amore immodico liberorum, ut nec verbis nec verberibus eos coërceant, unde neceſſe eſt ſequi laxam diſciplinam, & mores minus probatos & liberorum exitium. Simul etiam hinc elucet, aliquantulum piſces agnoſcere & amare ſuos fœtus, nimirum ſi non fugantur, perturbantur, errant, verùm in commodis locis fovere poſſunt. Idem de torpedine & galeis ſcribit Ariſtoteles, Albertus etiam refert, barbos ſua ova cuſtodire, ne ab aliis devorentur. Sed hæc levis eſt cuſtodia.

Alius eſt piſcis, qui dicitur *Mus*, propter parvitatem, item *Capriſcus*, quia malè olet. Nullum dicunt omninò eſſe piſcem ex ſqamoſis, qui tàm duro tegumento opertus, tanquam firmis dentibus armatus ſit, quàm hic, adeò, ut ne acutiſſimo quidem gladio penetrari poſſit.

697 *CORPULENTI ROTUNDI.*

Mullus vulgò barbus, notiſſimus piſcis eſſe dicitur, ſic *dictus à geminâ barbâ*, quâ plerique inſigniuntur ex illis labro inferiore. Verùm in mari nullos barbos aliqui agnoſcere volunt, & diſcriminant prolixè mullos

mullos à barbis. Plurimum delectari dicitur mullus betâ, quâ etiam facillimè capitur. *Et notanda eſt allegoria. *Sicut enim piſcatores* ut facilius capiant piſciculos, diligenter obſervant & quærunt, quibusnam rebus delectentur ſinguli, ut Mulli betâ, Melanuri caſeo & pane, Salpæ ſtercore, &c. *Ita diabolus* tanquam piſcator accuratè explorat, quibusnam voluptatibus dediti ſint ſinguli: ſimilia igitur offert objecta, ut eos trahat in ſuam naſſam, ſicque in aliquibus excitat amorem libidinum, poculorum, uſurarum, &c. Quæ voluptates nil ſunt aliud, quàm eſca objecta incautis piſcibus. *Et ut* mugiles etſi vident inſidias, tamen propter voracitatem ſibimetipſis non poſſunt temperare: *ita* multi etſi intelligunt incommoda ebrietatis, tamen ex perverſa voluntate ab ebrietate non abſtinent. Porrò mulli promiſcuè immodeſtâ quadam intemperie omnia obvia helluantur, non abſtinent à cadaveribus hominum & 698
animalium, neque ab illis, quæ peſſimè olent. Servitutis tamen ſunt indignantiſſimi, ſicut etiam molliſſimi, unde in piſcinis non creſcunt, ſed tantùm proveniunt in locis liberis, ſicut Poëtæ & docti oderunt ſervitutem, & cum liberi ſunt, libereque dicere & ſcribere audent, optima quædam fingunt & edunt. Caro horum piſcium difficulter concoquitur, & inducit hebetudinem oculorum, præſertim quando mulli non ſunt juniores. Mulli dicuntur integras deglutire chamulas, tellinas, mitulos, pectines & conchulas, paſſerum modo, quas in ſtomacho conficiunt. Apud Jovium tanti olim æſtimatus fuit hic piſcis, ut ſæpiùs argenti puri pondere à privatis etiam Quiritibus emeretur, qvum pedis longitudinum ſuperaret.

Quâ

Quâ de re illud *Seneca Epiſt. 96.* potuiſſet uſurpari; Eadem res ſigulæ datur, turpis eſt, ſi honori, reprehenſionem effugit. Non enim luxuria, ſed impenſa ſolennis eſt. Ad Barbos noſtros fluviatiles quod attinet, ova ipſorum præſertim certis temporibus (ſecundùm aliquos in Majo) venenata eſſe dicunt, idcircò quia vim turbandæ alvi & ventriculi ſubvertendi, variasque malas affectiones excitandi habent.

Eſt alius quidam piſcis, qui appellatur SARGUS,
699 mira calliditate præditus: quia quando lineâ quadam tenetur, illam ad ſcopulos ſolet terere, ut ſeſe liberet. Hic igitur cum nullo amicitiam exercet, & ſemper comitatur mullum & fodit cœnum, ut poſſit deſcendere mullus atque paſcatur. Interim ſargus circumſtat & prohibet, ne vel mullus lædatur, nec alii piſces deſcendant & eſcam præripiant. Talis quoque debebat eſſe inter cognatos, & unius regionis & urbis homines, qui mutuis & ſinceris officiis ſibimetipſis à DEO ſunt devincti, ut pulchrè ratiocinatur *Cicero in 1. officiorum* Porrò narrant de Sargis, quod libidinoſiſſimi ſint & capras montanas ament, illecti odore illarum admodum graveolente & penetrante per aquas. His igitur viſis mirificè dicuntur exultare, quin & capræ mutuam dilectionem rependere, & maris aquam ingredi perhibentur. Malè autem cedit iis amor ille inordinatus. Piſcatores enim pelles caprinas olentes induunt, vel alio quovis modo ad littora procurarunt, hocque pacto magnam copiam Sargorum provocant & capiunt. Id quod eſt imago illorum, quibus libidines quandoque peſſimè cedunt.

Similis

Similis mullo eſt & alius piſcis, qui appellatur Cu-
culus, non quod ſit ſimilis corpori cuculi, ſed quod
uniſonum quendam ſtrepitum edat, ſicut cuculus ter- 700
reſtris ſemper repetit eandem vocem. Cuculo ſi-
milis eſt *hirundo & Milvus*, qui piſces potius viden-
tur volitare quam natare, adeò celerrimè fugiunt, &
habent amplas & latas pinnas quaſi alas.

Hirundo alioquin quoad externam figuram hi-
rundinis avis externæ formæ valdè eſt ſimilis. Vo-
lat, ne aliorum piſcium præda fiat. Huc pertinet
alius piſcis, qui dicitur LYRA, propter ſtridorem,
quem movet: item Lucerna, cujus lingva noctu lu-
cere perhibetur, quod alii tamen refutant. LYRAM
autem ſolent nominare nautæ marinum gallum,
See-Hahn / quia roſtrum refert gallum, deindè
quia hic piſcis inveteratus & in aëre ſuſpenſus ſuâ
caudâ dicitur indicare, unde ſit metuendus ventus.
Ad hanc claſſem mullorum pertinet alius inſignis
piſcis, & pedali magnitudine, unde etiam nomen acce-
pit, quod dicitur *Callionymus*, ſeu *pulcher* propter in-
ſignem magnitudinem & longitudinem. Item *Ura-
noſcopus*, quia oculos ita habet ſitos extus in capite,
ut neceſſariò ſemper ſuſpiciat cœlum. Dicitur eti-
am *Callichthys*, quaſi pulchra terra, item *ſacer piſcis*,
quia nullibi degit, niſi, ubi nulla ſunt alia noxia
monſtra. Inter omnes piſces hic copioſiſſimum ha- 701
bet fel, quod medetur ſuffuſioni oculorum eorun-
demque albugini, hebetudini & obſcuritati; ſanat
cicatrices, & conſumit ſuperfluas carnes oculorum.
Nota eſt hiſtoria de Tobia juniore & ſeniore, & de
Angelo peregrinante cum juniore usque ad fluvium
Tygrim. Cum igitur ibi commorarentur & ad flu-
men

men accederet Tobias junior, piſcis inſidias ipſi dicitur ſtruxiſſe, quem tamen poſtea mandante Angelo exenteravit & aſſavit, retentis corde, epate & felle. Cumque Tobias junior quereret de uſu harum particularum, reſpondit Angelus, cor & epar convertere diabolos in fugam, ſed fel mederi albugini oculorum. Suntque docti & eruditi in illâ ſententiâ, fuiſſe illum piſcem *Callionymum*, ſeu *Uranoſcopum*. Certum enim eſt vel illius piſcis mirificè prodeſſe contra morbos oculorum, ſicut ſenior Tobias ex illabente ſtercore hirundinum viſum amiſerat. Sed poſtea quæritur, quomodo cor & epar hujus piſcis potuerint convertere dæmones in fugam, ſiquidem certum eſt, diabolum eſſe ſpiritualem hoſtem, neque ullo corporali medicamento poſſe fugari. Et videtur textus ipſe in *Tob. cap. 8.* reſponſionem ſubjicere, quod Angelus illud fecerit, qui vinculis con-
702 ſtrinxit Satanam. Sed ut ſciret Tobias junior, hoc certo futurum & quidem illâ ipsâ nocte, de qua ibi eſt ſermo, juſſus fuit adolere, & accendere cor & epar piſcis. Sicut igitur muſica fugit Satanam, ut apparet ex hiſtoriâ Saulis, id eſt, ſicut muſicis concentibus erigitur animus ad Deum, quo tempore neceſſe eſt diſcedere Satanam: ita etiam accenſo epate & corde piſcis, id eſt, Tobia juniore cogitante, de conſilio Angeli, & preces adhibente neceſſe fuit Satanam novos illos conjuges relinquere non propter accenſum fel piſcis, ſed propter preces Tobiæ & propter Angeli operationes ſub illâ accenſione factas. Hinc peti poteſt allegoria, tunc felix futurum conjugium, cum offeruntur cor & epata, id eſt, cum intimo amore vinciuntur corda conjugum. *Et ſicut* Callionymus oculos

los ſemper in cœlum attollit, ſicque prædítus fuit inſignibus iſtis viribus: *ita* quoque conjuges tunc benè habebunt, quando in cœlum emittunt preces. *Et ſicut* Callionymus nunquam verſatur in locis, ubi alia noxia monſtra apparent: *ita* non poſſunt exaudiri preces, niſi peccata vitentur. Legatur *Tobiæ cap. 6. & 8. & 11.*

Ad hanc claſſem piſcium pertinet etiam ſic dictus *Draco & Scorpio marinus.* Et quidem Draco reli- 701
quo toto ſuo corpore ſimilis eſt aliis piſcibus, ſed capite & oculis magnis, & venuſtis: item maxillâ ſuâ quàm proximè refert figuram Draconis terreni. *Deinde* pellis quoque Draconis marini non procul abeſt à formâ Draconis terreſtris. 3. *Aculei* & ſpinæ hujus piſcis venenoſitatem quandam habent non exiguam. 4. *Quia quando captus* eſt, & emittitur in arenam, mirificâ celeritate cavernam aliquam ſuo roſtro excavare ſolet.

Simili modo quidam piſcis dicitur *Scorpio,* quia ſuis ſpinis venenoſis citò & vehementer lædit illum, cujus manu attollitur inſtar Scorpii terreni, quia caput ipſius magnum multis magni venenatis aculeis horret. Puerum ab hoc piſce ictum refert *Conr. Geſn.* curatum fuiſſe diſſecto mullo, & impoſito cum ejusdem Scorpionis epate, adhibitio ad ambitum vulneris lentiſco contuſo, indeque probat, nullum eſſe animal venenatum, quod ſui antipharmacum non ſecum teneret.

Huc pertinet & alius piſcis, qui dicitur *Hippurus* quaſi cauda equi, quia in capite habet pinnam, quæ continuatâ vice extenditur usque ad caudam inſtar caudæ equinæ. In Hiſpaniâ eſt notus, & mirum in

702 modum oblectatur naufragiorum fragmentis. *Eſtque imago illorum*, qui tantum delectantur aliorum damnis & interitu.

Huc quoque pertinet nobis ignotus vorax piſcis, ideoque dictus *lupus marinus*, qui in capite lapidem gerit, & frigore valdè infeſtatur, ſicut omnes piſces, qui lapides habent in capitibus, ſiquidem in craſsâ materiâ lapidum diutiùs detinetur frigiditas. Nomen accepit hic piſcis inde, quia habet proprietates communes lupo terreſtri, quas tamen multas etiam habet noſter lucius ſeu lupus fluviatilis & lacuſtris Hecht. 1. Enim *ſicuti* lupus terreſtris eſt imago Tyrannorum, qui in ſolitudinibus degunt, non poſſunt ferre pares & ſocios imperiorum: *ita* quoque hic piſcis eſt ſolitarius, non gregatilis. 2. *Sicut* lupus terreſtris carnibus veſcitur & prædatur: *ita* hic piſcis vivit ex rapto, abſumit ſui & alterius generis piſciculos. *Sicut* autem aliis, *ita* imprimis cyprinis, item ranis inſidias ſtruit hic piſcis. Nec deſunt exempla, ubi lucius ſeu lupus & rana manifeſtum prælium inſtituerunt. Refert Dubravius, in conſpectu ſuo factum hoc eſſe, nempè ranam in abdito loco delituiſſe & ſemper inſpexiſſe lupum tranquillo cœlo
703 in ſuperficie aquæ diſcurrentem. Cum autem è regione latibuli conſiſteret, ſtatim rana involavit in caput, eique tàm arctè adhæſit, & oculos effodere conata fuit. Cumque ſicut furibundus hinc inde agitaretur lupus, neque tamen hoſtem poſſet excutere, tandem fundum petiit, & nihilominus rana in capite fixa manſit. Poſt mediocre intervallum, ſpectante hoc auctore, rediit rana ad ſuperficiem aquæ, & quaſi triumphans coaxavit. Ut igitur finem negotii experi-
rentur,

rentur, retia expanderunt, & lupum oculis orbatum deprehenderunt. Hæc poteſt eſſe imago Tyrannorum, qui ſæpè à propriis ſubditis interficiuntur, qui non amplius poſſunt ferre immodicas expilationes, & alias difficultates. Dicunt etiam naturalem eſſe ἀντιπάθειαν inter lupum hunc & cancros, ſicut inter magnates & obſcuros, qui licet genere non ſint nobili, tamen exultant, ſicut cancer teſtam habet admirabilem & firmam, quaſi eſſet immanis quædam belua. Hunc piſcem immittunt in piſcinas, ut magnam partem fœtus cyprinorum conſumat. Nimis enim fœcundum eſt genus cyprinorum, ita ut ſibi mutua pabula ſubtrahant, nec poſſunt pingueſcere, niſi pauciores reddantur. 3. *Sicut lupus* terreſtris valdè eſt callidus: *ita* quoq; hic lupus aquatilis multum habet ſolertiæ, 704
qui à rete circumdatus caudâ ſuâ arat terram, ut rete poſſit tranſire.

Cum verò hæret in hamo, tumultuoſo diſcurſu vulnera ſua reddit ampliora, donec excidant inſidiæ. Quod ad ipſam carnem attinet, meliores ſunt lupi in liberis aquis vagantes, quàm qui includuntur ſordidis lacunis: Item meliores, qui paſcuntur fœtibus carpionum, quàm qui veſcuntur ranis: meliores denique, qui ex mari adveniunt, qui non multum cedunt avibus montanis, quoad probitatem ſucci. In mari, quidam dicunt, nullum lucium reperiri. Anno Chriſti 1417. captus fuit circa Heilbronnam Sueviæ in ſtagno lucius, & repertus in eo annulus ex ære Cyprio, in branchiis ſub cute, in quo Græcè fuit hæc ſcripta ſententia: Ego ſum ille piſcis, huic ſtagno omnium primus impoſitus per manum Friderici II. die 5. Octobris, Anno Domini 1230. Iſte igitur Lu-

cius hæ ſit in ſtagno per annos 267. Vegetæ admodum naturæ eſt hic piſcis, voraciſſimus, graſſans in animalia. Viſus fuit mulæ potatum ductæ inferius labrum, quin & lavantis ancillæ, pedem morſu apprehendere, Feles parvos & canes in vivaria
705 luciorum conjectos, nedum arreptos bufones devorare ſolet. Reperti ſunt in ventriculo ipſius etiam duo pulli anſeris. Piſces aculeatos capite incipit devorare, ne ſpinis in adverſum rigentibus impediatur. Nec etiam ſuo generi parcit, unde Tyrannns & Rex fluviatilis piſcium dicitur.

Audivi (inquit *Conradus Geſnerus*) ut firmitas Lucii plus æſtimetur ab oculato teſte apud Anglos ventrem lucii ad duos aut amplius digitos reſcindi, & ſi emtorem non inveniat, piſcem vulnere conſuto reddi vivario, in quo tincæ inſunt, quarum humori ventrem affricat. Porrò etiam hos minores piſces lucios non ubique locorum, quovis tempore piſcari licet, ut copioſius ſoboleſcere hoc genus queat. Obſervatum fuiſſe idem Geſnerus annotat, morbum peſtilentem lucios aliquando invadere, & tubercula quædam ſatis magna lateribus innaſci, indeque plurimos perire, & ſi in piſcina aliqua concluſi fuerint, pleroſque omnes. Ejuſdem piſcis ova æquè ut barbi, cholicam incitare ajunt.

MUSTELA eſt ſimillimus Murænis piſcis, de quo fabulantur, quod ore pariat. *Sicut* autem terreſtris muſtela: *ita* quoque hæc aquatilis omnium cadaverum, in quæ incidit, oculos exeſſe vulgò dici-
706 tur: quæ poteſt eſſe *imago* Sycophantarum & calumniatorum, qui præſertim abſentium & mortuorum errata exagitant, niſi velis cum aliis potiùs cognomi-

nata

nata à colore ſimili. Ex hujus genere eſt *lampreta*, quæ hodiè habetur pro nobiliſſimo piſce, & nomen inde accepit, quod lambat petras, quæ ut precioſior evadat, vino ſuffocatur. Huc iterum pertinet, *muſtela lævis*, quam fabulantur habere oculos.

PLANI SPINOSI, Plattfiſch.

Ad illos piſces qui ſunt plani, neque ita craſſi, pertinent ſpinoſi, qui ſcilicet ſunt pleni ſpinis, ut *Rhombi, Soleæ, Paſſeres* & ſimiles. Paſſeres Blateißlein/ ſic dicti à colore paſſerum parte ſupina albicante, & Rhombi Meerbutten/ ſic dicuntur à figura turbinum expanſa & Rhomboide, & ita intur ſe differunt, quod Rhombis eſt reſupinatus dexter ſitus, ſed paſſeribus & reſupinatus ſiniſter. Huc pertinent *Soleæ* (Schollen) quæ nomen acceperunt à manifeſta & inſigni latitudine, & aliàs dicuntur *lingulacæ*, quæ nullibi degunt, ubi malefici piſces. Suntque longè plures ſpecies talium ſpinatorum piſcium, quorum aliqui dicuntur, *Bugloſſi, Cynogloſſi, Arnogloſſi, Hippogloſſi, Cithari*, prout ſuâ externâ formâ repræſentant lingvam vel bovis, vel canis, vel agni, vel equi, vel etiam citharam. Viſus fuit oceani rhombus quinque cubitos longus, latus quatuor, ſpiſſus pedem unum 707

CARTILAGINEI PLANI.

RAIA pinnis in orbem circa caput compoſitis conſtat, & (Rochen) in utero ſuo gerit quiddam teſtaceum, in quo conſiſtit humor quidam ad ſimilitudinem ovi, & cernuntur ductus oblongi inſtar ligularum, quibus veſtes complicantur. Nunquàm cibum capit hic piſcis, niſi prius diſcurrerit, & alium quendam læſerit, unde meritò dicitur *imago uſurariorum*, qui

qui vivunt ex in juſtâ prædâ. Mare ita Rajis abundare dicitur, quemadmodum terra ſpinis tribulis, rhamnis, etſi enim vix ultra duos fœtus raja edit, cum alii plurimos gignant, tamen rajarum fœtus à paucis aliis devorari poteſt; caudæ ſiquidem omnes aculeis horrent, aſpectu etiam ipſæ ſunt deformes. Interim nemo miretur, quaſi forſan Deus ſine causâ condidiſſet plura fera aſpera & noxia: Nequaquam. Pulices maris, Oeſtri, pediculique, quibusdam piſcibus maximè ſunt moleſti, & quibusdam ſunt jucundiſſimi: nam hepatibus iſtis lubentiſſimè veſci ſolet, ſimiliter ſcolopendra venenata eſt aliquibus, alicui
708 piſci præbet alimentum ſuaviſſimum. Similiter lepus marinus nocet hominum generi, qui tamen multis piſcibus fit delicatum nutrimentum. Omninò enim verum eſſe manère oportet apud omnes omni tempore iſtud: *Vidit DEUS omnia, quæ fecerat, & ecce erant valdè bona.* Quamquam enim non omnia proſunt tuo palato, tamen conducunt animantibus aliis, quibus aliis tu poſtea homo veſci potes. Sic Rajæ plurimum nutrire dicuntur illos, qui corpora graviſſimis laboribus coguntur enervare.

SQUATINA vel Rhina habet ſimilitudinem quandam cum Rajâ, cum quâ etiam commiſcetur, id quod non faciunt ulli alii piſces. Dicitur quandoque eſſe pondere quadraginta librarum & plus, imò Rondeletius ſcribit, ſe vidiſſe unam, quæ æquaret centum & ſexaginta libras, item excedentem hominis magnitudinem quandoque. Callida eſt, quia limo ſeſe obvolvit, & præternatantes piſces capit. Habet duram cutem, ex quâ Turcæ pro gladiis conficiunt vaginas.

PA-

Digitized by Google

PASTINACA etiam cognationem habet cum Raja diciturque ein ſchwartzer Roch/ item à longiſſimâ caudâ, Peilſtert/ & habet oblongum aculeum, valdè venenatum. Quicquid enim pungit, illud ſtatim enecat, ita ut nullum medicamentum admittat. Quando tangit arbores, ipſæ ſtatim emoriuntur. Hoc 709
igitur ſuo telo clam ſolet pungere prætenatantes piſces, ut mox intereant. Et ut conſtet, venenum hoc eſſe acutiſſimum, inde apparet, quia mugiles omnium piſcium velociſſimi; tamen reperiuntur in ventre paſtinacæ, quos ſcilicet ſuperavit vis veneni. Quidam apud *Ælianum* captum Paſtinacam exiſtimavit eſſe ſicut Gobium, & cum in ſinu foveret, mortuus fuit repertus, quod ignoraſſet naturam piſcis. Capitur ipſe muſicis concentibus & ſaltationibus. Nam unus ex piſcatoribus cantat & ſaltat: interim alter paſtinacæ intentæ in ſaltationes ex oppoſito ſtruit inſidias. Ita nihil eſt tam expers omnis humanitatis, quod non caperetur amore muſicæ. In cauda venenum habere putatur, quæ abſcinditur.

TORPEDO nomen accepit ab effectu. 1. *Quia* propter gravitatem potiùs repit in imo mari, quàm ut in ſumma ſuperficie nataret. 2. *Quia* quicquid tangit, illud reddit torpidum & ſtupidum, id eſt, tremulum. Itaque ſeſe abdit, & piſces prætenatantes facit ſtupidos & conſiſtentes. Et tam mirabilis ineſt vis huic piſci, ut etiamſi haſta tangatur, tamen virtus ex ipſo egreſſa, & per longitudinem haſtæ usque in hominem profecta manum ipſius faciat *ſtupeſcen-* 710
tem. Quæ poteſt eſſe imago eloquentiæ & muſicæ, qua pecora & homines commoventur. Facit autem hoc ex innata ſingulari ἰδιοκρασίᾳ, ſicut magnes fer-

rum allicit, & ſicut multa remedia proſunt, quorum cauſas reddere nequeunt ſufficientes Phyſici, non ex frigiditate, quia viva non autem mortua poteſt hoc facere. Vi illa ſua non ſolum tangentes alligat ſed per ipſum etiam rete ob torpefacientem gravedinem piſcatorum manibus inducit. In malam partem non incommodè dicetur *imago calumniatorum*, qui non tàm ſuis linguis, ſed & ſuorum ſociorum machinationibus famæ bonorum virorum nocent. Nec ipſa vim hanc ſuam ignorat. Id quod inde apparet, quod nimirum ſeſe humo proſternit & abjicit, & immobilem mortuamque ſimilat, hocque pacto appropinquantes piſces corripit, ſicut etiam in ipſos in mediis fluminibus natantes incurrit, celeritatem illorum ſiſtit, & corpore conſtrictos devorat. Quæ omnia varias calumniatorum artes pulcherrimè in ſeſe continent & proponunt. Quandoque talium nebulonum tanta eſt impudentia & audacia, ut honeſtos viros apertis mendaciis prægravare non exhorreſcant:
711 quandoque verò per cuniculos rem agunt, ne videantur eſſe ex Diabolorum claſſibus. Poſſet dici Krampfiſch. Cæterum degere dicuntur torpedines in cœnoſis locis, & eſſe in cibo damnati. Sic enim & calumniatores millies magis pleni ſunt magnis viciis, quàm alii, quos traducunt, & rectè alii pii iſtorum ſocietatem & communionem vitandam eſſe monent. *Sicut* etiam torpor, quem hominibus infert, tandem evaneſcit: *ita* quoque juſto judicio Dei ſæpenumerò tales calumniatores adhuc in hac vitâ puniuntur & publicè confunduntur. *Rectè enim Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3.* Verè dementia eſt, non cogitare, nec ſcire, quod *mendacia non diu fallant:* noctem tàm

tàm diu eſſe, quàm diu allucescat dies, clarificato autem die, & Sole oborto luci tenebras & caliginem cedere, & quæ graſſabantur per noctem latrocinia ceſſare, *Hactenus verba Cypriani, qui paulò ante hoc quoque ibidem ita ſcripſit:* Romam cùm mendaciorum ſuorum merce navigarunt, *quaſi veritas poſt eos navigare non poſſet,* quæ mendaces lingua rei certæ probatione convinceret. *Hucusque idem.* Aliqui accommodant haſce imagines ad acerrimos diſputatores. Quod ſi accerrimi illi non ſpinoſis & intricatis ſubtilitatibus pugnant, concedi poteſt in laudem. Si verò contexunt argumenta ex quisquiliis rationis humanæ inanibus, in vituperium uſurpari debent 712 accommodationes. Poſſet etiam applicari ad nimimias voluptates, quæ rationem hominis effœminare ſolent.

RANA PISCATRIX piſcis cartilagineus, plenus, fuſcus, capite maximo, rotundo & compreſſo, cujus capiti cauda tantùm ſine corpore annexa videtur, ſub oculis duo habet capillamenta, quibus latens in abdito piſces allicit & capit, unde etiam nomen accepit. Sub ventre habet pedes, unde rana dicitur. Poteſt eſſe imago illorum, qui captioſe aliis inſidiantur.

CARTILAGINEI LONGI.

Longiores ſunt Musteli, ſic dicti, quod quaſi criſtam habeant in caudâ. Tantus eſt amor liberorum in hoc piſce, ut tempore periculi ore ſuo eos devoret, & viciſſim emittat. Alius eſt piſcis, qui dicitur *Simia,* quia habet ſimium os, alius item dicitur

Canis, qui devorat majores piſces, & infeſtat urinatores. Alius dicitur *Aries*, qui ſub umbrâ navium deliteſcit, & in natantes tanquam latro irruit. Alius dicitur *Vulpes*, qui olet vulpem terreſtrem, & mirâ
713 calliditate utitur, quia lineam usque ad tenuiſſimas partes ſolet deglubere, ibique præſcindere.

ANGUILLÆ MARINÆ potiùs ſerpentes marini dicuntur. Noſtræ anguillæ etiam nomen acceperunt à ſimilitudine anguium, & in ſuo genere neque habere maſculum putatur, ſed malè, neque fœminam, neque propagari ex coitu, ſed naſci ex limoſis partibus, id quod inde conſtare volunt, 1. *quod* nunquam aliqua capta ſit, quæ haberet ova vel ſemen genitale, neque apparuiſſe in corporibus anguillarum meatus aliquos generatos. 2. *Quod in aliquibus fæculentis ſtagnis* omni exhauſtâ aquâ, detracto etiam limo, remotis omnibus piſcibus, *tamen generatæ anguillæ*, modò pluvia aqua acceſſerit, *fuerint*. Verum enim verò in locis putredinoſis libenter gigni anguillas, ſicut vermes in terrâ, non verò ex locis putredinoſis & ex terris libenter concedimus. Legatur *Plinius lib 9. cap. 50. ut & Athenæus, & Oppianus*. Hic autem piſcis tantum aquam limpidam amat affluentem & defluentem, neque poteſt gigni in ſiccis locis, neque vivit, ſi æſtate ex lacu transferatur in piſcinam, ſed hyeme facillimè poteſt tolerare omnem loci mutationem. Cumque tantum vivat
714 in aqua pura, idcirco piſcatores turbant aquam, ut ſordibus turbatæ aquæ ſuffocetur. Sæpè etiam moriuntur anguillæ, cum aqua ventorum impetu perturbatur, ubi branchiæ obdurantur, ne ſint uſui ad natandum. Huc reſpexit *Ariſtophanes* in Equitibus:

paſ-

paſſus es illud, quod illi etiam, qui anguillas venantur: nam ſi ſtagnum conſtiterit, nihil capiunt: at ſi cœnum ſurſum deorſumque vertatur, tunc capiunt. Additur ibidem *allegoria* talis. *Sicut* aqua ſtante, non poſſunt capi anguillæ: *ita* cum bonus & felix eſt ſtatus Rerumpubl. mali non evehuntur ad dignitates, & nihil lucrantur. Sed *ſicut* flumine turbato capiuntur anguillæ: *ita* cum evertitur ſtatus ſanus Rerumpublicarum per ligitioſos, bellaces, ſeditioſos, inquietos, etiam peſſimi quique ſunt in pretio, & multum lucrantur, juxta communem verſiculum:

Ἐν δὲ διχοστασίῃ καὶ πάγκακος ἔμμορε τιμῆς.

In ſeditionibus peſſimi quique honoribus ornantur. *Soli hi piſces* ex reliquis omnibus exanimes non fluunt, ſed *merguntur*, quia caro illa eſt fœculenta & pituitoſa. *Ita* mali poſt mortem in nullorum ore verſantur.

Ex annalibus Auguſtæ Vindelicæ recenſet *Conradus Geſnerus*, quod anno Domini 1125. *frigus per hyemem ingens fuerit, & plurimæ nives, ita ut in vivariis piſces propter glaciem ſuffocarentur, & anguillæ impatientes frigoris in terram proreperent, & intra fœni cumulos ſeſe occultarent, quanquam illic etiam periiſſe dicuntur.* Aliàs enim nonnunquam ex aqua egredi viſi ſunt in agros piſis vel ciceribus conſitos, licet per cineres vel ſabulum ſerpere non poſſent, apud *Albertum*. Exanimes ſolæ ex piſcibus angvillæ non fluitant, niſi cum aquis putrefactæ diſſolvantur. Zigani dicuntur angvillas equis per anum inſerere, ut inflati ſaliant & alacriores videantur, 715

CONGER vel GRILLUS valdè *ſimilis eſt oblon-*

ga

gæ anguillæ, piſcis ſcilicet longus, quandoque ad quinq; cubitos, levis, lubricus, qui ad ingentem magnitudinem excreſcit, ſicut in Gange reperiuntur angvillæ 30. pedum. *Victitat libenter & frequenter in paludibus* & ad fluviorum oſtia, ubi copia influit aquæ dulcis, & fluctus cœno commixtus fortice multo volvitur à terrâ. *Dicuntur maximè ſeipſos invicem vorare congeri,* & ſunt imago fratrum cadmæorum & amicorum inſidorum. Similima angvillæ & congro eſt *Muræna,* quæ Latinè dicitur *Fluta,* quia ſem-
716per fluit in ſuperficie aquæ. Prælongus igitur hic eſt piſcis, & ſerpentem potiùs quàm piſcem refert, & nullas habet pinnas, ſed tantùm flexuoſo corporis impulſu potiùs repit vel graditur, ſicut ſerpentes in terrâ. Sicut enim ſerpens in terrâ: ita muræna in mari ambulat, non natat. Deinde non tantùm in mari, verùm etiam in ſicco, ſicuti ſerpens repit. Sæpè enim exit in terram, & ſæpè capitur in terra, & coitum habet ſicut ſerpentes, degit etiam in cavernis ſaxorum ſicut ſerpentes. Qvid qvod & morſus ipſius eſt venenoſus, & comitantur eadem mala, qvæ comitantur morſum viperæ. *Eſt item hic piſcis libidinoſiſſimus,* & referunt aliqui, *murænam libidine plenam exire è mari, & quærere latibulum viperæ, & coire cum viperâ.* Addunt viperam interim venenum ſuum deponere, ut ſit pulchrior ſponſus. Hoc vetuſtas accommodavit ad conjuges, qvi de irâ debent remittere, ut ſvavior ſit mutua conſociatio. Verùm fabulæ huic occaſionem præbuit illud, qvod muræna exiſtimatur eſſe ſerpens. Si ferulâ percutiatur, valdè malè habet, & tamen aliis gravibus plagis non movetur. Sic multi ſunt, qvi gravius dolent propter
con-

convitia quàm propter alias magnas injurias, & rectè dictum eſt, *calumniam perturbare Cor ſapientis*. Hic 717
piſcis qvandoqve ad duorum cubitorum longitudinem accedere dicitur.

BELONE vel RAPHIS eſt *piſcis aculeatus vel acus eſt longus, tenuis & levi piſcis*, (ein Störlein) qvi habet roſtrum præacutum & durum, qvaſi corneum. Cubitali eſt longitudine & craſſitudine digiti. Hoc piſce abundare dicitur Tibiſcus fluvius Ungariæ. Serò fœtificat, & hyeme parit, & unus ex omnibus piſcibus parit dehiſcente utero, idqve fit propter duas cauſas. 1. *Quia* habet uterum non capacem, 2. *Quia* ova non qvidem habet multa, ſed tamen valdè magna. Fœtus igitur ante tempus quaſi rimam agit ſub imo ventre & ita effunditur, ſed poſtea vulnus iterum coaleſcit. *Oppianus* Græcus Poëta hoc refert de piſce hoc aculeato, *quod poſtquam laqucos & retia piſcatorum evaſerit, tamen converſus morſu eadem lacerare conetur, ſicque denticus adhæreſcat in lino, & hac ratione capiatur.* Id qvod poteſt eſſe *imago illorum*, qvi ſunt ſtudioſi vindictæ intempeſtivæ & incautæ.

Poſt illos piſces minores jam ſeqvuntur alii Cartilaginei, *Thynni, Pelamydes, Scombri* & ſimiles, qvi magno numero capiuntur in mari, & poſtea exenterantur, & dividuntur in varia fruſtra, includunturqve tonnis, & mittuntur in alias regiones, & appellantur 718
τμητοὶ, id eſt, diſſecti. Primis igitur menſibus tales piſces appellantur Cordulæ, poſtea cum creſcunt, appellantur *Pelamydes*, qvando exceſsêre tempus annuum, dicuntur *Thynni*, adhuc adultiores facti appellan-

pellantur *Orcyni*, poſt biennium dicuntur *Cete* ab inſigni magnitudine, quam ſunt adepti. *Scombri* autem ſimiles Thynnis, intra aquam habent colorem ſulphureum. Et iſti omnes ab aliquibus appellantur ſues marini, quia glandibus marinis pingveſcunt, & ita quidem, ut præ nimiâ pingvedine ſæpè diſrumpantur, neque plusquam biennio poſſint vivere. Mirabile de ipſis hoc commemoratur, quod ubicunque eos initium hyemis deprehendit, ibi commorantur usque ad tempus vernum, & latent in præaltis gurgitibus non circumvagantur. Deinde ſicuti canes: ita hi piſces in diebus canicularibus mirificè agitantur à quodam verme aſilo vel ὄςϱῳ, unde diſcurrunt quaſi furibundi, & tunc temporis parum ſunt boni. Præterea oculo dextro melius cernunt quàm ſiniſtro, unde quoties ingrediuntur pontum vel egrediuntur, ibi ripæ dextrum oculum objiciunt. Denique ex horum
719 numero ſunt aliqui, qui quoties viderint navem, gregatim accurrunt, & quaſi comitantes eam deducunt usque ad littora, ſed poſtea ſtatim regrediuntur, quaſi odiſſent terram.

GLADIUS piſcis *propter longitudinem & formam roſtri gladio ſimilem ſic dictus, ſimilitudinem habet cum Thynnis*, & fermè cetaceâ magnitudine conſpicitur. Roſtro etiam præditus eſt valdè duro, quo ſaxo poteſt confringere, perfodere naves, mergere carinas. Eſt & alius piſcis 15. pedum longitudine, qui os habet ſimile ori gruis, unde dicitur *Grus Marinus*.

SILURUS grandis eſt *piſcis, qui ubique graſſatur, & ſæpè equos natantes demergit, quia appetit omne animal.* Sua tamen ova diligentiſſimè cuſtodit,

dit, ita ut ſæpè in ipſa cuſtodia capiatur, præſertim quando cauda ſua verberat aquam, ut terreat piſces, unde etiam nomen accepit à σείω, quod eſt moveo, à vehementi motu & ſonitu caudæ.

Amia marina (ein Weiß) *ex mari in fluvios egreditur, & idcirco notus eſt piſcis, valdè audax, & qui dentibus plurimum confidit.* Etſi enim carnem habet mollem & tenellam, & ipſis Thynnis eſt imbecillior, tamen intrepidè, tùm alias belluas marinas, tùm
Delphinos à ſuo grege aberrantes aggreditur & vul- 720
nerat. Hoc autem non facit una Amia, ſed plures, quia ſocietatem amant, unde dicitur quaſi non una, & cum vident beluam, ſtatim pugnæ ſeſe adaptant, & majores circumvallant reliquos minores, ne dilabantur. Hæc eſt imago concordiæ, quâ parvæ res creſcunt. Pontum in vere ſubire dicitur, & ibi æſtatem tranſigere, idque paſtus gratiâ, qui uberior & melior eſt ibi propter dulcium aquarum permiſtionem.

ACCIPENSER eſt piſcis *inventu rarus & apud Veteres celeberrimus, quem cum cepiſſent nautæ, vel cum eum ſervi intrò ferebant in convivium, & naves & patinas, & capita coronis ornabant, & cum cantu & tibiis eum introducebant.* Et huic dicitur cognatus eſſe Elops, qui ſolus piſcis habet ſuas ſquamas verſas ad caput, cùm reliqui omnes vertant ad caudam.

SCARUS eſt piſcis marinus, cui hodiè primæ dantur partes, ſicut olim ellopi, vel ei, qui accipenſer dicitur. Appellatur etiam *Ruminalis*, quia hic ſolus inter omnes piſces ruminat cibum aſſumtum. Habet enim dentes non ſerratos ſicut reliqui piſces, ſed planos. Ideò autem reliqui piſces habent ſerratos den-

tes,

721 tes, quia cibum, quem cum humore accipiunt, non poſſunt diu continere ore, ſed ut mox deglubatur, & ita conſcindatur, opus fuit eis inſtrumento apto, nempe dentibus ſerratis. Melius enim aliquid & citiùs ſerrâ, quàm alio ferro ſcinditur. Et ſic reliqui piſces ſerratis dentibus citò & optimè conficiunt cibum, ut non opus ſit ruminatione aliqua. Ut autem natura ſeu rectiùs Deus induſtriam ſuam oſtentaret, etiam in aquatilibus, unum voluit eſſe piſcem, qui ruminaret. Et ut opus ei eſſet ruminatione, dentes facti ſunt non ſerrati, ſed plani. Porrò hic quoque ſolus piſcis *magnum aliquem ſtrepitum poteſt edere* ex reliquis omnibus. Præterea *valdè eſt libidinoſus*, & valdè etiam cautus & fidelis. Nam ſi fœmina ſcari includatur reti, & per mare ducatur, gregatim accurrunt reliqui, & ita capiuntur. Deinde quando incidit in naſſas piſcatorum, non capite ſuo prorumpere conatur, ſed *caudam obvertit foramini*, & ita laxat foramen. Hoc ſi viderit alius ſcarus, caudam ipſius mordicus apprehendit, & ita adjuvat ſocium. Si verò captivus oculis ſuis luſtrat foramen, tùm alter caudam ipſi porrigit; quàm apprehendit captivus, & ita eripitur. Si denique unus ſcarus devoret eſcam,
722 cui inſidiæ ſunt annexæ, tum reliqui ſcari dentibus ſuis lacerant lineam. In hiſce propoſita eſt *imago veræ amicitiæ*, quæ ſeſe tunc præſertim exerit, quando pericula ſunt mortis. Et certum eſt, inter populares & fratres rarò reperiri tantam fidem & conſtantiam, quanta elucet ex hiſce piſcibus. Sæpè enim fit, ut qui liberare poſſet alterum, non modò nullam adhibet manum, ſed inſuper lædit & damnum infert, & malum auget.

Anthias eſt alius *piſcis marinus, qui valdè rubeſcit, & habet caput rotundius.* Ubi ipſe degit, ibi nullum reperitur marinum monſtrum, vel belua marina, & ibi urinatores ſecurè agunt, undè dictus fuit *ſacer piſcis.* Delectatur ſtrepitu, unde evocatur ex ſuis latibulis, & ita ſæpè capitur. Cum reliqui vident unum ſocium teneri hamo ſeu funiculo piſcatorio, tum reliqui ſuis ſpinis lineam reſcindunt. Ita inter multos piſces unius generis deprehenditur fides, & magna dilectio, qualis etiam debebat eſſe inter conterraneos, inter homines unius urbis, artificii, religionis, familiæ, &c.

TURDI ſic dicuntur à colore avium hujus nominis, quem æmulantur, ſicut & merulæ. Aliàs dicuntur *ſaxatiles,* quia amant ſaxa, & habent nullas ſquamas. Mutant autem iſti colorem, quia vere ni- 723
greſcunt, ſed poſtea albeſcunt, & ſunt πολύγαμοι, multasque fœminas in abditis petris ſecum continent. Cum fœmina peperit, ibi mas adminiſtrat ei, defert cibum, cuſtodit fœtum. Cum aliquid devoraturus eſt hic piſcis, primò omnium illud frangit, deinde expectat & videt, num ſeſe moveat, ſi enim palpitat, relinquit. Quæ *eſt imago illorum,* qui fruuntur bonis juſtè partis, quæ non eripuerunt aliis, unde exoriri poterant querelæ.

JULIDES ſeu JUNCKERI etiam ſunt parvi piſciculi longitudine digiti, & ſimiliter ſic dicti ſicut turdi & merulæ. Licet autem ſint parvuli, tamen valdè ſunt pulchri, unde & pulchrum nomen ſunt adepti, & licet parvi ſint, tamen os habent refertum ſceleratiſſimo veneno, ſicut eſt apum & veſparum morſus, & tanquam muſcæ marinæ infeſtant nautas, urinatores

& reliquos piſces magno agmine; Et cum infeſtant urinatorem, tunc iimotè ei adhærent. Alii addunt, quemcunque piſcem ore tetigerint, quod illum efficiunt ineptum pro eſu hominum, & planè perinitioſum. Hoc ſi ita eſſet, tùm *eſſet imago illius*, quod ſæpenumerò ſub verbis blandis latet virus, ſicut pul-
724 chræ Julides ſunt veneno præſentiſſimo. Et parvus hoſtis non eſt contemnendus, ſicut Julides licet non valeant vaſtitate corporis, tamen aliis facultatibus pollent.

Alius eſt parvus piſciculus, qui dicitur PHYCIS, & hic ſolus *ex omnibus marinis nidum ſibi ex alga parat*, & in illo nido parere ſcribitur.

RELIQVI PISCES MARINI.

Eſſe quidam fertur piſcis, qui noctu arenæ causâ exeat in terram, unde nomen acceperit, ut dicatur ἐξώκοιτος. Magnitudine ſemipedalis, & in capite habens criſtas quasdam. Reperiri dicitur in cubili ſuo in Arcadiâ.

Alius eſt, qui infra caput ſeu gulam habet nigrum quiddam ſimile barbæ hirci, unde dictus fuit Hircus ſeu *Tragus*. *Alius eſt*, qui in capite habet altiorem criſtam, qualem ſolent habere alaudæ, unde dictus fuit *alauda*. *Alius* item habet longam cum ore proboſcidem, unde dictus fuit *Elephantus*.

GOBIO piſcis eſt *celebratiſſimus & parvus, & valdè ſpinoſus, qui tamen præbet bonum alimentum*, ſimile noſtris Percis, ſemper autem manet parvus, & ita deſcribitur ab Auſonio:

Gobio non major geminis ſine pollice palmis,
Præpinguis teres, &c.

Ex

Ex Gobionum genere eſt quædam *Apua*, quæ dicitur 725
κωβίτης, Stintz/ & dicitur vulgò, ſed malè, naſci vel
ex ſpuma, vel ex terra arenoſa (ſicut dicuntur vulgò
& malè, etiam fieri vermiculi in fimo) unde nec in-
crementum ſumit, nec diu vivit. Propter timiditatem
ita conglobari perhibentur, ut etiam curſum navis im-
pediant. Sic amici utut contemti tamen concordiâ
magnos Thraſones impedire queunt & confundere.
Aliqui appellant *Nonnatam*, quaſi nondum aut vix
natam. Referunt huc etiam illos piſces, quos vocant
Qvappos, qui ex noſtris ſunt fluviatilibus, illi dicun-
tur coire cum ranis, unde cum exenterantur, in ven-
triculo Qvapporum apparent aliqvot eminentiæ ſimi-
les pedibus raninis. Quæ eſt cauſa, quod hic piſcis
etiam vulgò eſt ſuſpectus.

Echeneis vel Remora eſt ***parvus piſciculus, æqua-
lis mediocri anguillæ, aſpectu niger, mirabili virtute
præditus.*** Nam navem plenis velis currentem ita
ſiſtere dicitur, ac ſi multis ancoris firmaretur. Qvo-
modo hoc fiat, phyſicè explicari nequit, & ſimplici-
ter Dei providentiæ adſcribitur. ***Allegoricè*** hic pi-
ſcis ſignificat ***impedimenta, quæ ſæpenumerò objici-
untur honeſtis conatibus bonorum, ita*** paupertas mul-
tis eſt quædam remora, quo minus ad altiora perveni- 726
ant. ***Multis ſcorta,*** pocula, prava ſodalitia & alia
ſunt tales piſciculi remorantes ſtudiorum bonorum
curſum. ***Alii*** verò exiſtimant, quandoq; naves in lo-
cis quibusdam algoſis & in aliis propter alias cauſas
tardari, & tunc cauſam conjici in Echeneida, quæ eo-
dem tempore navi ſeſe applicavit, quod tamen & alii
piſces facere exiſtimantur.

Μαΐνης, *Mæna, Halec,* vel halecula, piſcis eſt *notiſſimus, & incrementi parvi,* ſiquidem juſtam corporis ſui proportionem aſſecutus, non ulterius creſcit. Colorem mutat, quia hyeme eſt candidior, æſtate nigrior.

Deindè vix alius eſt inter omnes piſces, qui ſit fæcundior, unde haleces fermè totum mundum paſcunt. Præterea caro horum piſcium nativo eoq; bono ſucco conſtat, unde pleriqve piſces in mari, præſertim grandiores his ipſis piſcibus ſtruunt inſidias.

Itaque ceti his ipſis piſcibus inſidiantur, quod dum fit, haleces ad littora diſperſis agminibus approperant, quaſi poſſent effugere inſidias. Ac tùm in hominum poteſtatem veniunt non tantùm haleces, verùm etiam perſecutores ceti, & ita ſingulari Dei providentiâ duobus ſummis bonis diteſcunt, & fruuntur
727 regiones maritimæ. Hinc igitur patet Dei bonitas & ſapientia. *Nam ex hiſtoria hactenus recitatâ manifeſtum fit,* pauciſſimos eſſe piſces in illorum genere, qvi ſunt noxii & venenoſi. Contra fœcundiſſimum voluit Deus eſſe illorum genus, qui ſvaves ſunt & utiles.

Deinde niſi Deus indidiſſet piſcibus varias illas naturas, de quibus dictum eſt, haleces & ceti ſemper manerent in profunditate maris, neqve à nobis poſſent capi. Ἀντιπάθειαν *igitur voluit eſſe inter haleces & cetos,* ut nos tandem utrisqve potiremur. Verùm 1. *ſicut* haleces & ceti capiuntur, qvando alter alterum perſequitur: *ita* ſæpenumerò duo contendentes præda fiunt tertii. Et 2. *ſicut* eſt fœcundiſſimus: *ita* qvoqve congregationem & ſocietatem amat. Dum igitur

igitur in grege toto natat, præ multitudine capi non
poteſt: ſed aut hoc modo, qui jam eſt expoſitus,
aut etiam altero, qvi nunc ſeqvitur. Poſt æqvinocti-
um auctumnale ſolent ſeſe in agmina dividere, ſeu in
acies, & tunc aliquando in magnis & multis lagenis
colliguntur adeò, ut funes retium incidi oporteat, eò
qvod trahi non poſſint retia. Ubicunqve autem lu-
men ſuper aqvâ vident, gregatim adnatant, idqve fit
non niſi divino munere. Hybernis menſibus di-
cuntur abſcondi. *Cardanus* refert annuatim duas 728
tonnas auri colligi ex venditis halecibus.

Et hactenus multæ qvidem, ſed nondum omnes
ſpecies piſcium marinorum, *verùm vix præcipuæ ſunt
enumeratæ. Sicut* enim immenſa eſt copia anima-
lium marinorum: *ita* longè pluribus opus fuiſſet
commentariis. Suprà autem dictum eſt, multos pi-
ſces modò ex fluminibus excurrere in pontum, modò
ex ponto evagari in flumina. Et hæc eſt cauſa,
qvod inter piſces marinos etiam multi ſunt comme-
morati, qui reperiuntur in noſtris fluminibus. Un-
de poſthac non opus eſt prolixâ narratione de flu-
viatilibus, lacuſtribus & paluſtribus piſcibus.

CAPUT V.

DE PISCIBUS FLUVIATILIBUS, ET LACUSTRIBUS, ATQUE PALUSTRIBUS.

FLUVIATILES piſces dicuntur *illi, qui plerumque re-*

 periun-

periuntur in noſtris fluminibus, licet ex ponto, maximâ illâ piſcinâ Domini Dei Zebaoth, juxta ipſius mandatum & ſecundùm ejus providentiam deſcendant. Cum igitur pleroſqve tales jam antea in cenſu marinorum deſcripſerimus, ideò hic actum agere
729 nolumus, ſed ſtudioſos ad locum jam dictum remittimus.

Lacustres, *qui in lacubus degunt*, ſive etiam ex mari venerint, ſive fuerint in lacunas illas translati.

PALUSTRES, *qui reperiuntur in locis, ubi aqua ex pluviis eſt collecta*.

Fossiles piſces (ut obiter iterum aliqvid moneamus præter ea, qvæ ſuperius dedimus) aliqvi etiam genus illud vocant, qvod Germanicè dicitur Pitziger/ qvòd *aliquandiu in luto durare queant*. Dicuntur aliqvi egredi è flumine creſcente & per venas terræ in cellas venire, & vice versâ ex cavernis terræ in lacus, paludes & flumina, prout creſcunt vel decreſcunt aqvæ. Locis ſordidis immittuntur, ut omnia conſumant. In vitris diu aluntur & pro parvis ſerpentibus oſtentantur ab agyrtis, proverbium vulgatum hinc eſt exortum: *tàm rarum inventu eſſe bonum virum, quam piſcem ſub aratro*. Sæpè autem unus & idem piſcis prout reperitur in diverſo loco, dicitur vel fluviatilis, vel lacuſtris, vel paluſtris. Sunt etiam qvidam piſces, qui non reperiuntur niſi in uno aliqvo fluvio, verbi causâ: In Galliâ & qvidem in fluvio Pavo, eſt piſcis in aliis & noſtris fluminibus
730 & mari ignotus, qui dicitur *Attilus*, qui ex inertia dicitur pingveſcere, & in tantum quidem, ut ſæpè capiatur hamo catenato, & habeat ultra mille libras, nec niſi boum auxilio poſſit extrahi. Licet autem ingens

ſit

ſit hic piſcis, tamen *Clupea* ſeu *Aloſa* ipſum poſſe exanimare perhibetur. Mirabili enim naturæ affectione Clupea appetit ſangvinem ex vena in faucibus Attili, & hoc morſu ipſum necare dicitur. Hoc ſi ita eſſet, quod certò affirmare non poſſumus, eſſet pulchra imago Chriſti deſtruentis regnum & imperium mortis. Habemus autem alioquin pulchram iconem Chriſti, Mortem & Satanâm vincentis in hiſtoriâ piſciũ generali & in qvotidianis capturis piſcium, de quibus notari poſſunt verba hæc *Cypriani ſuper Symbolum Apoſtolorum:* Sicut hamum eſca conſeptum ſi piſcis rapiat, non ſolùm eſcam cum hamo non removet, ſed & ipſe de profnndo eſca futurus educitur: ita & is, qui habebat mortis imperium, rapuit quidem in mortem corpus Jeſu, non ſentiens in eo hamum divinitatis incluſum, ſed ubi devoravit, hæſit ipſe continuò & diſruptis inferni clauſtris velut de profundo tractus traditur, ut eſca cæteris fiat. *Hæc ille.*

In Italia in fluvio Ticino eſt piſcis quidam, qui dicitur *Thymus*, quia non olet piſculentum quiddam, ſicut reliqui piſces, ſed olet herbam ſvavem, & manibus contritam. Non autem patitur hic piſcis ſeſe ſeduci ullâ eſcâ, vel ullis aliis inſidiis, ſed tantùm comprehenditur hamo, cui affigitur animalculum, quod hominibus interdiu & noctu eſt moleſtum, Culex. Miriſicè enim delectatur hic piſcis eſu culicum. Unde iterum piæ mentes intelligunt, quem uſum habeant muſcæ & culices. Etſi nobis hominibus non proſunt, tamen avibus & multis piſcibus uſum & alimentum præbent. Quando autem Deus punire vult hominum malitiam, tum ſupra modum 731

auget, & intra oppida imprimis cogi curat hæc, & alia inſecta.

In noſtris fluminibus aliquot ſæpè parit, ſicut etiam capitur Eſo vel Salmo, der Lachs/ de quo Auſonius.

Nec te puniceo rutilantem viſcere Salmo
Tranſierim, lata cujus vaga verbera caudæ
Gurgite de medio, ſummas referuntur in undas.

Recens caro Salmonis eſt colore rubeo. Deinde nomen videtur accepiſſe à ſaltando, quia ſaltat contra montes, & magno ſtrepitu ruit in adverſum flumen.

732 In auctumno in rivulis plerumque aut in locis vadoſis Salmones junctis ventribus viſi ſunt coire, ubi poſtea ova ſabulo ab ipſis contecta fuêre reperta. Eo enim tempore maſculus captus lactibus, fœmina ovis carens, & macilentior capitur, eſui tunc ineptior. Ex ovis piſciculi in vere naſcuntur adeò molles, ut antequam digiti magnitudinem aſſequantur, manu compreſſi velut humor concretus diffluat. Ova circa natalem Domini dicuntur animari, reliqvum hyemis ſub lapidibus degunt tanquam mortui, ſolis verni calore excitantur. Hinc poſt aliquod longum tempus dicuntur egredi, mirificeque excreſcere, ut tandem ad noſtra flumina auctiores redeant. Poſt regreſſum, quando incidit Salmo in loca, ex quibus flumina noſtra altè decidunt, ibi ſaltu contrario caſum fluminis ſuperare nititur, & pergit (verbi causâ in hiſce terris à Deſſaviâ Anhaltinorum, ubi primum talem caſum Milda habet) ad alia valla, qualia octo alia ſeqvuntur, adeò, ut tandem in rivos perveniat, & ſudibus per ruſticos cædatur. Quidam in ſaltu errant, & in terram in manus hominum incidunt, Re-

Rectum autem, & mandati divini, Deut. 22. verſ.6.7. ſuperius allegati tenori congruum eſt magiſtratuum edictum, *quo cavetur, ne quovis tempore tàm hi, quàm* 733
alii piſces, ut & aves capiantur, verbi causâ, ne hi piſces capiantur à Septembri ad Decembrem usque. Vult nimirum Deus à nobis conſiderari naturam, ortum & incrementa harum ſuarum creaturarum, ſicut ſingulares naturas ſingulis ſapienti conſilio indidit, ne devoremus ſine omni pietatis exercitio piſces, quemadmodum ſus chelas cancrorum, &c. Vult item in ſpecie expendi, quàm aptè ſingulis menſibus ſingulos in uſus noſtros producat piſces, & quibus modis hoc faciat. Veriſſimum enim eſt, quod ad noſtros fluvios, & manus non accedunt piſces omnes & ſinguli ex mari præſertim, niſi tunc, cum ſunt optimi. Longè majorem benedictionem cibi experientur, qui de hiſce ſanctis admonitionibus inter menſas cogitabunt, & colloquentur. Plerique enim ſubinde piſcibus ſeſe oblectant & infarciunt, nec vel unius alicujus naturam, generationem, locum norunt.

Cæteri piſces noſtrorum fluminum ſatis ſunt noti, ut Tinca, Schley/ quæ apud Poëtas dicitur ſolatium vulgi, Alburnus, der Weißfiſch/ Erythrinus habens rubras pinnas & imprimis Carpio, qui reliquis omnibus præſtat. *Sicut autem Lucius eſt imago Tyrannorum: Ita Carpio bonorum Principum,* vel eti- 734
am omnium piorum hominum. Eſt enim ipſe ſqvamoſus, & amat greges, & victitat in locis arenoſis, non amat profunditatem. Etſi autem abſtinet à carnibus, tamen non poteſt ſibi temperari à lumbricis, à culicibus, & à muſcis, quos circa ſuperficiem aquæ poteſt capere, & in illis capiendis animadvertitur

edere quosdam poppyſmos. *Simili modo bonus Princeps* non debet veſci ſubditorum carnibus, ſicut Lucii tyrannici, qui delectantur interitu innocentum hominum, ſed tamen lumbricis, culicibus & muſcis, hoc eſt, latronibus, & aliis turbantibus tranquillitatem ſocietatis publicæ non debet parcere, ſed potius ſibimetipſi gratulari, ſi tales è medio poteſt tollere, quemadmodum carpio edit poppyſmos. *Præterea hic piſcis valdè eſt fœcundus*, quia noſter bis in anno parit, ſed in locis mari proximis quinquies aut ſexies, ubi ſæpè unam fœminam tredecim, aut quatuordecim mares ſeqvuntur, quod dum fit, ibi fœmina ova ſua emittit, & quaſi fugiendo parit. Sic igitur multa ova intereunt, ſed reſidua cuſtodire conatur mas, ut augeſcant. Aliàs plusquam in infinitum creſceret genus carpionum. Per hyemem voluta-
735 bra quædam excavata incolit, ſicut ſæpè ſues ſolent habere. Non habet os reſciſſum ſeu diſtortum, ſed compreſſum & blandum, & in pulchrum orbem compoſitum. Dentes non habet multos, eosque ſerratos, ſed duos valdè obtuſos, quin & ſpinas in dorſo habet valdè hebetes. Tales quoque debent eſſe pii Principes, omnibus affabiles, nemini noxii, qui geſtent gladium tremore & timore.

Ferunt autem de hoc piſce, quod cum fœmina ejus maximè & turgenter gravidam ſe ſentit, & tempus pariendi omninò inſtat, ore pulſuque leni maſculum incitet, ut parituram adjuvet, & quod tunc pariter ipſa immittat ova, mas ſuperfundat lac ſeu ſemen ovis, & ſemine excipiantur ova tanquam linteolo. Dicitur etiam mas ova cuſtodire, cum congeſta reperit, ſed exigua eſſet hæc cuſtodia, niſi Dei manus

acce-

accederet & providentia. Emittere dicuntur geni-
turam menſibus Majo & Junio, cum etiam minus ſa-
piunt. Referunt item, luciis & carpionibus peſtem
aliquando ingruere, indeque tumores in corpore
ipſorum apparere, carpis etiam ſqamas decidere:
itaque perire pleroſque omnes infectos, præſertim
cum in piſcinâ aut vivario plures conjunctim vi-
vunt. Aliàs etiam inſalubres carpios eſſe dicunt, 736
cum ſqvamæ defluunt, aut ſangvis circa coſtas coa-
gulatur, cum item vermes venenati branchiis adhæ-
ſerunt, quando poſtea album circa branchias in præ-
gnantibus carpionibus deguſtatur. Adeò Deus vult
nos homines non inſtar pecorum deglubere animal-
cula & plantas, ſed adhibere providam curam, dili-
gentem circumſpectionem & ſerias preces. Lingva
ſic dicta non propriè eſt lingva, ſed palatum ſuperi-
us cingens caro, quæ aſſata dicitur ab Alberto per-
dulcis, ut & aliàs marem fœminis, majores minoribus
in omni genere piſcium periti præferunt. His co-
gnatos piſces faciunt, qui vulgò dicuntur Charauſ-
ſen & Brachſen. Reliqua tùm de hoc, tùm de cæte-
ris piſcibus noſtratibus ſatis ſunt etiam vulgo nata.
Et hæc de illis quoque.

Concluſionis loco huc referatur illud, quod ſupe-
rius dictum eſt, in Lege Moyſis prohibitos fuiſſe il-
los piſces & habitos pro immundis, qui non habent
pinnas & ſquamas, ut ſint angvillæ &c. Sed conceſ-
ſos & mundos habitos, quibus ſunt pinnæ & ſquamæ,
ut carpiones. Non igitur debemus eſſe piſces im-
mundi, qui nullas habent pinnas, quibus ex fundo
maris, id eſt, ex fecibus mundi poſſumus attolli ad
ſuperficiem, ſeu ad cœleſtia. *Sicut* enim anguillæ 737
inter

inter fluctus & in fundo manent: *ita* carnei homines dediti carnalibus, apud Deum ſunt immundi. Et *ſicut* piſces carentes ſqvamis, non poſſunt mutare colorem, quia nullas poſſunt exuere ſqvamas, ſiquidem nullas habent: *ita* impii ſunt & manent immundi, quia nunquam exuunt vitia carnis. Contra pii homines ſunt mundi piſces, qui habent pinnas, id eſt, fidem, & qui exuunt ſqvamas, id eſt, deponunt veterem carnem, ſeu mutant vitia vitæ. Et hi ſuis pinnis evehuntur in altitudinem, ut poſſint comprehendi retibus, id eſt, à piſcatoribus tanquam miniſtris verbi ex mundo, tanquam ex mari transferri ad aliam vitam. Et ſatis etiam de his.

Caput VI.

DE MOLLIBUS AQVATILIBUS.

HActenus enumerati ſunt illi piſces, qui propriè dicuntur piſces, ſuntque ἔναιμοι: Deinceps ſeqvuntur illa aquatilia, quæ ſunt ἄναιμα, quæ neque ſangvinem habent, neque adipem, neque oſſa, neque ſpinas, neque venas, neque varietatem viſcerum, ſed aliquid, quod eſt loco oris, ventris & inteſtinorum. Talia ἄναιμα ſuperius quinque ſunt pro-
738 poſita, *mollia, cruſtata, teſtacea,* ζωόφυτα, *& inſecta.*

Mollia aquatilia (vulgò Araneæ marinæ) præcipua ſunt hæc quatuor, *Polypus, Sepia, Loligo, & Lepus marinus.*

POLY-

POLYPUS 1. *Caput* vulgò ſic dictum *habet latum & longum*, & in capite ſic putato nullas proëminentes proboſcides. 2. Poſt hoc caput *habet corpus quaſi nullum, aut non niſi anguſtiſſimum*, ubi tamen dici caput debet, ibi etiam ſunt oculi, os, dentes. 3. *Ex illo* auguſtiſſimo quaſi nullo corpore, ubi tamen eſt caput, *egrediuntur octo longæ quaſi caudæ diſtinctæ*, quas vocant cirros, quibus loco pedum ac manuum utitur, ein Blachfiſch mit acht langen Füſſen/ und einem gantzen kleinen Leib.

SEPIA inverſo modo ſeſe habet, *conſtatque corpore carnoſo magno, ſed capite parvo, & capiti affixis pedibus octo*, quaſi octo diſtinctis caudis, item duabus proboſcidibus ultrà pedes longiùs ſeſe extendentibus, quibus loco manuum utitur.

LOLIGO eſt quaſi *Sepia longiore corpore*, quod etiam in acutum deſinit, Sepia ein breiter Blachfiſch/ Loligo ein langer Blachfiſch.

LEPUS MARINUS ſubſtantiâ loligini, colore lepori terreſtri ſimilis, *& potius maſſa carnea, quàm piſcis eſt*, quia neque oculos, neque pinnas, neque alia 739
membra ab eo diſtincta, ibi reperire licet. Cum vivit, rubet, cùm expiravit, albicat, *unde ebrioſis præ vino rubentibus eum comparant*. Sed hæc omnia ex picturis accuratè cognoſci poſſunt & debent à ſtudioſis, ut videant, quantam varietatem creaturarum aquatilium Deus produxerit. Et quia iſti jam recenſiti piſces ſunt horrendi aſpectu externo, Deo gratiæ agi debent, quod unumquemque noſtrûm ad ſuam imaginem condidit, & corpus noſtrum in pulchram & ſuavem figuram erexit. Sed ad rem.

Hæc ideò dicuntur *mollia, quia carent ſangvine, & exterius*

exterius habent carnem & cutem, nulla oſſa, nullas etiam ſpinas, ſicut ſangvinea habent. Retinent quidem nomen piſcium, ſed tamen *impropriè dicuntur piſces.* Habent etiam talia mollia aquatilia partes quasdam peculiares externas, & internas. *Externæ partes* præcipuæ *ſunt pedes* ſeu brachia, ſeu barbæ, ſeu crines, ſeu cirri, qui in omnibus excepto lepore, reperiuntur octo. Poſtea *ſequitur caput,* quod omnibus eſt intra crura, item alveus ſeu moles corporis. *Pro linguâ* habent quiddam carnoſum, quo eſcas inter ſeſe diſcernunt, & in corpore conſpiciuntur multa acetabula. *Internæ partes* ſunt cerebrum,
740 ſed valdè parvum, venter, inteſtinum & fiſtula, in quâ continetur atramentum, id eſt, humor quidam magis vel minus ater, qui ipſi datus eſt loco ſangvinis, quem in metu effundunt, & ita aquam obfuſcant, ne poſſint capi.

Porrò carnibus veſcuntur mollia, piſcibus, fructibus etiam arborum, nullam edunt vocem, pariunt ova, & ita propagant ſpeciem. Natura ſeu ſubſtantia corporis non eſt propria caro, neque etiam nervus, ſed eſt aliquid durius carne, & aliquid mollius nervo.

Polypus ita differt à Sepià & Loligine, quod ipſe habet parvum alveum, *ſed* Sepia & Loligo habent alveos ampliores. *Deinde Polypus* habet crura longa, ſed *Sepia & Loligo* breviora. Ideoque Polypus & natare & ingredi in ſicco poteſt, ſed Sepia & Loligo tantùm poſſunt natare, non etiam ingredi in terrâ. *Præterea Polypus* nullam habet proboſcidem, ſed *Sepia & Loligo* habent duas proboſcides. *Cruribus utitur Polypus* tùm ad coitum, tùm ad capiendos cibos,

&

& ideò proboſcidem non habet; quia habet magna crura. *Contra Sepia & Loligo* habent proboſcides, quibus accipiunt cibos ex longinquo, & quibus in magnis tempeſtatibus ſeſe firmant ad ſaxa, ne exturbentur. Huc accedit, quod Polypus habet humorem ſubruffum, ſed ſepia nigrum, Loligo planè 741
rubrum, quem ſingula effundunt in motu.

Sepia autem ita *differt à Loligine*, quod *Sepia* eſt latior & durior Loligine, ſed *Loligo* eſt longior & mollior Sepiis. *Deinde Sepia* eſt aſtutiſſima inter omnia mollia, quia in magno metu effundit ſuum atramentum eoque obfuſcat aquam, poſtea aliquantiſper natando procedit, & ſeſe conſpiciendam exhibet, quaſi omninò aliò eſſet itura, ſed mox redit ſub ſuum atramentum. Non autem tantum lædit morſu, quantum mirabili humore. Et notum eſt, *aliquas Sepias* excreſcere ad duos cubitos, adeò ut mugiles, & majores alios piſces capiat. *Loligo* autem ad quinque cubitos ſolet excreſcere, & in metu quandoque volat tantâ copiâ, ut ſæpè navigia demergantur. Sed ut redeamus ad Polypum, veſcitur ipſe conchiliis, quæ complexu crurum frangit, unde ex congerie concharum cubile ipſius cognoſcitur. Apertis autem conchis ſolet injicere lapides, ne poſſint claudi, ut hac ratione fruatur carnibus concharum. Non enim eſt parvum aut non ſatis robuſtum hoc corpus, ſiquidem nullum eſt atrocius animal ad conficiendum hominem, atque hoc ipſum, unde homi- 742
nem exugit, & detrahit nautam ſub aquas, ſicque ſubmergit & devorat. *Ælianus lib. 7. cap. 11.* refert exemplum de aquilâ, *quæ conſpiciebat Polypum in ſcopulo* ſeſe tepefacientem ad radios Solis. Cum igitur

tur advolaret, ut raperet Polypum, fuit ſuperata à Polypo, & ſub aquas rapta, ſicque ſubmerſa. *Id quod eſt imago illorum Regum*, qui cum invadunt alias regiones, ſæpè captivi abducuntur, & proprias quoque terras amittunt. Polypus tamen rectè *poteſt eſſe imago avari hominis, & illiterati.* 1. *Sicut enim Polypus* non extendit ſua crura, niſi ad accipiendas eſcas: *ita tales* non niſi voluptatibus ſunt dediti. 2. *Et ſicut Polypus* aliàs ſtupidum eſt animal, ſed tamen mirabili ſolertia utitur in capiendis conchis: *ita multi ſunt*, qui nullâ in re ſapiunt, niſi quæ pertinent ad uſuras, & voluptates corporum. Atq; 3. *ſicut Polypus* penitùs exugit quicquid arripuerit: *ita* ex manibus avarorum difficulter aliquid poteſt liberari. Et 4. *Sicut ſæpenumerò Polypus* ipſe capitur, dum conchis ſtruit inſidias: *ita quoque tales avari* ſæpè in fraudibus ſuis confunduntur.

Porrò eſcarum odore alliciuntur & capiuntur Po-
743 *lypi.* Objectis enim cibis tàm firmiter adhærent, ut nullâ vi poſſint abſtrahi, imò adnatant etiam ad hominem quaſi ipſum comprehenſuri, ſed tùm comprehenduntur ipſi. *Mirabilis tamen eſt ἀντιπάθεια inter Pulicariam herbam, & inter Polypum*, quia hanc herbam ipſe non poteſt ferre, ſed continuò diſcedit. Vice verſâ immotus & quietus redditur Polypus, quando ruta in ipſum conjicitur; Et fructum olivæ tanto deſiderio proſequitur, ut illius gratiâ ſæpè in terram egrediatur, hacque ratione capiatur. Aliud exemplum recenſet *Ælianus lib. 11. cap. 6.* de Polypo, *qui in inundatione Puteolis noctu per cloacam aſcendebat in domum, ubi piſces ſaliti recondebantur, quos ipſe devorabat. Et cum mirarentur homines,*

atque

atque de auctore facti ſollicitè cogitarent, vix tandem deprehenderunt, Polypum illud feciſſe, quem etiam obſtructis viis interceperunt. Adeò initiò eſt *parvus*, ut cum ex ovo progreditur, vix videatur eſſe aranea quædam, ſed tandem vehementer augetur. *Eſt edaciſſimus, & libidinoſiſſimus*, ut ſæpè nimiâ Venere debilitatus nec cibum capere, nec ampliùs natare poſſit, ſed à parvis piſciculis exagitetur. Quando etiam hominem aggreditur, ſtàtim vis ipſius elangveſcit, ſi ab homine invertatur. *Mutat ſubinde ſuum colorem*, unde difficulter poteſt in aquis capi, & hoc ſtra- 744
tagemate, ſcilicet mutatione coloris, ſæpè decipit piſces, qui ſpontè natant ad ipſum, & ita capiuntur. Quâ in parte nobis *proponitur imago hominum verſatilium & fraudulentorum*, qui ad omnes horas mutantur, & ſunt temperantes apud temperantes, ebrii apud ebrios, pravi apud pravos, &c. Veteres Polypo contulerunt etiam non tantùm avaros bonorum accumulatores; item omnium abliguritores, *ſed etiam victoria uti neſcios; item Tyrannos & adulatores.* Polypi ſub ſaxa ſubjecti deſident, & inſtar chamæleontis in horum colorem fraudulenter ſe convertunt, ut ſaxa ſanè eſſe videantur. Atque piſces ad eos tanquam ad ſaxa adnatant, & incauti ab iis comprehenduntur. Dicuntur etiam omnia comportare ad nidum. Deinde putamina eroſa egerere, & ad ea adnatantes piſciculos venari.

Nota eſt hiſtoria de quibusdam doctis, qui inter ſeſe concertarunt, quisnam diſtichon plurimorum pedum facere poſſet. Igitur *Caſpar Bruſchius* tale protulit, in quo quadraginta quatuor millia pedum numerus contineretur.

745 *Mille equites nuper cancros ter mille vorabant:*
Atque decem Nymphis quilibet ardor erat.

Fuit is Baſileæ in arce Oporinianâ pauper, & à vicinis Abbatibus ſuſtentatus. Aliquando veſtibus novis donatus, cum prodiret in publicum,& præter morem ſalutaretur, honoraturque à plebe maximè, domum reverſus veſtes concidit, quod non domino,ſed his mancipiis fuiſſet habitus honos. *Zvvingerus* tamen non *Bruſchio* ſed *Sinapio* hoc attribuit. *Eobanus* autem *Heſſus* vicit, quia tale fecit diſtichon, continens numerum pedum 2804000.

Mille boves paſcunt vitulorum millia centum:
Muſca ſuper vitulum quemlibet una ſedet.

Adaugere potuiſſet numerum, ſi pro muſcis accepiſſet vermes millepedas in hunc modum:

Millepeda in vitulo quolibet una ſedet:

Licet mille pedes nullus habeat vermis,imò nec quinquaginta, ut refert Albertus.

Summa: Polypi caput *poteſt aliquis dici*, in quo virtutes & vitia reperiuntur: Aut *etiam de rebus*, quæ commoda & incommoda ſimul habent:

Omnis commoditas ſua fert incommoda ſecum.

746 Eſt quoddam genus Polypi teſte incluſum, & appellatur *Nautilus & Pompilus*, cujus etiam mira eſt aſtutia. Ex fundo maris emerſurus invertit ſuam teſtam, ne imbibat aquam: quando pervenerit in ſummam ſuperficiem maris, rurſus invertit, & in illa tanquam in nave ſedet, & ſuis auribus utitur pro remis, & expandit membranulam inter crura pro velo, ſicque navigat per mare, ut ex longinquo putetur eſſe nauta. *Porrò naturale eſt diſſidium inter Polypum* & *Muranam. Murana* enim dentium firmitate valet,

valet, unde abſcindit Polypo brachia, poſteaque ingreditur in ventrem ipſius. Cumque ſciat Polypum mutari, ipſa nihil remittit, neque decedit à corpore, donec confecerit, quod vult. *Simili modo aggredi debemus hypocritas*, & talis generis alios homines, neque quicquam remittere, niſi fuerint victi.

LEPUS MARINUS eſt *ſicut parva Loligo, omninò ſimilis cochleæ exempta ex tegmine, animal parvum, ferè inter Loligines aut ſepias repertum*, ſæpè etiam capitur cum aquis odore tetro. Videtur ſimile eſſe lepori terreſtri, tantum quod non habet pilos, ſed ipſorum loco ſpinas erectas, quibus læduntur tangentes.

Celerrimè natat in ſuperficie maris, & difficulter 747
capitur, quia callidè nec in rete incidit, nec accedit ad hamum, ſeu eſcam cum lineâ objectam. Mirabile eſt, quod expellitur è mari, cum ægrotat, & quod tunc pereat, quicunque tetigerit ipſum. Etſi oculos non habet, tamen præſentit pericula & cibum quàm accuratiſſimè, & impunè non tangitur. Sic Deus unicuique animalculo tantum præſidiorum attribuit, quantum ſufficit ad ejus ſuſtentationem, & ſimul ex hoc elucet, quomodo Deus absque oculis tantam vim ſeſe defendendi & pericula præſentiendi communicare potuerit. Ex his enim de immenſitate omnipotentiæ divinæ debemus cogitandi anſam arripere, quæ novit modos, qui rationi nec per ſomnium poſſent occurrere. Et ſatis de mollibus.

Caput VII.
DE CRUSTATIS.

POſtquam dictum eſt de exſangvibus mollibus, nunc ſequitur de exſangvibus cruſtatis, quæ appellantur μαλακόϛρακα, id eſt, quæ cutis loco habent tenues, ſed tamen duras cruſtas, intrinſecus autem ſubſtantiam mollem & carnoſam, atque ſatis corpulentam. Talia cruſtata ſunt 1. *Locuſta mari-*
748 *na*, ein groſſer Meer-Krebs / qui etiam hominem chelis ſuis apprehenſum ſubmergere poteſt. 2. *Cancer*. 3. *Squilla*, ein kleines Meer-Krebslein/ & 4. locuſtis ſimilimus *Aſtacus*. *Hæc noſtris vulgatis cancris omnia valde ſunt inter ſe ſimilia*, *& habent chelas pro brachiis*, non pro pedibus, quia non utuntur chelis ad ingrediendum, ſed ad cibum capiendum, habent etiam aliquid pro branchiis circa caput & fiſtulam, quibus aquam evomunt, quam una cum cibo accipiunt. *Habent etiam dentes*, & plerumque duos juxta os, & rurſus quosdam alios in ventriculo. *Ventriculus* autem ſtatim poſitus eſt juxta os, & poſt ventriculum reperitur maſſa quædam, quæ ſolet dici μύτις, quæ eſt loco cordis. Statim etiam *apparet in ipſis inteſtinum*, quod tendit usque ad extremam partem, per quod excrementa ejiciunt, & ova pariunt. In ore habent aliquid carnoſum, quod eſt ipſis pro lingvâ. *Prædita ſunt odoratu*, quia eſcis alliciuntur ex longinquo, & promiſcuè omnia devorant, lapillos, limum, algam, carnes, ſtercora. *Unà cum Luna creſcunt & decreſcunt*, aliàs autumno & vere pingveſcunt, per hyemem abſconduntur, & ſuo tempore

pore exuunt cruſtas. *Celerrimè natant* ſuis caudis & pinnulis annexis ad caudas. *Oculos habent duros,* 749
qvi extra, & intra, & in obliqvum poſſunt moveri, ideoque dicunt auctores, quòd reſpectu oculorum ſuorum nunquam retrogrediatur cancer, etſi reſpectu noſtri videatur retrocedere.

CANCER tanquam notiſſimum cruſtatum, *habet corpus rotundum, non longum,* ſicut locuſtæ éſt corpus longum. Deinde *habet Cancer denos pedes,* cum forcipibus ſeu brachiis, in quibus ſuperiorem partem movet, non inferiorem. *Præterea id quod in cancro dicitur cauda,* non eſt cauda, ſed *eſt pars corporis.* Neque illud, quod eſt ultimum planè, & conſtat pinnulis multis, propriè eſt cauda, ſed tantùm operculum annexum corpori cancri. Carent enim *cancri* caudis, ſed *locuſtæ* habent caudas, unde locuſta poteſt dici Cancer caudatus, ſed cancer eſt locuſta carens caudâ.

ASTACUS etiam *ſimilis eſt locuſtæ,* ſed tantùm in hoc differt, quod locuſta ſemper habet dextrum brachium majus, ſed Aſtacus interdum dextrum, interdum ſiniſtrum habet majus. Faciunt ſibi aſtaci, & locuſtæ cubicula in locis aſperis, ſaxoſis & cavernoſis, & inſidiantur piſciculis natantibus juxta illas cavernas, etiam majoribus, ut Murænis & ſimilibus. 750
Et eſt naturalis ἀντιπάθεια inter Polypum & Locuſtam. Polypus enim contemnit aculeos locuſtæ, & comprehenſam occidit, exhaurit ſuccum, exprimit carnes, unde adeò timet locuſta Polypum, ut ſi in eodem reti eum ſentiat, præ metu emoriatur. *Eſt hæc imago pauperum,* quorum bona rapiunt divites. *Præterea naturale eſt diſſidium inter locuſtam & murænam,*

nam, quia ſuis cornibus erectis locuſta laceſſit murænam. Etſi autem muræna adverſarii ſui aculeos mordicus tenet, tamen locuſta vincit pedibus ſuis acutis, quos tanquam manus prætendit. Ita plerumque mirabiliter puniuntur illi, qui alios provocant ad pugnam. Inter ſe quoque dimicant locuſtæ cornibus, inſtar arietum. *Matth. 3. cap.* Johannes Baptiſta in deſerto dicitur comediſſe inter alia locuſtas. Utrum autem illæ locuſtæ fuerint ex hoc genere cancrorum, infrà diſputabitur in loco de locuſtis terreſtribus.

SQUILLÆ autem ita *differunt à cancris, quod habent caudas, quibus carent cancri. Deinde* ſqvillæ ita differunt à locuſtis, quod habent plures pedes, quàm locuſtæ. Valdè igitur inter ſe cognatæ, & ſimillimæ ſunt hæ ſpecies.

751 Parva etiam *ſquilla ſocietatem init cum pinnâ*, de quâ in ſeqventi capite dicetur. Sed revertamur ad cancros, qui ſunt ſubviridi colore tendente ad nigrum præditi, quando ex aquis capiuntur. Poſt coctionem autem ideò rubeſcunt, quia per ignem copioſa humiditas eſt conſumpta, & relicta aërea, quæ plus luminis imbibit. Semper enim copioſa aquea humiditas colorem inducit nigrum, quia non patitur multum luminis imbibi. *Alvus autem totius corporis* cancri nec videtur eſſe caput, nec aliud membrum diſtinctum; *oculi* plerumque diſtant amplo ſpacio, *ingreſſus* reſpectu noſtri eſt obliqvus, *os* eſt ſub oculis, ubi etiam apparent duo dentes longi, & occultati duobus tegminibus. Quoties enim humorem accepit cancer, utroque ille tegmine os ſolet obturare, & humorem iterum evomere: Poſt os apparet fiſtula,

quæ

Digitized by Google

quæ tendit in ventriculum, ſed illa eſt valdè brevis. *Ventriculus* ſtatim ori eſt adjectus, & ex ventriculo incipit inteſtinum, quod per totum corpus egreditur, & deſinit ad externum operculum, quod impropriè dicitur cauda.

Per hoc igitur inteſtinum excernuntur excrementa, & per hoc fœminæ pariunt ova. Coëunt enim cancri, & in fœminâ intrinſecus naſcuntur ova. Suc-
ceſſu autẽ temporis ova illa excernit per inteſtinum, 752
& ea deponit in partem latam & hirſutam, quæ eſt ſub caudâ impropriè ſic dictâ. Illius operculi, de quo antea dictum eſt, non eſt alius uſus, niſi quod & ova ibi deponuntur, & quod eo utuntur in natando, cum ſcilicet retrorſum feruntur. Non tamen multùm natant, ſed ut plurimum verſantur juxta terram, & ſubeunt in cavernas, latentque quinque menſes, & in vere exeunt, deponuntque veteres teſtas, id quod vocant exuere ſenectam.

Planè igitur teſtas ſuas deponunt, ſed non prius, niſi aliæ ſub veteribus fuerint renatæ, quæ ſunt valdè molles, & ſucceſſu temporis indurantur. Poſſunt autem videri, quando coctis cancris vetus teſta detrahitur. Tunc temporis valdè ſunt infirmi, ita ut non ſatis ambulare poſſint. Deponunt autem teſtas undique, non tantum illam juxta caput, verùm cæteras omnes in ſingulis pedibus, &c. Et hæc depoſitio teſtarum *debet eſſe imago Chriſtianorum*, qui veterem carnem exuere debent, & ſæpius agere pœnitentiam. Aliàs *Cancri repræſentant malos*, qui ſemper retrocedunt in viâ juſtitiæ, nunquam promoventur, & eſt calliditas quædam in cancris. Solent
enim venari oſtrea ſeu conchas. Cum autem dura 753

ſint Oſtrea, expectant commodum tempus, dum oſtrea ſeſe aperiunt, & ad ſolem tepefaciunt. Tunc igitur cancri lapillos injiciunt in teſtas, ne poſſint claudi, & ſic fruuntur carne oſtreorum. *Baſilius Magnus* hoc accommodat ad falſos fratres, qui amicis ſuis ſtruunt inſidias, & ut rectius hoc facere poſſint, expectant & quærunt idoneas occaſiones. Annotetur alia accommodatio, quæ eſt apud Ambroſium, cancer libentiſſimè veſcitur carnibus oſtreorum. Verùm quoniam illa tàm munita ſunt firmiſſimis utrinque teſtis, ut vi perfringi non poſſint, obſervat callidè, dum ſe exponant ad ſolem, ibi dum ſe aperiunt & captant auram, cancer immittit hiantibus in os lapillum, ut teſtas reducere non poſſint. Poſtea ſatis tutò intrudit chelam, & depaſcitur. Ita cum homines ſeſe dedunt otio, & animum aperiunt voluptatibus, venit Diabolus, immittit fœdas cogitationes, iſtis peſſundat hominem.

Denique de Cancris hoc quoque notandum eſt, *quod & libidinoſi ſint & Zelotypi.* Sæpè unus mas in unâ cavernâ vel tredecim fovet fœminas. Et pro illis cum alio pugnare ſolet, adeò vehementer, ut & brachia amittat. Ita in omni genere animali-
754 um exempla occurrunt defendendi conjuges. Caro ipſa concoctu eſt difficilis, benè tamen nutrit, neque facilè corrumpitur, & optima tunc eſt, cum Luna eſt plena, & cum ipſi ſunt gravidi. Eſt quoddam genus cancrorum, quod appellant cancellos, quod ingredi ſolet in teſtas, & cum creſcit, alias quærit teſtas capaciores, & dum adhuc magis creſcit, etiam majores alias quærit teſtas. Utinam hanc prudentiam imitarentur homines, & ſingulis ætatibus vitæ ſuæ

illa

illa agerent, quæ ipſis poſſent eſſe utilia. Sed & de cruſtaris ſatis.

CAPUT VIII.
DE TESTACEIS.

TErtium genus illorum aquatilium, quæ *ſunt ἄναιμα ſeu exſangvia,* dicitur *teſtaceum, ὀστρακόδερμα,* quia habet teſtam, ſeu concham, ſeu oſtreum, ſeu conchilium, quod eſt lapidi ſimile, intus verò habet carneam ſubſtantiam mollem, planè non duram. In his tanta naturæ ludentis ſeu Dei ſapientiæ infinitæ ſuæ theſauros oſtendentis eſt varietas, ut vix numerari poſſint. *Teſta* quandoque operimentum, quandoque utrumque & internum & externum ſimul ſignificat, ut hoc loco. *Varia autem ſunt genera teſtaceorum,* tùm ſi ſpectes figuram, tùm 755
etiam ſi ſpectes carnem. Sunt enim *quædam* conchæ turbinatæ, *quædam* in anfractum intortæ, *quædam* in globum circumactæ. *Quædam* ſunt læves, *quædam* ſcabræ. *Quædam* dicuntur univalves; *quædam* verò bivalves, quia *quædam* conſtant conchis duplicibus, ita ut aperiri & claudi poſſint, *quædam* verò conſtant ſimplici valvulâ. *Quædam* item dicuntur immobiles, ita ut de loco non ſecedant, *quædam* verò moventur, ſed tamen parùm moventur. Et illæ, quæ dicuntur immotæ, aluntur dulci & potulento humore, reliquæ verò utuntur piſcibus. *Quædam* etiam habent dentes, ſed breves, acutos, duros & tenues, & eſcam ex longinquo poſſunt olfacere Et licet aliqui dubitent, utrum multæ conchæ ſint ani-

matæ, tamen inde illud conſtat, quia niſi cum ſilentio accedant piſcatores, non promptè poſſunt capere. Caro ipſis adeò arctè adhæret, ut niſi per ſummam vim à conchis non poſſit detrahi. Leves quædam digitorum compreſſu franguntur, quædam aſperæ vix ſaxo poſſunt conteri: quædam in littoribus diſperſæ jacent, quædam in árenâ, quædam ſub algâ, quædam in limo commorantur, quædam in ſaxis ſtabulantur. Videntur autem omnes illæ ſpecies oriri
756 ex limo, & ex putreſcente materiâ, & quâ etiam fieri ipſæ teſte putantur.

Celeriter enim augentur, præſertim creſcente Lunâ, quia decreſcente viciſſim etiam aliquantulum decreſcunt. Verùm de ortu omnium aquatilium judicamus firmam eſſe ſententiam, quàm ſæpè in hoc ſcripto propoſuimus, ſcilicet nihil eſſe, quod non ex ſuæ ſpeciei qualicunque ſemine proveniat, ut ſuffragantur aliqui etiam Phyſici huic ſententiæ. In mari reperiuntur non parvæ magnitudinis. Refert *Ælianus lib. 12. cap. 38.* teſtudines Gangis non eſſe minori magnitudine, quàm eſt dolium capax 20. amphorarum. Et magni maris teſtudinum conchæ dicuntur procedere ad longitudinem 15. cubitorum. In Troglodytice ſingulæ dicuntur capere 6. modios Atticos, & in Taprobanâ ex teſtis concharum faciunt tecta.

Porrò valdè inſignes ex minoribus ſunt illæ conchæ, quæ appellantur PURPURA *& conchæ* MARGARITIFERÆ.

PURPURA eſt illa, quæ *habet ſuccum & florem tingendis veſtibus aptum,* quem ſcilicet gerit in mediis faucibus, in venâ quadam candida, ſed valdè parùm,

rùm, ita ut ſit liquor ſublucens colore nigrantis ro- 757
ſæ: totum verò reliqvum corpus eſt ſterile. Quan-
do uno ictu ſaxi necantur, apta eſt ad tingendas la-
nas: Similiter ſi leviter concutiatur, ita ut non prorſ-
ſus exſpiret, ſimiliter etiam ſit inutilis. *Eſt edaciſ-
ſima, & habet longam lingvam*, ad magnitudinem di-
giti, quâ attrahit reliqua conchilia, & illius utitur pro
cibo. Hoc norunt piſcatores, idcircò piſcem quen-
dam turbinem appellatum abſcondunt in maſſam fir-
miter contextam. Delectatur enim purpura turbi-
ne, & in maſſam ingerit, & extendit totam ſuam lin-
guam, ſicque lingit piſcem. Hocque tàm diu facit,
donec lingua ita intumeſcat, ut non poſſit retrahi.
Hoc eſt *exemplum illorum*, qui voluptatibus nimi-
um indulgent, ut etiam illis ipſis magna pericula
ſibi accerſant. Cæterùm Cochleæ ſunt *imago illo-
rum*, qui non peregrinantur; & *Apelles* pingebat
Venerem ſtantem in cochleâ, ut ſignificaret, fæminæ
hanc eſſet virtutem magnam, ſi ſit οἰκουρὸς ſemper-
que domi maneat.

CONCHÆ, in quibus reperiuntur MARGA-
RITÆ, imprimis in mari Perſico degunt. Eſſe
autem mirabilis dicitur generatio unionum ſeu mar-
garitarum, & ita ſeſe habere. Tempore veris illæ 758
conchæ verſantur in ſolo arenoſo, ut ſeſe tepefaci-
tant. Mirabili igitur naturæ ordine ſentiunt ſtimu-
los quoſdam veneris, ideoque expanduntur & oſci-
ant, & implentur rore cœli, quem infra ſe conce-
ptum ex divinâ providentia ita elaborant, ut fiat quaſi
fœtus, & ut inde ſit expectandus partus, qui nihil a-
liud eſt, quàm Margarita. Hanc igitur vel ipſi enitun-
tur, vel etiã dum capiuntur, margarita ipſis eximitur.

Et

Et referunt auctores, quod in Indiæ quibusdam locis conchæ retibus capiantur, quia gregatim natant, & ceu apes habent regem, formâ & robore reliquis præſtantem. Et cum naturam ipſarum norint piſcatores, omnem ſuam induſtriam convertunt in regem. Niſi enim capiatur rex, reliquæ etiam non poſſunt capi, quia ſeqvuntur fugientem regem, ſed capto rege totus grex conſiſtit. Captis igitur eximuntur uniones, & maxima ſolet habere parvum, minima habet maximum unionem. *Quædam* prorſus ſunt inanes, *quædam* habent unum, *quædam* habent viginti, ſi capiantur & aperiantur ante *legitimum* tempus pariendi, nullus unio, ſed tantùm caro reperitur. Et ſi quæ moritur concha, etiam unio computreſcit in mari, quia unio alitur à concha. Cum
759 dimittitur, & quaſi perſoluto precio redemtionis vel λύτρω redit in mare, alios gignit uniones. Ipſa autem præſtantia unionis æſtimatur ex candore, & ex magnitudine. Et mirabile eſt, quod ſuâ naturâ ſatis probè ſit politus unio, neque admittat expolitionem manus; Si quis enim eum voluerit expolire, fit aſper, neque cedit, quaſi divinâ providentiâ prohibeatur ſeſe miſcere fraudibus. Etſi autem concha propriè eſt teſta, & caro intus latens eſt ipſa margaritifera, & unio & bacca, tamen quia commodioribus vocabulis deſtituimur, conchilium oſtreum pro uno & eodem ſumitur. Et ita eximuntur uniones ex captis conchis margaritiferis. Aliud eſt, quando ipſæ conchæ margaritiferæ margaritas deponunt, ut in fundum decidant, tunc enim piſcatores ſeſe dimittunt in mare, etiam ad 15. paſſus, & certis adhibitis inſtrumentis uniones ſeu margaritas colligunt.

Hæc

Hæc eſt Hiſtoria concharum margaritiferarum.
Salvator noſter *Matth. 13. v. 45.* Eccleſiam compa-
rat mercatori, magno ſtudio quærenti pulchras mar-
garitas, & omnia vendenti, ut poſſet emere illas mar-
garitas. Mercator igitur ille eſt genus humanum,
quod debet quærere margaritas pulchras, id eſt, ve-
ram religionem, neque arripere quasvis margaritas,
ſed tantum pulchras, id eſt, ſinceram doctrinam. Et
cum reperit margaritam pulchram, id eſt, veram re- 760
ligionem, omnia vendere debet, ut accipiat pulchras
margaritas, id eſt, mundo & omnibus bonis munda-
nis valedicendum eſt, ut fruatur verâ & ſincerâ reli-
gione. *Margarita* igitur pulchra eſt *vera religio*,
imprimis Evangelium, & in Evangelio illud dictum:
Sic DEUS dilexit MUNDUM. Imò *Biblia Sacra*
poſſunt dici Uniones, aut *Catechiſmus*, tanquam Epi-
tome Bibliorum, aut *nomen Jeſu*, continens ut epito-
me in ſeſe omnes Articulos fidei.

1. *Sicut autem Margarita* concipitur ex rore cœle-
ſti: *ita vera Religio* oritur ex rore Evangelii. De-
inde 2. *ſicut Margarita* naſcitur in conchâ marinâ, cu-
jus caro eſt dulcis & candida: *ita vera Religio* requi-
rit cor purum. 3. *Sicut Margarita* naſcitur in con-
châ ſitiente rorem: *ita vera Religio* vehementer ve-
hementi deſiderio quæri debet. Et 4. *ſicut* optimæ
fiunt uniones, quando tempeſtates maris & aëris exo-
riuntur: *ita vera Religio* ſub cruce purgatur. 5. *Si-
cut item* conchæ margaritiferæ habent ducem: *ita
Eccleſia* tanquam cuſtos veræ religionis habet caput
Filium Dei & ipſius viearios, Miniſtros verbi, tan-
quam duces agnoſcit. 6. *Sicut* autem piſcatores in- 761
ſidiantur regibus concharum: *ita* mundus imprimis
Mini-

Miniſtros perſequitur. Et 7. *ſicut* uniones proſunt contra venena; *ita* vera Religio monſtrat remedium contra æternam mortem. 8. *Sicut item* aliquæ conchæ habent unum, aliquæ duos uniones, & ſicut maxima habet minimum & contra: *ita* varia ſunt dona Spiritus S. & qui ſæpè videntur eſſe firmi, ſunt infirmi. Et hæc eſt applicatio ſecundum Veterum hiſtoriam. Alii verò uniones & materiâ concharum quâdam ita gigni docent, ſicut grando in ſuibus, & calculi in renibus. Quæ etiam ſententia probabilior videtur. Et tum *unio tamen manet imago Evangelii*, quæ portatur in vaſis teſtaceis, ſeu infirmis hominum ſeu Miniſtrorum Evangelii. *Sicut* ergo unionem non gigni voluit Deus in pavone, aut in pulcherrimo alio animali, ſed in hoc contemptiſſimo: *ita* quoque Deus non per Angelos, ſed per infirmos homines vult annunciari ſermonem ſalutis. Poſſunt autem aliæ inſtitui applicationes à quolibet.

Hoc loco volumus mentionem facere animalium, quæ dicuntur ECHINI Seeäpffel/ *qui habent fra-*
762 *giles teſtas in globum circumactas, & frequentiſſimis ſpinis undique circumvallatas*, unde accepit nomen Erynaceorum Aquaticorum. Intus non habet carnem ſicut cætera teſtata, ſed aliquid analogum & ſimile carni. Spinis utuntur loco pedum, & quando præſentiunt tempeſtatem, ſub lapidibus ſeſe occultant, ut ita confirmentur contra fluctus. Hoc cùm vident nautæ, ſciunt imminere tempeſtatem.

Ad hanc claſſem pertinent etiam turbinutarum figurarum PINNÆ MARINÆ. Steckmuſcheln/ quæ colunt familiaritatem cum ſquillis, ita ut neutrum genus poſſit vivere ſine altero. Pinnæ enim pan-

pandunt ſuas teſtas, ut pateat introitus piſcibus, & imprimis halecibus. Poſtquam igitur teſtæ ſunt repletæ piſciculis, parva ſquilla levi morſu pungit pinnam, ut ſeſe contrahat, & ita exanimet piſces, ſicque partem prædæ capit ſocius. Eſt hæc *imago ſocietatis* mutuæ.

Porrò ad conchas, quæ habet duas teſtas, pertinent etiam Ungves, id eſt, tales conchæ, quæ habent ſimilitudinem ungvium, quales reperiuntur multæ in locis arenoſis juxta mare: Suntque inter eos omnes mares & fœminæ Fingerſchalen. Denique ad concharum claſſem pertinet aliud genus, cujus externa figura repræſentat picturam externam 763
Stellarum, unde appellant *ſtellam Marinam*, Meerſtern/ Radiis quinque conſtant, qui viciſſim ex multis particulis componuntur, & in aquis mobiles eſſent, in quorum medio oris ſitus eſt, ut & quinque dentium ut in Echinis. Extra aquam apparent immobiles, ſed ſi immerſeris, & ſupinas inſtraveris proboſcides, acetabula in extrema vel quinque mollia exerere cernes, ac in pronam partem moveri. Horum ſpectacula commendant potentiam Dei. Intus habent carnem, quâ ſicut & aliis ſimilibus veſcuntur homines, exterius autem dura teſta deprehenditur. Sed & de his quoque ſatis.

Caput IX.

DE ILLIS, QVÆ APPELLANTUR ζωόφυτα, QVASI DICAS PLANTANIMALIA.

In mari aliud mirabile reperitur genus, quod appellant

Digitized by Google

pellant ζωόφυτον, quia primo conſpectu putatur eſſe planta, ſed tamen deprehenditur aliquem habere ſenſum & affectum, unde accepit nomen compoſitum ab animali & plantâ. Talia ζωόφυτα ſunt *Vertibulum, Tubera, pulmo marinus, Urtica & Spongia.*

Verbi causâ enim *Vertibulum,* quod habet ima-
764 ginem fungorum, ideò cum plantis convenire videtur, quia non niſi adhærendo ſaxis vivit, ſed cum ipſis animalibus in hoc convenit, quia tota ipſius ſubſtantia eſt carnoſa, unde cum ſecatur, inſtar ſtercoris bubuli præduri tegumentum ipſius ſcinditur, adeò ut videatur eſſe aliquid inter teſtam & corium.

Simili modo *Tubera* ſubſtantiam habent carnoſam, tantùm incubant ſaxis, neque etiam ſeſe movere poſſunt. Similis eſt ratio *Pulmonis marini,* qui etiam habet nomen ab externâ figurâ.

Urtica marina nihil eſt aliud, niſi interna caro oſtreorum, ſed caret omni teſtâ, & naſcitur in cavis ſaxis, quibus etiam utitur pro teſtâ, & ſemper manet in ſuo domicilio, unde putaretur eſſe planta. Nihilominus tamen animal videtur eſſe, quia manum hominis admotam corripit, ſæpè etiam dum ſentit ſibi admoveri manum, colorem mutat & contrahitur. Os habet in medio, unde ſi piſciculi in ipſam urticam inciderint, eos excipit, retinet & devorat. Tactu totius corporis pruritum quendam excitat, unde nomen urticæ eſt ſortita, Seeneſſel.

Externâ ejus figurâ non tam urticam quàm pulchram roſam, eamque magnam repreſentat, ut plu-
765 rimum enim pilum quendam rotundum ſuperat. Recentiores malunt non tàm animalibus quàm plantanimalibus accenſeri.

SPON-

SPONGIA eſt ultimum *ζωόφυτον*, quæ 1. ideò videtur eſſe planta, quia adhæret ſaxis, & non poſſet durare, niſi adhæreret. Præterea ideò putaretur eſſe planta, quia non habet ullam carnem, ſed potius ſubſtantiam ſimilem ſubſtantiæ plantarum. 2. Idcircò etiam planta videtur eſſe, quia oritur in rimis & cavernis ſaxorum, & habet radices, multasque fiſtulas ſeu foramina, ſic, ut etiam inde putaretur eſſe planta, quia radicibus tantum, non toto corpore, neque etiam ſaltem una parte, ſed multis partibus adhæret ſaxo. Contrà ſpongiam habere ſenſus aliquos, inde conſtat; quia iminente tempeſtate contrahitur, ſecundò, cum ſonus quidam editur, ſimiliter contrahitur; unde neceſſe eſt inferre, eam regi quodam auditu. 3. Contrahitur etiam, quando ad ipſam accedit aliquis evellendi gratiâ. Et omninò difficilius abſtrahitur, niſi clam accedat ille, & aſtutè evellat illam. 4. Quia quando evellitur, cruorem quendam ſtillat. 5. Quia ſeſe aperit, ut ingrediantur piſces, & dum hoc factum fuerit, iterum comprimitur. 6. Reperiuntur etiam 766
in ipsâ conchæ, in quibus caro eſt conſumpta, unde concluditur, ipſam ali conchis, piſce & limo. Longe autem alia eſt ratio ſpongiæ exſiccatæ, quâ nos utimur, quia illa nihil amplius olet marinæ ſubſtantiæ, licet vim ſuam aliquam retineat. Valdè enim idonea eſt, & ſalubris ad fovenda, & abſtergenda vulnera. Et Medici teſtantur, in nullâ re tàm diu poſſe contineri purum aërem, atque in ſpongiis, unde contra peſtem adhibentur ab illis, qui ægrotos viſitant, ne opus ſit imbibere aërem vitiatum, ſed illum purum contentum in ſpongiâ. Vetuſtas urticam

& ſpongiam marinam comparabat uſurariis, qui ſeſe aperiunt, ſicut urticæ & ſpongiæ, & aliorum bona deglubunt.

Judæi à multis comparantur ſpongiæ, quos exprimunt aliqui Domini, cum opus habent pecuniis.

Pro concluſione autem hujus tractatus de Aquatilibus moneo Studioſos, ut legant apud Athenæum deſcriptionem admirabilis piſcinæ, quam ex artificio Archimedis conſtruxerat Hieron rex in navi ſuâ, quæque plena fuit piſcibus. Omninò digniſſimus eſt locus ille, qui ab omnibus intus & extus benè expendatur. Docti occaſionem inde ſumſerunt
767 cogitandi, an non tale receptaculum aquarum in arca ſuâ etiam Noah fecerit, & in eo foverit piſces in uſum avium, & aliorum animalium piſcibus veſcentium. Quâ de re, ſi Deus vitam & valetudinem dederit clementer, ſuo tempore in explicatione Geneſis plura dicentur.

Quinto loco inter ſubſtantias aquatiles nunc explicari debebāt inſecta marina, ſed illa libet differre & rejicere ad claſſem reliquorum inſectorū, de quibꝰ infra.

Et hactenus de illo genere animalium, quæ dicuntur aquatilia.

PARS QVARTA.
DE SERPENTIBUS ET DE INSECTIS.
CAPUT I.
DE SERPENTIBUS IN GENERE.

POſt doctrinam de quadrupedibus, volatilibus & aqua-

aquatilibus ſequitur doctrina de ſerpentibus vel repentibus. Initiò autem notandum eſt, vocabulum ſerpentis non ſignificare certam ſpeciem, ſed eſſe ge- 768
nerale ad omnes, & quidem multas ſpecies, ut ſunt *Aſpis, Vipera, Natrix, Baſiliſcus, Draco.*

Et nominatur ſerpens animal terreſtre ſangvine præditum, pedibus carens, ſed mirabili celeritate inſtar jaculi repens. Animal dicitur terreſtre, quia propriè ſerpentes ſunt terreni, de quibus hic agimus. Alii ab his ſunt, qui in aquis reperiuntur, & præſertim in mari, qui potiùs angves indigitantur, qualis eſt *Hydrus & Cherſidrus*, de quo etiam legitur apud *Virg. in Georg.* quod deliteſcat in paludibus, inſidietur piſcibus, & cum paludes exiccantur, ſylvas petat, paſſim tamen confunduntur vocabula illa. Sic in mari magna quædam ſpecies & ſtupendæ longitudinis reperitur inſtar balænarum, quæ naves complecti ſolet, & ſæpè ſubmergere. Tanta eſt, ut ſæpè dictum eſt, creaturarum marinarum mirabilis & magnitudo, & virtus. Iſti autem, qui in aquis degunt, ſolent ſtupidiores eſſe reliquis terreſtribus. Omnia enim animalia terreſtria & aërea ſunt callidiora reliquis aquatilibus, quo etiam Christus reſpexit, cum dicit, *Matth. 10. v. 16. Eſtote prudentes, &c. Cauſa* hujus rei in promtu eſt, quod humor copioſus potius prodeſt ad augmentum corporis & ad hebetandos ſenſus, cum ſiccitas ſit mater caliditatis, ut etiam in- 769
ter homines videmus humidos non eſſe ſapientes. Unde tùm apud auctores profanos, tùm etiam ſacros non ita frequentia exempla citantur in doctrinâ virtutum, quæ eſſent petita ab aquatilibus; quàm frequentia recitantur ex doctrina reliquorum animaliū·

Accedit & hoc, quod natura plerorumque aquatilium & præſertim in mari degentium, non ita eſt manifeſta & obvia. Iſti angues, qui ſunt in aquis, naturale habent diſſidium cum cancris. Cum enim cancri valeant teſtis, ſolent illis ipſis angues comprehendere ita, ut non poſſint ſeſe defendere. Significat autem cancer ſimplicem hominem, qui ſimpliciter incedit, & ſemper retinet eandem formam, anguis verò indicat Sophiſticum, qui modo rectâ incedit, modo ducitur in gyros. Hinc facta eſt vetus fabula de ſerpente & cancro ſimul iter facientibus. Cum cancer juberet ſerpentem rectâ incedere, nec tamen ille vellet, chelis ſuis comprehenſum ſtrangulavit & dixit: *nunc eris erectus*. Simile debet eſſe præmium ſophiſticæ, ut nimirum Sophiſtæ argumentorum firmorum robore convincantur, neceſſariò nobis aſſentiantur.

Sed relictis ſerpentibus aquatilibus *redeamus ad*
770 *ſerpentes terreſtres*, qui amant loca calida: unde plures reperiuntur in Indiâ, Africâ, in locis quibusdam Aſiæ, ſicut in Arabiâ erant igniti ſerpentes, ut ex ſacris conſtat. *Naturâ enim frigidus eſt ſerpens*, unde naturaliter delectatur calidis locis. Et hic rurſus ſapientia Dei eſt conſpicienda, quæ hæc animalia pernitioſa voluit eſſe frequentia in illis locis, ubi pretioſi fructus & aromata proveniunt, quibus uti poſſent homines contra venena ſerpentum. In noſtris locis frigidis, ut fermè in totâ Europâ minus terribiles ſerpentes gignuntur, ſiquidem etiam in his non tàm præſtantia aromata, & alia remedia progignuntur, quàm fit in cæteris, de quibus dictum eſt. Etſi verò verſus Septentrionem etiam ſunt peſſimi ſerpentes, tamen

men quoad naturā veneni debiliores eſſe perhibentur.

Ut plurimum autem reperiuntur in caulis, & caſis ruſticis, in ſcopulis, in exiguis vallibus, & collibus, aggeribus congeſtis circa oppida, item in pratis, quæ ſunt propè lucos & ſilvas cæduas. In *hyeme abſcondunt ſeſe* in ſuas cavernas, ibique per 4. menſes frigidiſſimos habitant, veluti ſemi mortui, & expectant, *donec ſuo tempore Sol ingreſſus in arietem* nobis jucundiſſimum tempus vernum reducat, & tunc è ſuis caver- 771
nis, quæ ſunt ſub terrâ, ſub ſaxis & in cavitatibus arborum, egrediuntur. Illo autem tempore, quando latent, ſicut etiam tunc latent alia animalia, veneno non quidem deſtituuntur, ſed nocere nequeunt. Et quovis tempore alio, tutius tractari poſſunt ſerpentes, quando rigent. Tunc autem ſunt ſerpentes & pernitioſiſſimi, quando Sol tenet cancrum, & æſtus in terra ſunt maximi. Eo etiam tempore, quando latuerunt, plurimas ſordes contraxerunt, & oculis quaſi caliginem offuderunt, unde ſtatim poſt egreſſum ſenectutem ſuam exuunt, hoc eſt, diu abſtinent à cibo, & quærunt fœniculum, atque in loco quodam anguſto ſeſe affricant, ut hac ratione pellis detrahatur, quæ detractio pellis appellatur à *Plinio vernatio*, ab aliis *ſenecta exuta, vel exuviæ*. *Sicut* autem *latitatio ſerpentum* & aliorum animalium eſt *imago mortis temporalis: ita Vernatio partim eſt imago pœnitentiæ*, quam ſingulis annis inſtituere debent pii homines, *partim reſurrectionis mortuorum*, ubi corpora noſtra glorificabuntur. Primò autem detrahitur ſenectus ab oculis, unde imperiti exiſtimant, ſerpentes excœcari, ſed mox reliqvum caput exuitur, unà cum reliquâ parte corporis, idque ut plurimum

772 fit unâ nocte. Et hac ratione ſerpentes videntur rejuveneſcere, unde *Tibullus* conqueritur;

Crudeles divi, ſerpens novus exuit annos,
Formæ non ullam fata dedêre moram.

Ad membra & ſenſus ſerpentum quod attinet, *habent nares,* unde olfaciunt, *habent aures,* licet non ita eminentes, *habent viſcera, cor, pulmonem, ventriculum, inteſtina, ſpinas,* & qui ſunt majores, oſſa, 30. coſtas, quibus nituntur loco pedum vel crurum, ſicut ſquamis loco ungvium, *Habent arteriam, epar, ſplenem,* ſed non habent membra generationis illa, quæ ſunt in perfectioribus animalibus, quia ova pariunt ad ſimilitudinem monilis, quod & ita fœtum excludunt. Excipitur ſola vipera, quæ habet membra generationis, & parit animal vivum, unde etiam nomen videtur accepiſſe, quaſi vivipara. Sicut autem ipſe ſerpens eſt oblongus: ita omnia viſcera potius ſunt oblonga quàm rotunda. *Pedibus caret* omne genus ſerpentum, unde fabuloſum eſt, quod affertur de quadrupedibus ſerpentibus, imprimis de Draconibus, niſi qui ex imperitiâ Crocodilum, vel Lacertam, vel ſimile quippiam nominaverit ſerpentem quadrupedem, id quod fit impropriè: ſine dubio autem ante lapſum ſerpentes incedebant admodum erecto ca-
773 pite, quod poſtea Deus maledictionis ſuo decreto depreſſit. Simili modo unicum caput, & unica lingva ſingulis ſerpentibus eſt nata, & per conſequens fabuloſum, quod finguntur bicipites & bilingues, imò etiam ſerpentes octicipites. Figmento occaſionem præbuit, quod in coitu tàm arctè cohæreant ſerpentes, ut ex longinquo putetur unum eſſe corpus cum duobus capitibus. Lingùa enim valdè tenuis & longa,

&

& quæ plurimum poteſt protendi, vibratur tenuiſſimis, quaſi diſcreta, quibusdam capillamentis, unde putatur eſſe bifida. Cornua etiam nullus habet ſerpens, ſed in quibusdam in capite deprehenduntur quædam eminentiæ ſeu tubercula extuberantia & quidem carnea, quæ vulgus appellavit cornua, item coronas. Interim non negamus, Satanam hominibus talia phantaſmata quandoque objeciſſe, ut & nimis magnos fictos ſerpentes eisdem obtuliſſe, aut aliàs mirabiliter gubernaſſe motum ſerpentum, ut de magno Epidaurio Romam pro peſte depellendâ advecto conſtat: item de illis, *qui anno Chriſti 1564. in Hungariam agminatim venerunt, & occuparunt cumulos frumenti in agris poſitos. Cumque exurendi eſſent, ibi ſupremo loco major quidam ſerpens exerto capite dixit, Nolite hoc facere, quia non noſtro arbitrio, ſed à Deo huc miſſi ſumus ad perdendas ſegetes.* 774
De Epidaurio vide *Valerium Maximum l. 1. c. 8.* qui ſimilis ſine dubio fuit Diabolico illi, qui in fragmentis Danielis deſcribitur. Legatur ipſe *Valerius*. *Gula quoque longa & tenuis in ipſis deprehenditur,* unde humo ſe erigunt, ut proclivior cibus in ventriculum delabatur. Dentes habent ſerratos, (quaſi ſerra) tenui fiſtula perforatos, & in illâ viciniâ parva pellicula deprehenditur, quæ aliquâ ex parte operit dentes. In parvis illis cavernulis ſub dentibus, & in parvâ illâ pelliculâ habent venenum, & inde infundunt in vulnus, quod dentibus ſuis faciunt. Fabula enim eſt, quod ſerpentes primò dentibus vulnus infligant, & poſtea caudâ vibratâ, venenum infundant, cum ſub dentibus & ſub linguâ venenum contineri etiam ex *Pſal. 140, 4.* diſcamus, *ubi calumniatores,*

qui nocent aliis ſua lingua, comparantur ſerpentibus, qui venenum ſuum habent ſub lingvâ. *Colum propriè non habent*, etſi ita appellatur, & proprium ipſis eſt, reliquo quieſcente corpore, caput vertere in averſum. Quando natant, flexuoſis impulſibus natant, ſicut repunt nitentes ſquamis, & coſtis. *Vocem*
775 *propriè non emittunt*, ſed ſibilum longum. Mirabile eſt, ſi omninò ita eſt, quod cauda amputata ipſis renaſcatur, & quod lambendo reſtituat eroſas vel per vulnerationem abſtractas reliquas omnes partes, modò caput ſit ſalvum. Unde in certamine in gyros volvuntur, & caput diligenter defendunt. Capite enim periclitante periclitatur tota vita ipſius, unde *Genſ. 3. verſ. 15.* minatur Deus diabolo, *quod Chriſtus caput ipſius debeat conterere, tanquam antiqui ſerpentis, non dicit caudam vel corpus.* Et *caput Diaboli eſt peccatum atque mors, quæ ſunt ſublata per Chriſtum, ita ut aculeus Diaboli perierit.* Dicuntur fimo bibulo caput inſerere, ut meliùs foveatur & defendatur.

Ad victum quod pertinet, *promiſcuè omnia devorant ſerpentes*, carnem, herbas, mures, & ſimilia, inprimis verò *delectantur dulcibus carnibus avium*, quadrupedum & hominum, unde ſerpentes amant vulpes, & vulpes viciſſim ipſos ſerpentes, quia utrumque genus gaudet cavernis & cadaveribus, & videtur anguis dici ab angulis, coluber à colendis umbris. *Et ita ſerpentes, hoc eſt Sophiſtæ*, atque vulpes, hoc eſt, hypocritæ inter ſe colunt familiaritatem. Delectantur etiam lacte, & Medici ex corporibus, in quæ
776 unâ cum potulentâ aquâ pervenerunt ova ſerpentum, lacte adhibito provocant ſerpentes. Etſi etiam exiguum aliàs habent deſiderium bibendi, tamen vino præ-

no præter omnem modum delectantur & adeò vini
ſunt incontinentes, ut hac ratione capiantur.

Vaſa enim fictilia propè ſepes diſponuntur, unde
cum bibunt & inebriantur, ſine negotio capiuntur.
Carnes verò quas accipiunt, exugere ſolent, ſed intus
non foris, quia foris exugere carnes proprium eſt a-
ranearum. *Diu tamen vivere poſſunt absq; cibo*, præ-
ſertim per hyemem, cum latent. Mirabile eſt, quod
ſi arundine tangatur ſerpens ſemel, ſtatim obſtupe-
ſcit: Si verò ſæpius arundine percutiatur ſerpens,
colligit & firmat ſeſe. Nunquam etiam ſerpentem
videri in trifolio, annotavit Plinius, id quod eſſe *po-
teſt typus nominis S.S. Trinitatis*, ad cujus mentionem
expaveſcimus. Eraſmus interpretatur de libris bo-
nis & ſanctis, unde nullum incommodum lectoribus
eſt metuendum. Illud quoque obſervatione dignum
eſt, quod *Plinius* ipſe expertus eſt, *de ἀντιπαθείᾳ in-
ter ſerpentem, & fraxinum arborem*, illiusque um-
bram. Neque enim juxta fraxinos repere audent
ſerpentes, neque ferre poſſunt vel ingredi umbras
ejusdem arboris, præſertim matutinas, & veſperti- 777
nas, adeo ut ſi circulus conſtituatur non plenus, ſed
cujus initium fiat utrinque ab umbra fraxini, atque
in illo circulo non pleno extruantur ignes, & in me-
dium conjiciatur ſerpens, potius per ignes, quàm per
umbram exitum ſit quæſiturus ſerpens. Hæc *fra-
xinus eſt imago piorum Principum*, qui non patiuntur
ſub ſuis frondibus, & ſub umbra quieſcere ſerpentes,
id eſt, impios Sophiſtas, & venenoſos hæreticos. I-
pſum venenum ſerpentis videtur eſſe fel ſeu bilis ſer-
pentis.

Hujus autem humoris acerrima mordacitas etiam

in aliis corporibus eſt nota, modo autem illud venenum eſt deterius, modò verò non ita pernitioſum, pro varietate nutrimenti. Nam qui ſerpentes paſcuntur in Syria & in Arabia, inter frutices balſami, iſti minus ſunt metuendi, & in Syriâ tanta eſt manſuetudo ſerpentum, ut non noceant Syris, ſed tantùm peregrinis. *Quæ eſt imago multorum hominum ruſticorum*, qui tantum ſunt manſueti erga ſuos notos, ſed imites & inclementes ergà exteros. Et hic rurſus apparet benignitas Dei, quod, ubi multi ſunt ſerpentes, ibi tamen minus ſint metuendi. Omnes autem magis ſunt noxii, quando tunc lædunt, cum devorarunt aliquem ex ſuo genere. Etſi au-
778 tem valdè noxium eſt hoc genus animalium; tamen divina bonitas aliqua nobis monſtravit remedia. *Convertuntur enim ſerpentes in fugam*, 1. *Suffitu cornu cervini, item pelle & adipe cervi*; Urticâ combuſtâ, ſulphure, bitumine, radice roris marini, &c. & ſuperius dictum eſt in 1. Tractatu de naturali *ἀντιπαθεία* inter cervos & ſerpentes. Cervi ut & ciconiæ veſcuntur ſerpentibus, cervis & ciconiis viciſſim veſcuntur homines. 2. *Subſtratis caulibus* criſpis, Calaminthâ humidâ, Polio montano, Bugloſſo ſilveſtri, Origano ſeu Majorana ſilveſtri, Abrotano, Pulicaria. 3. Et ut bonitas Dei præſentiſſima cerneretur, *ſaliva hominis fugat ſerpentem*, præſertim jejuni, & ſi in os ſerpentis penetraverit, etiam interimit ſerpentem. Et ſicut inter vivos cancros & ſerpentes naturale eſt diſſidium: ita quoque durat poſt mortem hoc. Nam ſuibus percuſſis nihil tàm benè medetur, quàm cinis cancri.

Præterea peregrinantibus Phyſici præcepta quædam

dam præſcribunt. 1. *Ne faciant iter per loca periculoſa, niſi prius cibum ſumſerint.* Corpori enim jejuno infixus morſus ſerpentis magis eſt pernitioſus, quia tunc venæ & arteriæ ſunt vacuæ; & citò admittunt venenum, præſtantiſſima item membra, 779
cor, epar & cerebrum minus ſunt fortia, nec ſeſe ſatis poſſunt defendere contra venenum. Quando vero cibum cepit homo, venæ replentur novo cibo, nec præbent tranſitum veneno. 2. *Ne faciant iter, niſi quando calor Solis eſt remiſſior,* quia cum intenſiſſimus eſt calor Solis, ibi plurimum habent veneni, fortius mordent, plus veneni infundunt, & acrius lædunt. 3. *Ne faciant iter, niſi cum ſerpentes quoque ſunt paſti,* quia tunc fiunt mitiores, & pacatiores: Tunc autem conſtat eos eſſe paſtos, cum abduntur & latent. 4. Ne, *cum iter faciendum eſt, per muſcum & herbas incedamus,* ubi ſeſe ſolent abdere: *Neque etiam attingenda ſunt ſaxa,* præſertim in compitis, ubi utplurimum reperiuntur. Notandum illud quoque eſt, quod & veſpæ & muſcæ, tanquam quotidiana animalcula plurimùm ſæpè nobis poſſint nocere, quando ſcilicet guſtarunt ſerpentes. Guſtatis enim ſerpentibus, ſæviores ſunt in morſu, præſertim cum ſerpens incipit putreſcere: aliàs multi populi aliquos ſerpentes comedunt hodiè, abſciſſis capitibus & caudis. Periculoſior etiam eſt morſus fœminarum, quàm maſculorum. Et inde cognoſcuntur fœminæ, quod habent fauces magis patentes in ſuo genere.

Plinius refert, naſci quosdam ſerpentes ex medul- 780
lâ ſpinali hominis. Quod ſi ita eſſet, inſigne *eſſet documentum graviſſimæ iræ divinæ, de qua* loquitur

ipſa

ipſa Sacra Scriptura mox ab initio Geneſeos. *Phil. Cam. in Succiſ. c. 11. ex Plin. 10. 16. & Plutarchus in vita Clement.* probare conatur, angues ex medullâ cadaveris humani naſci. Sed quæ ibi adducit, ſi exactè examinentur, longè aliud prodent. Serpentes in ſepulchris humanis naſci, libenter concedimus, ſed ex medullâ humanâ eos naſci, negamus.

Porrò *ſicut* ſerpente *ſumus decepti, ita vice verſa ſalvamur per illum*, quem repræſentabat ſerpens æneus in deſerto *Num. 21.* 1. *Sicut enim Iſraelitæ lædebantur ab ignitis ſerpentibus*, id eſt, à talibus ſerpentibus, quorum morſus inflammabat membra interna, ita ut ſequerentur morbi non tantùm acutiſſimi, verùm etiam mors ipſa: *ita per Diabolum tanquam antiqvum ſerpentem vulneratus fuit Adam*, & tantum accepit morſum, ut corpus & anima interiret. Omnes enim facultates corporis & animæ ex veneno illo afflatæ degenerarunt. 2. Verùm *ſicut Iſraelitæ ſervabantur ex intuitu ſerpentis ænei*, qui ſimilis quidem erat reliquis ſerpentibus, ſed nullum
781 habebat venenum: *ita quoque genus humanum reſtituitur per illum*, qui ſuſpendebatur in ligno, & ſimilis eſt nobis hominibus, ſed tamen caret peccato. 3. Et *ſicut* ſerpentem non vivum, ſed *mortuum ſuſpendebat Moyſes: ita mori oportebat Chriſtum pro nobis.* 4. Et *ſicut* non poterant ſervari Iſraëlitæ, niſi *qui aſpiciebant ſerpentem brutum: ita nemo ſalvabitur*, niſi qui mortem Chriſti ſibi applicabit.

Obiter: Fabuloſum eſt, quod aliqui jactitant, ſe eſſe poſteros ex familia Apoſtoli Pauli & poſſe ad exemplum Pauli *Actor. 28.* ex ſui corporis ſubſtantia & vi mederi morſibus ſerpentum, ſicut etiam quidam fabu-

fabulantur, Regibus Galliæ naturale eſſe, ut ſuo contactu certos morbos tollere poſſint ſinguli. In Africâ Libycam gentem liberos vix natos ſerpentibus projicere, & hoc pacto conjugum pudicitiam examinare, referunt, cui ſimile eſt examen veneficarum, quas in aquas alicubi in Germania conjiciunt, reasq; faciunt quotquot ſupernatant, abſolvunt verò quotquot ſubmerguntur. Utraque hæc probatio ſine dubio inventa eſt per eum, qui eſt homicida ab initio & de utraque graves rationes reddere Deo quisnam poterit? An nudo homini parcat, veſtito noceat ſerpens, periti inquirant.

Ex hac narratione generali de ſerpentibus, 782
quilibet deprehendere potuit, *hoc genus animalium eſſe venenoſum, illiberale, perfidum, callidum, inſidioſum & nobis imprimis inimicum*, ſed non nobis tantùm, verùm cæteris omnibus animalibus exoſum, ita ut videatur gerere bellum cum totâ naturâ, præſertim cum mox ab initio mundi paſſum fuerit diabolum abuti ſuâ calliditate. *Quæreret* igitur aliquis, quo in *Matth. 10. v. 16.* Chriſtus nos revocet ad ſerpentes, cum Apoſtolos ita alloquitur, *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* *Alii* hanc aſtutiam ſerpentum nobis commendari putant, *quod ſerpens in dimicando diligenter defendit ſuum caput*, ut ſciamus nobis Chriſtianis in pugnâ cum hæreticis & cum mundo, Chriſtum, tanquam ſummum caput religionis noſtræ, diligentiſſimè eſſe propugnandum. *Alii* alias inſtituunt collationes, de exuendâ ſenectute, & de cæteris, de quibus paulò ſuperiùs eſt dictum. Verùm ſi conſideretur ſcopus illius loci, facillima erit explanatio. Chriſtus enim dicit, ſe emittere Apoſtolos, tanquam oves inter lu-

pos, id eſt, Apoſtolos futuros exoſos propter miniſterium Evangelii toti mundo, ſicut adhuc hodiè Mi-
783 niſtri ſunt contemtiſſimi omnium hominum. Sicut igitur ſerpens, cum noverit, ſe eſſe exoſum homini & animalibus brutis, ſapienter declinat de viâ, abdit ſeſe, non temerè objicit ſeſe periculis, non meditatur pugnam, non provocat alium. Ita Apoſtoli & pii Miniſtri in hoc mundo ſibi exoſo non temerè debent verſari, non ſeipſos objicere periculis, ſed quantum ſalvâ conſcientiâ & religione poſſunt declinare inſultus hoſtium, defendere caput, Chriſtum, neque vitam temerè profundere, niſi in caſu confeſſionis. Huc referantur jam reliqua capita calliditatis, quæ in ſerpentibus deprehenduntur: Et ne putemus, Chriſtum nobis commendare fraudulentam aſtutiam, idcircò mox ſubjicit: *Et ſimplices ſicut columbæ*, quæ faciunt ſuum officium, in omni tranquillitate & ſecuritate, & eventum commendant Deo, licet expoſitæ ſint omnium rapinis & telis. Etſi igitur Miniſter verbi hoſtes habet infinitos, tamen cum manſuetudine & tranquillitate columbinâ ſuo munere fungi debet, neque deſerere ſtationem, nec unquam ulla pericula amare temeraria, ſed qua poteſt ſalva conſcientia, ea vitare & declinare ſtudebit. Cætera de columbis propoſita fuerunt ſuperiùs Tractatu ſecundo. Et tantùm de ſerpentibus in genere: nunc ſequitur de ſpeciebus.

784

CAPUT II.

DE ASPIDE.

POſtquam de ſerpentibus in genere dictum eſt: con-

conſequens eſt, ut de ſpeciebus præcipuis agatur. Etſi autem valdè multa ſunt genera horum animalium, tamen præcipuæ ſpecies ſunt *Aſpis, Vipera, Ceraſtes, Hæmorrhous, Seps vel Sepedon, Dipſas, Natrix, Amphisbæna, Scytale, Querculus vel Chelydrus, Cenchris vel Cenchrene, Baſiliſcus, Draco,* de quibus ordine.

ASPIS igitur 1. *primum locum obtinet inter ſerpentes, & non reperitur in Europâ ita frequenter ſicut in Ægypto,* juxta ripas Nili & alibi, Cervicem habet latam, & tumidam, & juxta oculos duo tubercula, quibus efficitur, ut oculi ſint cavi, & ſic quodammodo hebetiores, cùm aliàs à natura oculos obtuſos acceperit. Hujus ſerpentis alia tria genera recenſent auctores, ex quibus præcipuum eſt unum, quod dicitur Ptyas ab expuendo, quia ſalivam venenoſam habet, & callidè tanto intervallo accedit ad animal, quantum putat ſufficere, ut ſuam ſalivam infundere poſſit. Quanta ſit lenitas, ſed tamen quam præſentiſſima pernities veneni Aſpidum, vel ex ſolâ hiſtoriâ Cleopatræ notum eſt. *Cum enim Auguſtus Cæſar ad* 785
ipſam cum exercitu adventaret, & ea metueret, ne in hoſtium manus veniret, de morte ſibimetipſi conſciſcendâ cogitavit. Quæſivit igitur ex circumſtantibus, quænam mors eſſet ſine acerbo doloris ſenſu. Quæ enim infertur gladio, illa eſt doloribus pleniſſima, ſicut apparet ex vulneribus. Quæ verò ſequitur ex propinatis venenis, valdè eſt acerba, diuturna ſeu tardior & laborioſa, quia ſequitur convulſio & quaſi quædam ἐπιληψία, *cor, ſtomachus & alia membra diu dolent vehementer, ita ut vix poſſit extingvi vis ipſorum, id quod experientia teſtatum fecit, quando maleficis ad ſupplicium deſtinatis cicuta vel aliud genus veneni*

veneni fuit propinatum, ubi illi ægerrimè, tardiſſimè & miſerrimè expirarunt. Itaque his generibus mortis relictis ad Aſpidem confugit Cleopatra. Veſtigia enim morſuum quos infligunt Aſpides, tàm parùm apparent, ut vix acerrimo viſu præditis indicia aliqua occurrant. Nam tanquam acus vix videtur cutem pungere, & per foramen illud parvulum transmittit venenum acutiſſimum, quod mirabili celeritate ſub cute ad intima membra delabitur. Itaque Cleopatræ mors difficillimè poterit comprehendi. Præterea hujus veneni tanta eſt vis, ut vulnus omninò ſit
786 incurabile, & ſequatur magna convulſio ægerque vix per pauciſſimas horas poſſit ſupervivere. Mitigari quidem poſſunt dolores, ſed tamen in integrum reſtitui nequit homo.

Ælianus lib. 9. cap. 62. aliud exemplum, *quod Romæ accidit in foro tempore Pompeji.* Cum *enim circulator quidam conſueviſſet cum Aſpide converſari, eique admoveret brachium mordendum, & ex impreſſo morſu malum exugeret inſtructus quodam remedio: ibi alter quidam remedium ei ſubtraxit, & circulator paulò poſt ſine doloris ſenſu mortuus fuit. Aſpidis autem morſus adhuc pernitioſior eſt, ſi ranam prius comederit.* Tanta igitur eſt malitia hujus veneni, cui tamen acetum reſiſtere mirabili exemplo compertum eſt, de quo *Plinius lib. 23. cap. 1.* Cum enim quidam acetum geſtaret, & ab aſpide morderetur, nihil ſenſit, ſed quoties acetum deponeret, ſtatim dolor ingruebat. Etſi verò admodum pernitioſus eſt hic ſerpens, tamen apud Ægyptios cicurari ſolet, & appellatus à pueris ex caveis prodit, accedit ad appellantes. Evocatur autem crepitu digitorum, & accedit ad menſas,

ſus, ubi diſponunt ei vinum & mellitas particulas, quibus veſcuntur Aſpides. Et noctu etiam in tenebris ſurgentes homines iterum crepant digitis,& mox 787 ſecedunt ſerpentes,ne conculcentur. Adeò nulla tàm eſt ferox bellua, quæ nón poſſet inſtitui, & quæ beneficiis demulceri non poſſet.

2. Præter malitiam inſignem veneni, *etiam magna aſtutia reperitur in hoc ſerpente.* Nam triginta diebus ante exundationem Nili diſcedit, atque in herbis ſeſe occultat, ita ut tantùm eminentiæ capitis extent, quas captare cupientes aviculæ enecantur ab aſpide.

3. *Maximus eſt amor inter maſculum & fœminam aſpidem.* Et ſi alteruter fuerit læſus, tùm ſuperſtes auctorem cædis perſequitur; imò in magno cœtu hominum ſine timore ipſum inveſtigat, & inveſtigatum ulciſcitur. Naſcuntur tales ſerpentes longitudine 5. cubitorum, & quemadmodum dictum eſt, non tàm pollent viſu, ſed plus valent auditu, id quod ex providentiâ divina factum eſt, ne nimium nocerent hominibus. Et huc reſpexit Scriptura, quando *Pſal. 58. v. 5.* dicitur: *Furor illis* (impiis Gnathonibus Saulis) *ſecundum ſimilitudinem ſerpentis ſicut Aſpidis ſurdæ & obturantis aures ſuas* (ſcilicet extremitate caudæ) *quæ non exaudiet vocem incantantium, & venefici incantantis ſapienter.* Exiſtimant autem aliqui 788 ſerpentes poſſe agnoſcere clandeſtinum veneficum, cui ex permiſſione divinâ Diabolus dederit poteſtatem in ſerpentes, ita ut incantare eos poſſit. Sed *Franciſcus Valleſius* in phyſica ſacra dicit, *Poëticum hoc eſſe in Pſalmo, ſicut in libro Judicum c. 9. reperiuntur quædam figmenta poëtica, ut Philoſophia appellat, id eſt, Similia.* Et exiſtimat ſimilitudinis illius hunc eſ-

ſe ſcopum & ſenſum: *Sicut* Aſpides caudis ſuis claudunt aures, ne audiant vocem incantatoris: *ita impii* & præſertim adulatores Saulis non moventur concionibus Miniſtrorum. At omninò veroſimilior eſt ſententia, textum reſpicere illum ſerpentem, qui à Diabolo in gratiam incantatoris regitur: Vide etiam *Eccleſiaſtem cap. 10. 11.* Item *Jeremiam cap. 8. Minatur Deus ſerpentes non incantatos, h. e. feroces, qui per ſe graſſabuntur præcociter, non expectabunt vocem regentis alius.* Valdè autem jucunda eſt illa accommodatio Davidis, quod *impii* non volunt audire verbum Dei, ſed contumaciter claudunt aures, ſicut ſerpens caudâ tegit caput, ne quid exaudiat. Alias *Pſ. 13. & 140. v. 4. Calumniatores* comparantur *veneno Aſpidum. Sicut* enim hoc venenum eſt inſanabile: *ita*
789 calumnia multis affert extremum exitium. *Senis* etiam lingva à multis comparatur cum lingva ſerpentis, quâ de re ſic ſcribit *Innocentius* adductis verbis Pſalmi: *Acuerunt lingvas ſuas ſicut ſerpentes, venenum aſpidum ſub lingvis ipſorum: Senex eſt tardus ad audiendum, velox ad loquendum, vituperat modernos, commodat præterita, quia omnia membra in ſene deficiunt, exceptâ lingva, quæ nunquam in ipſo quieſcit.* Nam lingua ſerpentum propter velocitatem videtur bifurcata: Sic ſunt, qui in præſentiâ loqvuntur bonum, ſed in abſentiâ malum proferunt. Et *Eſa. 59. v. 5. 6.* dogmata *hypocritarum* conferuntur *cum ovis Aſpidũ.* 1. *Sicut* enim ova ſerpentũ ſunt ſimilia monilibus aureis: *ita externa forma* hypocritarũm eſt ſuavis. 2. *Sed ſicut* ſub ovis aſpidum delitеſcit pernitioſa bellua: *ita* ſub doctrina hypocritarum nihil niſi virus ſubeſt. Imò 3. *etſi* ſævum eſt venenum Aſpidum: *tamen* ſævior

vior eſt doctrina hypocritarum,quæ non tantùm cor-
pus, ſed & animam perdit. Et 4. *ut* aſpis calliditatem
magnam habet: *ita* hypocritæ ſunt valdè ſapientes.
Denique *Job. c. 20. v. 16. Felicitas malorum hominum*
in hac vita dicitur talis eſſe, quod licet innumeris api-
bus, tamen nihil amplius reportent, quàm quod bona 790
eorum tandem convertuntur in fel Aſpidũ, id eſt,quod
de ipſorum bonis non gaudent hæredes, ſed potius ſi-
cut fel ſeu venenum Aſpidum eſt lethale: ita impio-
rum bona liberis fiunt cauſâ & occaſio magnorum
malorum & exitii æterni. Sed ſatis de Aſpide.

Caput III.
De Viperâ.

Vipera eſt *ſecundum genus ſerpentis, album ſeu pallidum, & collum habens non tumidum ſicut aſpis, ſed tenue,* ita tamen ut reliqua pars corporis proximè ſequens collum ſit amplior. In Europâ valdè parvas & breves habemus viperas: in Græcia, & in locis vicinis, cubitali longitudine reperiuntur in montibus Aſiæ, ſeptendecim cubitorum longitudine in Æthiopia. *Fœmina habet cervicem & ventrem latiorem quàm mas, & caudam veluti mutilam:* tardè reptat per dumeta. Mas autem ita commotus ſurſum erigit ſquamas, quas habet, inſtar carnis vel apri, tunc etiam oculis corruſcat, & lingvam exerit, eamque veluti bifidam oſtentat. Viatores ſolent nominare Cocytum. In vulnere humores corrum-
pit, ita ut palleſcant, & non partes tantùm aliquæ in- 791
tumeſcant, verùm etiam totum corpus, ut fiant veſicæ, ac ſi ambuſtæ eſſent partes corporis. Cutis modò

vireſcit, modò purpuraſcit, quæ omnia ſunt indicia putredinis. Atque ut melius intelligatur pernicies hujus veneni, narrat *Mathiolus, ſibi viſum eſſe ruſticum, qui cum falce pratum demeteret, forte fortuna viperam mediam diviſit. Cumque putaret ipſam eſſe mortuam, alterum fruſtum, ex quo caput propendebat, manu ſua comprehendit.* Sed fera irritata caput vibravit, & digitum ruſtici acerrimè momordit. Hunc, ſicut fieri ſolet, ſtatim ori ſuo admovet, expreſſurus ſaniem, cum qua venenum accepit, & ex templo mortuus concidit. Hinc ergò fit, *quod peſſimos calumniatores, & venenatos ſycophantas appellamus viperas,* quia ſicut vipera iram habet & venenoſitatem plusquàm vehementẽ; ita ſæpè tales irritati ſycophantæ plurimum nocent. Hinc etiam factum eſt, quod Chriſtꝰ *Matth. 23.* & alibi, *falſos doctores appellavit ſerpentes, & progeniem viperarum.* Et tartari tela ſua ſolent tingere ſanie viperinâ cōmixta cũ ſangvine humano, quâ ratione plurimùm nocent Chriſtianis. Huc item pertinet proverbium: *Aſpis à viperâ mutuò ſumit,* cum unus hæreticꝰ mutuatur argumenta ab altero hæretico ad-
792 verſus veritatem veræ Eccleſiæ, aut cum malum à pejore efficitur deterius. Porrò licet vipera venenum habet præſentiſſimum, tamen ſputum humanum mirabili virtute ipſi reſiſtit, ſi nimirum collum ſummâ cautione contineatur, & in os diductum expuatur. Tunc enim in ventrem delapſum ſputum tantæ eſt pernitiei, ut inde ex tabe putreſcat, in Troglotydice ſimiliter ſicut in Æthiopia 17. cubitorum magnitudine reperiuntur viperæ. De generatione viperarũ catulos vivos parientium obſervari debent diverſæ ſententiæ Auctorum, & verior retinenda. Apud *Herodo-*

rodotum ſcribitur, *quod in fine coitus collum mariti comprehendat, & ipſum ſtrangulet.* Similiter cum vipera dicatur quaſi vivipara, quòd pariat non ova, ſed omninò vivum animal, pulli ante tempus egreſſuri vi matris alvum diſtrahere perhibent, ut ita ſemper in partu occumbat fœmina. Fœmina igitur ſecundũ hos interficit marem in coitu, ſed liberi ulciſcuntur parentem, & interficiunt matrem in partu. Dicit autem Herodotus, hoc ideò factum eſſe ab ipſo Deo, ne venenoſa animalia in immenſum creſcerent: Cùm contra valdè fœcunda ſint illa animalia, quæ plurimùm proſunt, ut columbæ, oves, aviculæ, &c.

Aliqui *hanc commemorationem applicant ad garrulos*, qui ſibi ſub fide ſilentii commiſſa ante tempus revelant, & ſæpè hâc ipsâ ratione malum cacant ſibimetipſis; *item de illis*, qui ſecreta curioſiùs rimantur, & effutiendo mala ſibi creant: *Item de animo concipiente livorem*, propter quem ipſe ſimul poſtea interit: Item *de meretrice & adultera* tantùm voluptatis cauſa maritum admittente & amaſium. Verùm res ita ſeſe non habet. Nam Apollonius apud Philoſtratum dicit, ſe vidiſſe Viperam lambentem catulos. Præter Apollonium ſunt multi veteres & recentes Auctores, qui experimentis certiſſimis explorarunt viperam marem & fœminam coire, fœminam impleri & gignere, catulos prodire ſalvis parentibus. 793

Deinde paſſim Phyſici commemorant, Viperam ſerpentem ſæviſſimum omnium reptilium coire cum Murænâ marinâ. Hoc etiam annotavit Baſilius in Hexaëmero. Dicunt igitur, Viperam expetentem nuptias Murænæ accurrere ad mare, & ſibilo ſignificare ſuam præſentiam, atq; ita evocare Murænam ad

 nuptia-

nuptialem complexum. Muræna dicitur obedire, & nuptias cum ipsâ celebrare. Vipera tamen prius deponit venenum, & illud poſtea recolligit.

794 Etſi verò hoc quoque negatur à recentioribus Phyſicis, qui probant viperam cum viperâ coire, & vivâ manente viperâ gigni vivas viperas, & deprehenſas viperas lambere catulos, cum ſæpè homines interficiant liberos, tamen *Baſilius* duo inde deducit. 1. Dicit, *hoc eſſe adulterium naturæ*, quando Vipera coit cum Muræna, & hinc jubet diſcere adulteros, quibusnam beſtiis ſint ſimiles. 2. Docet *maritimum in conjugio debere imitari viperam, & deponere venenum*, ſeu crudelitatem propter reverentiam conjugii, ne ſit Leo in domo. Vice versà uxor ferre debet maritum, ſive fuerit aſper, ſive implacidus, ſive ebrioſus, &c. quia ipſi ſit unitus. Percuſſor eſt? at vir: ebrioſus eſt? at unitus ſecundum naturam: aſper & implacidus? at membrum jam tuum, & quidem præſtantiſſimum, inquit Baſilius.

Porrò etſi Balſamum tanquam res præſtantiſſima paſſim celebratur, tamen ſucco ipſius utuntur Viperæ, & magna agmina earum fruticem veluti obſident, delectantur etiam umbrâ foliorum, cum tamen ſuccus balſami ſit remedium optimum contra venena. *Sic Viperæ, id eſt, hæretici utuntur balſamo,* id eſt, abutuntur voce doctrinæ cœleſtis. 1. Et *quemadmodum Vi-*
795 *peræ* convertunt balſamum in venenum: *ita hæretici* torquent Scripturam pro ſuis nugis. Sed 2. *ſicut* nihilominus balſamum rurſus fit remedium contra venena: *ita quoque verbum Dei* prodeſt ad refutandas hæreſes. *Mirabilis etiam eſt* ἀντιπάθεια *inter terrenam teſtudinem & viperam.* Terrena Teſtudo nihil

hil curat Viperam, modò prius Origanum comederit, vel ſi non habet Origanum, modò rutâ ſeſe muniat: *ita Chriſtiani* contemnunt omnes inſultus Satanæ, modò verbo præmuniantur, aliàs enim à Viperis conſumuntur. Similiter ſerpens, quando comedit teſtudinem, ſtatim quærit cunilam, & niſi reperiat, ſtatim perit: *Ita niſi* divinitùs permittatur Diabolo, nihil in homines tentare poteſt. Arabes viperam dicuntur Tyrum ſex corrupto Græco θήριον, nominare, & quia tùm ex aliis, tùm etiam ex viperæ carne fiunt toxica quædam, idcircò theriacas vocârunt. Commemorant aliqui, ante paſſionem Domini non fuiſſe remedium adverſus viperæ morſum: ipsâ verò die paſſionis circa partes Hieruſalem unam infeſtiſſimam captam & ad Chriſti crucifixi latus ſuſpenſam fuiſſe, atque ex illo tempore totum ſerpentis genus talem virtutem accepiſſe, ſed quis non videt à ſimplicibus talia excogitari?

Denique ſuperius dictum eſt, Romanos parricidam 796
inſuiſſe culeo & addidiſſe canem, ſimiam, gallum & ſerpentem, Fuit autem vipera, quæ inſuebatur culeo, quod Phyſici ſcriberent, maritum in coitu necari, & matrem Viperam lacerari à pullis in partu. Cum igitur nullum aliud eſſet animal, quod tantâ ſævitia uteretur in parentes atque hoc, idcircò viperam reliquis in culeo addiderunt. Et hæc de Viperâ.

CAPUT IV.

DE CERASTE, HÆMORRHOO, SEPE, DIPSADE, NATRICE, AMPHISBÆNA, ET SCYTALE.

CERASTES.

CERASTES nomen habet *à cornibus*, neque ullâ aliâ

re differt à viperâ, quàm quod eſt cornutus. Itaque
Ceraſtes nihil videtur eſſe *aliud qàum vipera cornu-
ta, quia in fronte duas habet parvas eminentias, qua-
les habent cochleæ.* Solidiores tamen & robuſtiores
eminentias habet ceraſtes, quàm cochlea aliqua, quia
propriè illæ ſunt oſſeæ. Referunt Ceraſtem, ſicut
eſt vipera, *callidum eſſe & clandeſtinas movere inſi-
dias*, ſuiſque eminentiis uti tanquam eſcâ quâdam ad
parvas aves alliciendas & decipiendas. Nam in ſa-
797 bulo ſeſe abſcondit, ita ut nihil videatur, niſi eminen-
tiæ. Cum igitur aviculæ putant illas eſſe idoneas e-
ſcas, uno impetu advolant, & fiunt præda hoſti. Ad
hanc verſutiam reſpexit Sacra Scriptura *Geneſ. 49.
in teſtamento Jacobi, ubi Dan, filius unus comparatur
ceraſtæ deliteſcenti per inſidias in viis. Longitudine
eſt duorum cubitorum, & habet colorem ſicut le-
proſi*, ventrem ſquamis ex ordine contectum, unde in-
ſerpendo ſibilum quendam obſcurum edit. Vipera
tamen rectius incedit, ſed Ceraſtes curvè invadit ob-
vios homines, unde iterum patet, qualis fuerit fami-
lia Dan, quæ ſcilicet uſa fuit ſtratagematibus, ſed non
tàm lethalis veneni eſt Ceraſtes, ſeu cornutus, quàm
ipſa vipera.

HÆMORRHOUS.

Hæmorrhous ſerpens etiam eſt ex genere viperarum longitudine pedis, dorſo maculoſo, ſed minor quàm vipera. Nomen accepit ab effectu inſigni, quia cum vulneravit hominem, ibi tùm alia conſeqvuntur, ut convulſio corporis, tùm ſangvis profluit ex omnibus corporis partibus, ex naribus, ore, dentibus, unguibus, angulis oculorum, item ex natibus, ſeu poris illorum membrorũ, ut ita enecetur animal. Et ſi quis

vulnus

vulnus antè longos años acceperit, quamvis cicatrix 798
fuerit obducta, nihilòminus eam aperiet, ita ut ſanguis
denuò effluat. Hoc pulchrè deſcribitur apud Lucanum:

Impreſſit dentes hæmorrhous aſpera Tullo, &c.

Ratio, cur hoc fiat in vulnere hujus ſerpentis, eſt,
quia venenum hæmorrhoi calidum eſt, & valdè ſic-
cum, unde vehementer exiccat carnẽ & cutem, ut præ
ingenti ſiccitate rumpantur membra, & ſtillent cruo-
rem. In proprietate igitur veneni relicti in vulne-
re latet vis mirabilis, quæ ita fundit & ſolvit ſangui-
nem. *Sicut autem Diabolus* ab initio decepit homi-
nes ſub imagine ſerpentis, unde appellatur ſerpens,
& Draco antiqvus: *ita Studioſi* Diabolo accommo-
dare poſſunt *pleroſque effectus plerorumque ſerpentũ.*
1. *Sicut enim aſpis* vulnus facit, quod vix incurrit in
oculos, & tamen venenum infuſum citiſſimè jugulat
hominem: *ita Diabolus* etſi non videtur nocuiſſe,
quia plerumque blanda ſunt peccata, tamen citiſſimè
æternam mortem infert. 2. *Et ſicut Vipera* ſeſe ab-
ſcondit in viis, ut decipiat aviculas: *ita vix verbis* e-
nunciari poſſunt omnes fraudes, quibus Diabolus cir-
cumvenit homines. 3. Et *ſicut hæmorrhous* exſic-
cat membra, ut rumpantur, ut ita effluat ſangvis, in 799
quo vehitur ſpiritus vitalis: *ita Diabolus* exſiccat a-
nimam, hoc eſt, ſecuram ipſam facit, ut abjectis omni-
bus virtutibus & poſtpoſitâ pietate nihil non tentet.
Cætera membra collationum in reliquis ſerpentibus
etiam ſatis ſunt manifeſta, & illa repetantur, cum ex-
plicandum erit illud dictum: *Inimicitias ponam, Ge-
neſ. 3.* Item illud in *Apocalypſ.* de antiquo Dracone.

SEPS.

Seps vel Sepedon eandem habet figuram, & eun-

dem colorem, ſicut hæmorrhous, tantùm in hoc differt, quod celeriori eſt greſſu. *Ælianus* refert, hunc ſerpentem tot & tàm mirabiles facere gyros, ut non ſatis poſſit conſiderari, quantæ ſit longitudinis. *Sed alii* de cauda hoc narrant, quam modò attollit in altum, modò incurvat inſtar ſuis, ita ut non rectè poſſint judicare homines, brevisne ſit vel longa. *Simili modo Diabolus mirificè novit regere* & temperare ſuas fraudes, ut non ſatis poſſint agnoſci, num corporalem vel ſpiritualem cladem meditentur. Nulla hic ſerpens habet cornua, & rectâ incedit, de quo *Nicander.*

Et color birſuti, qualem eſt ſpectare Tapetũ.

800 Quia diverſum habet colorem, Vulnus inferre ſolet magnum & benè intrat, & penitùs intrat, unde immani & infinitâ propemodũ pernicie conſtat, & acerbitatem parit maximam. Nomen accepit à putredine, quia mirabile eſt, quod corpora eorum, quos tetigit, ſtatim putreſiunt, ita ut corrumpatur non tantum univerſum corpus, ſed & capilli ubivis locorum, etiam palpebræ defluant. *Simili* modo Diabolus ita perdit animam; ut *ſicut corpus* putrefactum nihil prodeſt: *ita anima* quam ipſe inhabitat, ſit ineptiſſima ad pietatem. Et *ſicut* vulnera aliorum ſerpentum pariunt convulſiones, oblivionem, epilepſiam, caliginem oculorum, mortem acerbam: *ita quoque Diaboli fraudes* talia mala ſpiritualia gignunt. Legatur exemplum quoddam apud *Lucanum lib. 9.* cujus initium, *Seps ſtetit, &c.*

DIPSAS.

Dipſas, (id eſt ſitula, Durſt/ *Deut. 8. v. 15.* nomen habet à ſiti, unde aliàs appellatur ſitula, *eſt inferior magnitudine Viperis, ſed tamen longè celerior & ſuperior-*

perior in occidendo & in malitia. Habet enim venenum ſicciſſimum, quod etiam vehementer exſiccat ſanguinem, eumque convertit in ſuam ſiccam naturam. *Collum habet magnum & dorſum nigricans*, usque ad extremum caudæ, reperiturque in calidis regionibus, 801
in Lybia & inSyria. *Nomen autem accepit ideò à ſiti*, quia quos lædit, in illis excitat in explebilem ſitim, ita ut ſemper bibant, neque tamen recreentur. Sicciſſimo enim illo veneno uruntur, & ſæpè conſumuntur interiora membra. Undè aliàs appellatur ignitus ſerpens, non quod ſit igneus, ſed quia eſt ſicciſſimus, & accendit ſangvinem hominis, ut conſumatur, & ita ſequatur maxima ſiccitas & ſitis. Tales etiam fuerunt inter illos ſerpentes, qui Judæos in deſerto Arabiæ magno numero proſternebant, unde Moyſes *Deut. 8. v. 15. jubet laudare Dominum, qui Judæos eripuerat ex clade adurente Serpentis & Scorpii & Dipſadis ſeu ſitis.* Eodem modo Diabolus accendit animam hominis, & delet pietatem, ut ſequatur ſitis ſeu deſiderium peccatornm, ſicut videmus quosdam quaſi ſiti adulteria & ebrietatem ſectari, quaſi omninò non poſſint abſtinere.

NATRIX, Natter.

Natrix, quaſi Natatrix dicitur ille ſerpens, *qui tota hyeme & vere in ſtagnis & paludibus commoratur*, unde aliàs appellatur Hydrus, *ſed cum ſentit calorem* ſtagna & paludes exſiccantem, *redit in terram*, & tunc dicitur Cherſydrus, id eſt, terreſtris Natrix. Legatur 802
Virgil. in Georg.

Eſt etiam ille malus Calabris in ſaltibus angvis, &c.

Porrò hic quoque ſerpens ſiccum habet venenum, quemadmodum Hæmorrhous, quo rumpitur cutis &

profluit

profluit ſanies. Aliàs *cinereo eſt colore*, & maculis ſatis inſignis. *Hujus flatus adeò noxius eſſe perhibetur*, ut ſi virgam recenter cæſam (quaſi calidam carnem) ejus ori admoveris, in cortice virgæ excitentur veſicæ felleæ. Præterea fulgentem gladium ori ejus admotum lingvâ veneno inficit, quod usque ad ſummum gladii delatum, tetro cæruleoque colore ipſum tingit, ac ſi flammâ violentâ corriperetur. Hominem ſi in pede momorderit, in momento venenum per omne corpus ſpargitur. Igneam enim vim habet hoc virus, & ſemper aſcendit, unde aliqui dicunt, morſum pedibus eſſe ſuſpendendum, ne vis ad cor aſcendat. Quæri autem poteſt, an non ſicut ignis ad inferiora ſtramina, ita quoque virus ad cor inferiore loco ſuſpenſum poſſit transire?

AMPHISBÆNA.

Amphisbæna eſt ille ſerpens, *quem fingunt eſſe bicipitem*, cum tamen nullum animal habeat duo capita, nedum plura. Si qui omninò bicipites unquã
803 viſi fuère ſerpentes, eos aut Phantaſmata Diaboli rectè nominabimus, aut monſtroſos ita extitiſſe dicem⁹, ſicut anſeres quadrupedes, gallinæ bicipites & tripedes quandoque, ſed rarò extiterunt propter cauſas etiam Phyſicas. Apud Græcos *idcircò dicitur Amphisbæna*, quia more vermium repit nunc in anteriorem, nunc in poſteriorem partem. Imperiti Græcæ linguæ interpretati ſunt de ſerpente bicipiti. Occaſio erroris etiam illa fuit, quod magnitudine vermem terreſtrem ingentem æquat, & ita quidem, ut toto corpore æqualem habeat craſſitiem: Hinc factum eſt, ut qui non poterant diſtingvere exactè, in quo loco caput eſſet, & tamen videbant eum ex utraque parte progredi,

progredi, bicipitem eſſe exiſtimaverint: *Genas etiam habet tam craſſas*, ut oculi abſcondantur, adeò ut viſu privatus eſſe videatur. *Pellem hic ſerpens nactus eſt denſam & duram, & variis punctis diſtinctam*. Morſum infligit, ſicut muſcæ ſolent. Primus etiam inter omnes è caverna ſua proſilit, unde conjiciunt Medici, temperamentum ipſius eſſe calidius, quam eſt reliquorum ſerpentum. *Sicut* autem Amphisbæna & reliqui plerique ſerpentes vix ſenſibilia foraminula morſu ſuo faciunt, & tamen per illa anguſtiſſima ori-
ficia venenum infundunt pernicioſum, quo convulſio 804
corporis introducitur, caligo oculorum, mors horribilis: *ita Diabolus* levi occaſione hominem inducit in maximum exitium.

SCYTALE.

Scytale ſignificat inſtrumentum quoddam ſeu manubrium inſtrumenti, aſciæ, &c. vel baculum, in quem ligo inſeritur. Cum igitur hic ſerpens magnitudine ſit æqualis tali baculo, nomen hoc accepit. *Per omnia ſimilis eſt Amphisbænæ, niſi quod craſſior eſt*, neque ex utraque parte progreditur. Tanta tergi varietate præfulgere dicitur, ut hac ratione decipiat aſpicientes, ſiquidem tardius repit quidem, ſed tamen interea cunctantibus hominibus paulatim appropinquat, eosque offendit. Non ſolet *veſci* fœniculo, ſicut reliqui ſerpentes, unde vocatur cœcilla quaſi cœca, item Typhlops. *Simili ratione Diaboli* varii variis ſtudent fraudibus, ſicut non omnium ſerpentum eadem eſt natura. Sed ſatis de his.

CA-

CAPUT V.
DE BASILISCO ET DRACONE.
BASILISCUS.

805 BASILISCUS, q. d. regulus, *eſt illud genus ſerpentum, cujus corpus eſt flavum, caput acutum, in quo tres habet eminentias, maculis ſubalbidis inſignitas, ad formam diadematis*, unde fuit dictus rex ſerpentum. Præterea ideò etiam dictus fuit regulus, quia cum progreditur, *anteriorem corporis partem in altum attollit*, & quaſi erectus incedit. Tantâ veneni vi pollet, ut cadaver ipſius etiam beſtiæ & aviculæ attingere non audeant, ſubitòque emoriantur, ſi quid comederint vel de ipſo Baſiliſco, vel de altero animali, quod ipſius morſu interit. Tanta inſuper eſt pernicies hujus veneni, ut vicinum aërem inficiat, & interimat arbores, & herbas quaſcunque tangit, neque tantùm arbores & herbas, verùm etiam beſtias. Hinc Pergamenſes magnis ſumtibus emerunt pellem Baſiliſci, quam ſuſpenderunt ex templo Apollinis, ut ita aves & araneas prohiberent. *Etſi autem hæc quoque eſt imago Diaboli*, cujus tanta eſt pernities, ut ſeducantur, qui non tantùm converſantur cum ipſis Diabolis, verùm etiam cum illis hominibus, qui ſunt addicti Diabolis, *tamen commodè referre poteſt ad maleficos. Sicut* igitur ſuo halitu interficit Baſiliſcus: *ita* malefici voce calumniante plurimis nocent. Referunt Auctores, tantam eſſe ſubtilitatem hujus veneni, ut emoriantur illi, qui vel baculo tangunt Baſiliſcum,
806 quod facultas malitioſa per baculum infundatur in manum, ſicut etiam equites dicuntur emori, quando eqvus tangitur à Baſiliſco: Atq; venenoſiſſimi omniũ ſerpen-

ſerpentum Baſiliſci, & exitioſi reliquis ſerpentibus feruntur. Nam reliqui omnes cum vel ad paſtum exeunt, vel à paſtu redeunt, repente ubi Baſiliſcum conſpexerint, fugere narrantur.

Et narrat *Ælianus lib. 2. cap. 7.* in Africa *mulos, cum vel defecerunt ſiti, vel cæſi jacent in terra, devorari à ſerpentibus: Verùm audito ſibilo Baſiliſci, quo de præſentià ipſius certi fiunt, omnes illicò diſcedunt, & uni illi locum relinqvunt. Satiatus ille poſtea diſcedit, & iterum emittit ſibilum, tunc redeunt reliqui.* Et hæc omnia aliaque longè plura horrenda de Baſiliſco commemorantur, & plerique omnes exiſtimant, hunc ſerpentem ſolo ſibilo & aſpectu necare, ſed aliorum experientia contrarium monſtrat. Et videntur nimis abſurda quædam eſſe, quæque vel ſeipſa invertant. Quis potuit Baſiliſci naturam deſcribere, ſi nemo impunè eundem ſpectare debuit. Satis hoc eſt, quod dicitur reliquos omnes ſuperare & fugare ſerpentes iſte.

Voluit autem Natura, vel Deus potius eſſe naturalem diſcordiam inter muſtelam & Baſiliſcum, quia 807
muſtela intromiſſa in cavernam Baſiliſci vel ſolo halitu ſuo ipſum ſtrangulat. Sic natura nihil voluit eſſe ſine pari quodam. Ex *Eſa. c. 11. v. 8. Eccleſia comparari poteſt infanti ſedenti in ſpecu aſpidum, & ludenti cum Baſiliſcis.* 1. *Sicut* enim horum ſerpentum pernicies propemodum eſt ineffabilis: *ita* quoque hoſtes Eccleſiæ ſunt acerrimi. 2. Sed *ſicut infans* non intelligit magnitudinem periculi, in quo verſatur, nec ullo præſidio humano munitur adverſus nocentiſſimos ſerpentes: *ita Eccleſia* non ſatis intelligit artes diaboli & mundi, nec habet manifeſta

præſi-

præſidia humana, ſed neceſſe eſt, ut à ſolo Deo dependeat.

Vetuſtas Baſiliſcum *comparare ſolita fuit peccato*. 1. *Sicut Baſiliſcus* ex Veterum opinione vel ſolo halitu necat non tantùm animalia, verùm etiam herbas exurit, rumpit ſaxa, necat frutices: *ita quoque peccati* tanta eſt magnitudo, ut non tantùm perdat homines, ſed & familias, civitates, regiones. 2. Et *ſicut Baſiliſcus* non amat lucem, ſed tenebras: *ita* in peccatoribus nulla eſt agnitio Dei, humilitas, deploratio propriæ infirmitatis, &c. 3. *Atque ſicut* huic monſtro muſtela eſt exitioſa, quæ injicitur in cavernas Baſiliſci, ut ipſius odore emoriatur: *ita Chriſtus* fuit mors
808 mortis & peccati. 4. *Item ſicut* muſtela dicitur ſimul mori ſuperato Baſiliſco: *ita Chriſtus mortem* oppreſſurus & ipſe fuit mortuus. Cum igitur Aſpides & Baſiliſci præſentiſſima habeant venena, *Pſal. 91.* piis promittitur auxilium & liberatio, ita ut etiam poſſint ambulare ſuper Aſpidem & Baſiliſcũ. Et ſatis de hoc.

DRACO.

Hic eſt ille ſerpens, de quo multa & mirabilia leguntur paſſim apud auctores. *Neque tantum poteſt veneno vel morſu*, quia parvum os habet, quantum robore & caudâ. Nec exiſtimandum eſt, hominum ſaltem magnitudinem æquare Dracones, cùm *Niceph. lib. 12. cap. 45.* hiſtoriam narret de uno, *quem octo paria boum vix loco potuerunt movere, cum eſſet interfectus.* Et ne aërem inficeret, interfectum combuſſerunt. Hæc non fabuloſa eſſe, vel inde conſtat, quod de alio inſigni recenſetur in hiſtoriâ Romanâ apud *Livium & Plinium. Nam in bello Punico ad flumen Bagradam tantus fuit* (*Plin. 8. 14.*) *repertus, contra*

Digitized by Google

contra quem Imperator Attilius Regulus, cum univerſo exercitu fuit egreſſus, neque deſtitit, donec ipſum ceu oppidum expugnaret, qui in longitudine habuit 120. pedes, cujus etiam pellis & maxilla uſq; ad bellum Nu- 809
mantinum Romæ duravit. Simili modo, referente Plinio, *in Italia captus fuit Draco & interfectus, qui in ventre integrum puerum continebat, quem devoraverat.* Et in India in tantam adoleſcunt magnitudinem, ut *cervos & tauros degluciant,* ſicut etiam in Epidauro, unde appellari ſolent *Boa* à bobus, quos poſſunt & ſolent deglubere. Præterea in Vita Polonorum Regum extat commemoratio de Rege Craco extruente urbem ſui nominis Cracoviam in ſcopulo quodam, *in quo erat Draco, qui fame compulſus prorepebat ex antro, & interficiebat multos homines. Huic quotidiè tria jumenta ad antrum offerebantur. Rex commotus miſericordiâ populi juſſit offerri pellem vituli repletam pice, ſulphure & nitro, qua ratione fuit incenſus Draco, & cum ignem conceptum vellet reſtinguere aquis, crepuit.* Nota eſt etiam hiſtoria in Danielis reliquiis *de maximo Dracone, cui Babylonii quotidiè plurimum cibi cogebantur offerre, quem Daniel interfecit conjecto in os ipſius quodam remedio cocto.* Ergò Dracones ſunt in rerum natura, ſed nihil ſunt aliud, niſi ſerpentes valdè annoſi & admodum aucti in quocunque genere, & idcircò non differunt à reliquis ſerpentibus niſi magni- 810
tudine. Hinc extitit verbum vulgatum; *ſerpens niſi ſerpentem devoraverit, non fit Draco.*

Apud Ethnicos in precio illi fuerunt, 1. *quia propter ætatem ſunt manſueti,* accipiunt cibum ex manibus hominum, ſeqvuntur & comitantur euntes & redeuntes, & ducuntur miro amore & deſiderio noto-

rum, dormiunt cum pueris, defendunt pueros, ſicut
poſtea ex hiſtoria patebit. 2. *Quia os habent valdè anguſtum*, ita ut videatur ſaltem eſſe fiſtula, per
quèm aërem attrahunt & lingvam movent, & ſi mordent, non magnum excitant dolorem, neque tam præſentiſſimum venenum infundunt. 3. *Quia aſpectu ſunt jucundiſſimo, & magnitudine inſigni* ac admirabili præditi. 4. *Quia ex ipſorum corporibus remedia* contra morbos & venena colliguntur. Legant autem ſtudioſi memorabilem hiſtoriam apud *Valer. Max. lib. 1. cap. 8.* de Dracone maximo Epidaurio, qui tamen ſine dubio fuit incantatus & gubernatus à Diabolo. *Cum enim Romæ peſtis miris modis graſſaretur & metuerent, ne populus omnis interiret, ſuaſu ſuorum miſerunt Legatos in Epidaurum, quod ſcirent ibi detineri inſignis alicujus magnitudinis Æſculapianum Draconem, hunc igitur petiverunt ſibi concedi,*
811 *ut Romam, advectus navigio peſtis ſævitiam inhiberet. Mirabile autem dictu eſt, quod ingens ille Draco, magnâ navi vectus, ſeſe paſſus fuit placari delicatis cibis, ut ſponte in navem ingrederetur. Mirabile etiam, quod cum in itinere navis in portu quodam ſtaret, Draco vaſtiſſimus ex navi quidem fuit egreſſus, & prorepuit in vicinam ſylvam, ita ut de ipſo deſperaretur, ſed tamen tandem rediit in navem, & Romam ductus fuit, ibique cum gaudio & tripudio ineffabili exceptus, & divinis honoribus cultus, cum ſeceſſiſſet ſponte in illum locum, quem ipſi præparaverant.* Etſi autem peſtis ceſſavit, tamen abſque dubio diaboli quædam opera acceſſit. Cum enim Deus utatur operâ & miniſterio diabolorum in infligendis malis, diabolique præſcripta habeant certa momenta, ubi deſinere debe-

ant

ant, voluerunt hac ratione ſtabilire Idololatriam, quod Draco avertiſſet malum. Ita ſemper diabolus Draconem ſeu ſerpentem in Paradiſo damnatum apud Ethnicos honorari voluit. Et mirum eſt ſapientiſſimos homines Romanos hac in parte tàm cœcos fuiſſe.

Deinde pulchrè monet *Auguſtin. lib. 11. de Geneſi ad literam cap. 28. Serpentes & Dracones libenter moveri carminibus hominum & longè libentiùs quàm* 812
ullum aliud animal, ut ita hoc ſit teſtimonium, primos parentes fuiſſe ſimili colloquio ſeductos; & diaboli ſimiliter gaudent, ſibi dari talem poteſtatem à Deo, ut ſimili modo, quo uſi fuerunt in Paradiſo, denuo decipiant multos homines. Legatur etiam hiſtoria apud *Diodorum lib. 3. cap. 3. Ubi ad Ptolomeum ſecundum Regem Ægypti vivus Draco captus validiſſimis funibus à multis hominibus delatus fuit longitudine 30. cubitorum. Et ſuperius de Elephantis commemoratum eſt, Draconem inſidiari Elephantis, id quod non de parvis ſerpentibus, ſed de quibuſdam magnis eſt intelligendum.* Alium magnum vidit Alexander *in India 60. cubitorum longitudine, qui oculis habuit inſtar Clypei Macedonici.* Cumque tàm ſtupenda ſit magnitudo Draconum, meritiſſimè duo miramur. 1. *Bonitatem DEI,* qui non voluit hæc animalia eſſe frequentia, ſed rara, ita enim DEUS omnia diſponit in numero, menſurâ & pondere. 2. *Sapientiam ſummam DEI,* de quâ paſſim in his tractatibus dictum eſt.

Magnum quidem hoc animal eſt, imò ſtupendum, ſed tamen viribus, & præſertim veneno acri eſt privatum. Imò cum reliqui ſerpentes mirificè ſtruunt inſidias hominibus, hic non habeat, unde vivat, pro

813 inſidiis præſtat benevolentiam & officia, quo pacto factum eſt, quod ab Ethnicis fuit cultus loco Numinis. Refert Ælianus, tempore Herodis *quandam puellam fuiſſe amatam à Dracone. Sed cum parentes hoc ægrè ferrent, puellam occultarunt. Ubi Draco triſtior eſt factus, & tandem cum reduceretur puellula, leviter eam eſt complexus & leviter eam verberavit.* Similiter alius deprehendebatur in Arcadia *amare puerum, & cum parentes metuerent, ipſum Draconem in ſylvam ablegarunt. Accidit autem forte fortuna, ut puer adultior factus iter faceret, & incideret in latrones, valdèque exclamaret. Beſtia igitur, utpote quæ acutiſſimè audit, & acutiſſimè vidit, agnovit vocem pueri ipſumque liberavit & cum liberato redit in oppidum.* Simili modo alius puerum, quem amaverat, & tamen ab ipſo etiam fuerat relegatus, mirabiliter vindicavit. *Cum enim puer in ſylva à fratribus propter hæreditatem malè diviſam occideretur, & valdè exclamaret, accurrit, & homicidas compulit in aquam, ut ſuffocarentur, & aliquot dies defendit corpus interfecti, donec hoc factum innoteſceret, & cadaver ſepeliri poſſet. Ita ſemper Deus, qui ademit magnitudinem, tamen ſubſtituit magnas vires & aſtutiam & alia dona, ſed cui denegavit dona interna, illi*
814 *dedit externam ſpeciem & magnitudinem.*

Porrò quidam *Dracones degunt in montibus, quidam in paludibus, ſed utrique in deſertis.* Hinc eſt, quod Scriptura, cum minatur deſolationem oppidorum, *dicit talia ipſa futura, ubi habitent Dracones.* Ac quando pulli Draconum mediâ æſtate ſitim ſentiunt acerrimam, neque tamen aquam poſſunt ſortiri, miſerabiliter lamentantur, ſicut pulli Struthio-

thionis, de quibus ſupra dictum eſt tractatu ſecundo.
Hinc eſt quod Jobus c. 30, 29. *in maximis anguſtiis
conſtitutus dicit, ſe eſſe factum fratrem Draconum, &
filiorum Struthionis.*

Eſt autem Draco *præditus triplici ordine dentium*
in qualibet maxillâ. *Oculis valdè magnis* & tàm a-
cutè cernentibus, ut Poëtæ eos conſtituerint cuſtodes
theſaurorum. Sub mento duo *magna palearia* inſtar
barbæ dependentia habent. *Et verorum Draconum
duæ ſunt ſpecies*, ſiquidem *quidam* quibusdam mem-
braneis pinnis ſunt alati, quibus ſunt alæ non ex pen-
nis, ſed membranis in dorſo, inſtar pinnarum: *Quidã*
verò non ſunt alati: utrique tamen, ut ſæpè dictum
eſt, nihil ſunt aliud, niſi magni ſerpentes, quibus den-
tes à naturâ ſunt dati, non ut illis ſeſe defenderent, ſi-
cut faciunt reliqui ſerpentes, quia caudâ ſuâ dimicant 815
Dracones contra elephantos & aquilas, de quâ pugnâ
dictum eſt in capite de Elephante & aquilis. Et *alii*
quidem ſunt ruſſi, *alii* nigri, *alii* cinerei, *alii* longi
quinque cubitos, *alii* decem, *alii* 39. *alii* 40. Et ma-
gni præſertim ſquamis ſunt obſiti per totum corpus a-
ſperrimis, hiante rictu oris, longâ lingvâ, dentibus
longis inſtar apri, quibus cum mordent, etiam oſſa
corporis frangunt, neque tam veneno quàm robore
caudæ valent. Amores ſerpentum vide apud Phil.
Cam. in ſucc. c. 69.

Et hæc de phyſicis Draconibus: nam qui dicitur
Draco veneficarum, eſt ipſe Satanas, qui interdum aſ-
ſumit figuram ſerpentis, & in cellis apparet, interdum
verò lucidam & igneam ſubſtantiam, cum qua per aë-
rem volitat. Sed hac de re alibi. *Obiter* monemus,
illud Thren. 4, 3. *Etiam ſerpentes vel Dracones edu-*

cant mammam, lactantque catulos ſuos: non eſſe intelligendum de Serpentibus & Draconibus ſpecialiter ſic dictis, qui nec mammas habent nec lactant, *ſed de magnis quadrupedibus, quia Scriptura ea voce Hebræa* quasvis immanes beluas intelligit, quam alii exten-
816 dunt ad terreſtres & aquaticas. Ineptum igitur eſt, quod ex Rabi Salomone ſuper hunc locum ſcribit Mercerus: *Draco tametſi crudelis ſit, tamen cum videt prolem ſuam à longinquo accedere famelicam, extrahit ex thecâ quadam ubera ſua (habet enim operimentum ſuper mammas ſuas) & educit illa ex thecâ,* nè ſi incluſa illa videat proles, currat retrorſum. Hactenus R. Salomonis ſententia ſicut aliorum Judæorum in hoc & aliis abſurda ſatis. Alioquin ſi res ita habet, pulchrè uſurparetur adverſus meretrices, mactantes recenter natam ſobolem, quod nec beſtiæ nec ſerpentes faciunt, exceptis ſuibus tamen.

CAPUT VI.
DE CHELYDRO ET CENCHRENE.

CHelydrus vel δρυῖνος vel querculus dicitur ille ſerpens, *qui perpetuam gerit inimicitiam cum quercu, ita ut odio eam proſequatur: vel quia cutem habet aſperam plenam callis,* quales ſunt in ruſticorum manibus ſecundum quoſdam: quanquam verò ſimilius ſic dicitur, quod latibulum geſtiat habere in quercubus. *Longitudo* ipſius eſt duorum cubitorum. *Solet autem tàm tetrum emittere odorem,* ut etiam ſi non cernitur, tamen ex illo teterrimo odore ſta-

re ſtatim aliquis certus eſſe poſſit de ipſius præſentia. Eſt autem odor ille ſuffocans, & ſimillimus illi fœto- 817
ri, cui oritur ex glutine, quod emanat ex præſegminibus tergorum equinorum tunc, cum præparantur, ut ex iis fiant coria.

Nam poſtquam pellis diu ſtetit in loco humido, & fuit permixta variis rebus, ibi tetrum odorem acquiſivit. Poſtea enim opifex pellem extendit, & carnem putridam ferramento tereti abradit, & extremitates corii reſecat, quæ alioqui nullum præſtare poterant uſum, ut inde faciat collem ſeu gluten. Porrò tanta vi nocendi præditus eſt querculus, ut hominis cutem detrahat, ſi modo fuerit calcatus: & referunt tantum eſſe fervorem hujus maligni veneni, ut illius chirurgi manus excorientur, qui curationem morbi vult adminiſtrare. Tanta etiam vis ſpiritualium venenorum peccati & Diaboli.

CENCHRENE.

Cenchrene vel cenchris, vel milliatis eſt ille ſerpens, qui maculis minimis milii colore & magnitudine totum corpus conſpicuum habet. Alii ideo putant eſſe dictum milliatem, quia tunc exitioſior eſt, quando floret milium. *Nicander* appellat leonem, propter ferociam & crudelitatem. Nominatur etiam ab aliquibus jaculum, quamquam alii jaculum fa- 818
ciant novam ſerpentis ſpeciem, quia inſtar jaculi involet in eum, quem vult lædere. Morſu ſuo efficit, ut multum aquæ colligatur in ventre, quia facit liqueſcere humores. Præcipuè reperitur in Lemno, in Samo ſeu Samothracia, & circa mare mediterraneum. Perpetuò incedit rectâ viâ, rubos & ſpinas fugit. Idcirco qui obviam ei fiunt, oblique fugiunt in-

ter ramos. Si quem enim hominem aut belluam attigit, & cum poteſt, cauda proſternit, tàm arctè eum continet, donec ſangvinem exugat, id quod facit ex ea parte thoracis, quæ eſt circa claviculas, ubi eſt ſitus cordis. Hæc etiam eſt *imago diaboli*, qui hominem conatur ſpoliare illis rebus, quibus Deo debebat eſſe ſimilis, & incipit ab iſtis, quæ ſunt majoris momenti. Et de his ſatis, quæ pertinebant ad doctrinam de ſerpentibus.

819 PARS QVINTA.

DE INSECTIS.

CAPUT I.

DE INSECTIS IN GENERE.

HActenus *explicatæ ſunt* 4. ſpecies animalium integrorum, in quibus caput magis continuo ductu adhæreſcebat reliquo corpori: *nunc explicanda ſunt* animalcula minora & infirmiora, ut apis, formica, muſca, culex, ſcarabæus, & ſimilia, *quæ dicuntur inſecta, quia habent varias & plures cæſuras* modò parte ſupinâ modò pronâ: poſſunt imperfecta dici, non ſicut meteora, ſed quòd non ſint tanta partium varietate prædita, ut majora.

Initiò autem ipſi Theologi movent *quæſtionem, utro in genere animalium ſpectabilius ſit naturæ artificium,* & ubi plura ſint argumenta potentiæ Dei. Rectè autem neſciunt, cum Auguſtino l. 3. de Geneſi.:

An-

Digitized by Google

An plus debeant mirari dentes apri an tineæ, alas aquilæ an gryphis, caput equi an locuſtæ, Crura Elephanti an culicis, aquilam an formicam, leonem an pulicem, Tygrem an teſtudinem. *Sicut enim* facilius poteſt faber componere catenam, cujus annulli ſunt magnitudine & circumferentiâ pedali, quàm catenulam, cu- 820
jus annuli vix inſtar punctuli mediam concavitatem habent; & *ſicut* non tàm miramur bubulcum excavantem ex magnis lignis ſatis capacia cochlearia, quàm quendam manibus carentem, qui tamen pedibus ſuis confecit ſupra modum puſilla cochleariola, pulcherrima, ſubtiliſſima, quæ vix ſubtilis puer ſatis tutò tractaret & moveret: *ita Dei ſapientia & potentia* in parvis creaturis magis eſt conſpicua quàm in vaſtis beluis. Utique ex ferro faber citiùs & commodiùs conſtrueret omnia membra magni Elephanti, quàm ut ex ferro itidem conficeret interna & externa muſcæ, nedum pediculi vel pulicis, nedum alterius vermiculi alati, quem viſu vix aſſequi licet. Refert Zwingerus in Theatro, *Norimbergæ factum fuiſſe muſcam ferream, quæ in initio convivii emiſſa ab hoſpite activo circumvolitaverit totam menſam & tandem ad Dominum redierit.* Apud *Plinium l. 7. c. 21. & 43. cap. 8. & 36. c. 5.* lege, *quinam currus fecerint, quos ſub alis muſca occultarit itidem ita facta.* *Majorum animalium* amplior eſt & tractabilior materia, & facultati noſtræ obſequentior, at in minutis animalculis, quorum exilitas vix cerni poteſt, utique non niſi ſubtilis & artificioſa membrorum ſingulorum figuratio, 821
cunctarumque partium corporis ſupra modum apta digeſtio, omniumque ſenſuum tàm exquiſita diſtinctio & perfectio. Huc pertinet illud, quod ipſum

Plinium movit l. 11. c. 2. de culice cum quærit, *ubi tot ſenſus natura collocarit in culice? ubi viſum in eo prætenderit, ubi guſtatum applicarit? ubi odoratum inſeruerit? ubi truculentam illam & portione corporis maximam vocem ingenerarit? qua ſubtilitate pennas annexuerit, prælongarit pedum crura? diſpoſuerit jejunam caveam? uti alvum? avidam ſanguinis & potiſſimum humani ſitim accenderit? Telum verò perfodiendo tergori quo ſpicularit ingenio? atque ita reciproca geminarit arte, ut fodiendo acuminatum pariter, ſorbiendoque fiſtuloſum eſſet? Quos teredini adperforanda robora, cum ſono teſte dentes affixerit, potiſſimumque è ligno cibatum fecerit? Nuſquam natura magis qàm in minimis eſt mira. Et poſtea ſequetur aliud exemplum* de formicis, de apibus, de araneis, & de ſimilibus. Et hæc eſt *imago illius rei,* quod Deus ſemper magis eſt efficax in infirmis & quod plus adjuvat per contemta media, quia ſemper in infirmitate vult eſſe potens, non in inſcientia & infantili ruditate, ſicut quidam illud Apoſtoli interpretari audent, 2. Cor. 12. 9. quod tamen de cruce & imbecil-
822 litate carnis intelligendum præcedentibus capitibus contextus convincit. *Sicut* enim ſaxa in montibus grandia, vel ad cœlum extenduntur, & tamen nullarum ſunt virtutum, eum econtra gemmæ vix viſu notabiles inſignibus conſtent & ampliſſimis virtutibus: *ita* in minimis animalculis omninò majores quasdam animi dotes quàm in majoribus deprehendere licebit.

Pertinet huc, quod *Aug. lib. de duab. an. 1. cap. 4. Muſcam magis admirandam eſſe dicit quàm ſolem: ſi fortè quis à me quærat, num etiam muſcæ animam huic ſolis*

ſolis luci præſtare cenſerem, reſponderem etiam: nec me terreret muſca quod parva eſt, ſed quod viva firmaret. Quæritur enim, quid illa membra tàm exigua vegetet, quid huc atque illuc pro naturali appetitu tantillum corpuſculum ducat, quid currentes pedes in numerum moveat, quid volantis pennulas moderetur, & vibret: Quod qualecunque eſt benè conſiderantibus, in tàm parvo tàm magno eminet, ut cuivis fulgori perſtringenti oculos præferatur. Certè, quod nemo dubitat; Quicquid intelligibile eſt, omni ſenſibili, & ob hoc huic etiam luci divinis legibus antecellit. Hactenus Auguſtinus. Conſideratione igitur judicemus eſſe digna animalcula minima, præſertim cum per æſtatem oculis noſtris offeruntur. *Deindè quæritur, in quosnam uſus pleraque ex his animalculis à Deo fuerint condita.* 823 Etſi autem ſufficiebat reſpondere, ea eſſe facta propter gloriam Dei, tamen majoribus animalibus alimentum fiunt, & alia multa præſtant, dum ſcilicet ex aëre, aquâ & terrâ ebibunt in ſe qualitates venenoſas, ſicque purificant elementa, ut totius mundi juſtus & purus ſit ſtatus. Alia ſunt, quæ in animalibus ſangvinem impuriorem exugunt, ut poſtea dicetur. Pro Dei ſapientiæ gloria, ſunt inſecta, in quibus non modò colorum diverſitates ſpectare, ita ut illas peritiſſimi pictores ad vivum ſatis exprimere nequeant; ſed etiam animadvertere licebit, quod tanquam pavones pro variâ poſitione & obverſione ad ſolis corpus nunc hoſce nunc alios de ſeſe præbeant colores, adeò ut qui nunc apparebat æreus, mox inclinantibus ſeſe paululum aureus ſit appariturus, item qui ſub ſole erat cæruleus, ſub umbrâ erit viridis, quæ res peritiſſimo Philoſopho negotium explican-

plicandi reddere poteſt difficillimum, & hoc in muſcâ volante ſpeciatim obſervare ſolitus fuit & obſervare jubet Lucian. *Ecce quàm magnas res in vilibus hiſce creaturis creator nobis expendendas expoſuit.* O-
824 lim quidam diſputarunt, inſecta à diabolo fuiſſe facta & fieri, ideoque exorcismis publicis fugari conati ſunt, præſertim quæ multitudine ſuâ arbores, fruges, herbas, fructus lædunt & depopulantur. Sed rectè apud *Auguſt. tract. 1. ſuper Johan.* (cum quidam à muſcis tædio afficeretur & alter ſe eas pati non poſſe, & à dæmone creatas exclamaret) *concluditur, ſi Diabolus fecit muſcas, tum etiam fecit apes, quæ paulò amplior eſt quàm muſca, ſi apem, tùm etiam locuſtam, ſi locuſtam, tum etiam lacertam, tum etiam avem, ſi avem, tum etiam ovem & bovem, quin & elephantem & hominem, & ita nec homo erit à Deo factus.* Et hæc quoad corpora inſectorum in genere.

In *genere quoad animas inſectorum. Sunt animarum tot* inter ſe, quoad ſpeciem, *differentiæ, quot animatorum ſpecies,* & illæ quidem inter ſe idcircò differentes facultatibus, & efficaciis, quæ conſtantiſſimè permanent, etiamſi corpora ſimul omnium non habent eandem multitudinem organorum, cum interim habeant ſuæ animæ idonea & congrua inſtrumenta: nunquam enim natura in neceſſariis ſibi deeſt, Deo ita operante.

His ità præmiſſis, deinceps notandum eſt, 1. *quod*
825 inſecta *alia* habent pennas, ut apes, *alia* verò habent pedes, ad minimum ſex, item 18. 30. & plures, ut millepeda (die Keller-Würmer) *alia* habent utrumque ut formicæ, *aliqua* initio pennis carent, poſtea tamen fiunt pennoſa, ſicut vitulus initio caret cornibus,

quæ

quæ tamen poſtea accipit. *Alia* verò utriſque carent, ut vermes terreſtres.

1. *Omnia habent caput & alvenm ventris, & oculos duros ſine palpebris, & ante oculos antennas ad cornicula* in capite, ut papiliones & cervi volantes, ſed non aliam varietatem partium, undè rectè miratus eſt Plinius, quomodò tot ſenſus ſint in tàm paucis membris, & ſi plerique ſenſus debent ineſſe capiti, quomodo hoc fieri poterit, cum tàm parvum ſit illud, nec tàm diſtincta loca poſſint in eo monſtrari. Certum eſt quod olfactum habeant, qui ſectantur cibos etiam ex longinquo, ut apes & culices. Sentiunt igitur ὑποζώματι quodam, & ſpiritu ipſi inſito.

3. *Lingva in aliquibus reperitur dura, in aliquibus mollis*, & quæcunque habent lingvam, illa omnia aut carent aculeo, aut habent aculeum in alvo. Lingvæ autem beneficio guſtant & attrahunt, & quæ habent lingvam, illa tantum humido cibo utuntur.

4. *Quæ habent lingvã, illa etiam carent dentibus, exceptis tamen muſcis & apibus*, in quibus ſunt dentes, ſed 826 non ſimiles reliquorum animalium dentibus, verùm analogi, quibus aliquid attingentes, movent cruorẽ.

5. *Pennas habent aliquas, ſed tamen non diſtinctas, &c.* quibuſdam fibris notatas & exornatas; ſed pennæ ipſis datæ ſunt aut binæ, ut muſcis & culicibus, quia hæc ſunt animalcula leviora, & habent aculeos in ore, vel etiam quatuor, ut apibus, quia ſunt grandiores, & habent aculeos in alvo, & longius circumvagantur. Quædam etiam quæ habent valdè ſubtiles alas, acceperunt vaginas, quibus includuntur pennæ, ut maneant diu ſalvæ, ſicut accidit ſcarabæis, cum non longè avolent, ut ſint tutiores. Præterea aculeos

leos ſuos aut habent in anteriori parte, aut in poſteriore, & quidem vel prominentes ut apiculæ.

6. *Quod ipſis pro carne datum eſt, nec eſt teſta, nec caro ſimilis carnibus teſtaceorũ, ſed quiddã mollius oſſe, & durius carne,* carnoſius oſſe, & oſſius carne, unde nec ſpinas habent, nec ſimile quiddam, ſed ipſum corpus ſuâ duritie ſeſe defendit, nec indiget alterius ſubſtragulo. *Habent etiam inteſtinum quoddam* & aliquid loco cordis inter caput & alveum, ſed nullam pingvedinem.

827 7. *Omnia ſunt exigui cibi & propemodum ſibi ipſis ſufficiunt,* non tàm corporis parvitate, quàm frigiditate, ſiquidem ſunt exangvia, & exangvia naturâ ſunt frigida. *Quædam* vivunt ſuccis plantarum & fructuum, *quædam* ſangvine animantium, *quædam* omnia vorant promiſcuè, nec tàm utuntur potu quàm cibo.

8. *Sonum quem edunt, efficere poſſunt Spiritu interiore attrito in membranâ,* quæ eſt ſubjecta inciſuræ. Non enim exteriore aliquo Spiritu ſonitum illum movere poſſunt, quia nullum inſectum ſpirat ſeu aërem attrahit, ſed aër ſponte illabitur in ipſa, quem ita aptè tractant & frangunt.

9. *Pleraque non vivunt ultra annum, imò nec annum attingunt, ſed intereunt & reſolvuntur in pulverem,* ut fiant ſimus terræ, & devorantur plurima ab aliis animalibus, exceptis quibusdam, ut apibus, formicis, muſcis & ſimilibus, quæ conglomerantur, & conglomerata durant per hyemem, in locis abditis, ſicut imprimis de muſcis conſtat, quæ in templis poſt tabulas, aut in ædibus privatis circa cloacas congregantur, & ſemimortuæ deliteſcunt, atque ſub exitum

hyemis

hyemis calore ſolis in vitam revocantur, ſicque ſunt exempla futuræ reſurrectionis carnis noſtræ.

10. *Ad generationem & propagationem horum animalculorum* quod attinet, duplex tradi ſolet ratio. 828
1. *Quod quædam* partim coëant & pariant etiam, partim ex putredine naſcantur. 2. *Quod* quædam nec coëant nec pariant, nec etiam naſcantur ex animalibus, ſed ſponte proveniant, ex humoribus, & pulveribus omnibus. *Ad primam claſſem referri ſolent araneæ, locuſtæ, cicadæ & ſimiles beſtiæ, quæ ſæpè coëant*, & coitum tardè abſolverent, ut videmus in muſcis, præſertim quando copulatæ iterum diſſolvuntur. Et ita ut aranea quandoque gignat araneam, locuſta locuſtam, ſed muſca gignat quidem quandoque, verùm non animal ſui generis, ſed vermiculum tanquã ſordidum quiddam, ut ſint ſordes pulicum & pediculorum, ex quibus etiam non fiant pulices vel pediculi, ſicut ex ſordibus muſcæ non fiant muſcæ.

Secundi generis inſecta ſolent conſtitui illa, quæ tantum fiant ex humoribus vel ex pulveribus, ut multi vermiculi, erucæ & ſimilia. Omnia talia animalcula perhibentur vel produci ex humido exſiccato, vel ex ſicco humectato & putreſcente, ita ut utrobique calor quidam ſive ſolis ſive cœli ſeſe inſinuet, ſitque loco animæ cujusdam. Et numerantur varia ſubjecta, in & ex quibus hæ generationes contingant, quod 829
quædam fiant animalia ex *rore* in frondibus: præſertim tempore verno, *aut* etiam alio quopiam tranquillo nec frigido: *aut* ex cœno & fimo putreſcente, ut in fimis & caſeis & aquis putridis: *aut* ex lignis ſive ſtirpium, ſive cæſis: *aut* ex animalium excrementis ſive alia fuerint ejecta ſive adhuc fuerint in corporibus,

bus, ut lumbrici, ſive ex fecibus aceti aut aliorum liquorum: *aut* nivi vetuſta, *aut* ex virentibus foliis, *aut* ex ipſis fructibus, ut inter grana tritici aut hordei. Ubicunque autem fiant illa, neceſſario fieri dicuntur, vel quia humidum exſiccatur, vel quia ſiccum computreſcit.

Et hæc ita à doctiſſimis viris diſputantur, quibus libenter aſtipularemur, niſi ſacrarum literarum auctoritatem tueri animus nobis eſſet.

1. Nam in initio Gen. 1. ſingulis tunc creatis reptilium, volatilium, aquatilium ſpeciebus per benedictionem Domini *communicatur vis gignendi;* quã ſine dubio etiam adhuc hodiè ſicut plantæ ſuam virtutem ſeminandi retinent.

Et 2. videmus nos oculariter ex parvis muſcis,
muribus, pediculis, veſpis, cicadis, &c. *ſucceſſu tem-*
830 *poris fieri majores muſcas, mures,* pediculos, pulices,
veſpas, cicadas, &c.

3. *Quin & videmus has beſtiolas aut fœtum parere,* ut mures; aut ova, ut aranearum; vel loco ovulorum aliquid ſimile & analogum ovo, unde tandem aliquid fit, & ex illo aliquo iterum novum cognatum fit individuum, ut in pediculis, pulicibus, & multis aliis vermibus intueri licebit.

4. Illud cumprimis magnâ dignum eſt conſideratione, quod *excludendis ſuis fœtibus animalia hæc quærant tales nidos,* ſeu talia cubilia ſeu loca ſeu ſubjecta, quæ ſimul ſint ipſis hoſpitia tuta, & tamen ſimul contineant pabuli humidi aliquid.

Hinc pediculi corpora animalium, hinc ſcarabæi ſtercora equina, hinc vermes carnium crudarum poros, hinc araneæ per ciſtarum foraminula, & aditus

vix

vix tàm benè ſenſibiles irrepunt, hinc alii vermiculi intra ſegetes, frondes, frumenta arida, intra feces vini, cereviſiæ, intra ſtercora brutorum. Ex araneis enim præſertim junioribus magna cum jucunditate in campis conſpicere plusquam facillimum fuerit, quàm celeriter, quàm longè lateque diu noctuque peregrinentur & excurrant. Hinc in lignis & trabibus per nos non viſos, ſibi verò ſatis quæſitos & patentes 831
poros ingredi teredines, ibique pauciſſimis diebus generare & vivificare fœtum animadvertent, quotquot huic rei plus inquirendæ vacabunt. Ab omnibus ſemina ranarum in alias piſcinas novas & luciorum, &c. transportantur. Sic ſemina vermium cum pane, cum aliis cibis intra ventriculos animalium. In naves onerarias magnas ſimul importantur mures latitantes in mercibus, quos mercatores per benè longa tempora in ſuis ædibus prius collegerunt; Sic meminimus gryllos ex aliis oppidis translatos cum veſtibus peregrinantium in puriſſima aliorum hypocauſta. Et quis excogitare valeret omnes modos, quibus hæc parva vel ipſa volatu, reptatione curſuque ſuo loca quædam petunt, vel per alias beſtias, & per homines aliò transportantur.

Summatim, *inſecta nidificant in aliis omnibus, terrâ, aquâ, & quibusvis compoſitis corporibus & in corporum variis partibus*, in chartis, ceris, ſtagnis, paludibus, puteis, mari, carnibus ſalitis, carnibus crudis, veſtibus, in lectis, in ſingulis arboribus, ut & in graminibus & floribus, frugibus; tantum cicer ab inſectis non infeſtari dicitur: non eſt animal ullum pediculis expers, nec piſces vermium certorum, ipſis quoque inter ſe parvis inſectis tamen alia quædam in- 832

naſcentia inſecta moleſtiam creant, apibus cleri ſeu pirauta. Habitant etiam intra terram quam fodiunt pro cubiculis, ſicut ex iis egrediuntur propter pluviam lumbrici.

His & aliis ejusmodi argumentis ſine dubio moventur ipſi viri eruditi, qui docent quod pleraque inſecta *partim* fiant ex coitu, de quo legatur *Ariſt. l. 5. hiſt. c. 8. Scalig. Exerc. 191. ſect. 2.* Sed tamen ſimul diſputant, *partim* eadem ex putredine naſci. Ac fieri poteſt, quod primis auctoribus hujus ſententiæ de ortu animalculorum horum ex putredine occaſionem præbuerunt hiſtoriæ ſacræ, de pediculis Ægypti in Exodo per Moſen productis ex percuſſo pulvere terræ, de apibus natis ex cadavere leonis. *Verùm* hæc penitus ſunt miraculoſa, ideoque diverſiſſima ab ordine divinitus inſtituto in prima creatione. Et ſine dubio voluit Deus ordinem generationis animalium eſſe certum, ne modò mus ex mure naſceretur, modò mus ex putredine gigneretur. Quâ ratione generatio horum animalium perpetuò caſui & æternæ incertitudini obnoxia redderetur.

Sine dubio mens Dei, in prima creatione fuit & adhuc hodiè eſt, ut generationis ſimilium ſpecierum non niſi ex ſimilibus ſpeciebus certiſſimâ & conſtantiſſimâ perpetuaque regularitate continuarentur. De
833 anſeribus ex arbore natis ſuprà egimus ſuo loco, & petimus à doctiſſimis, ut hæc argumenta latiùs expendant & cenſuris ſuis beent, nihil dubitantes, ea ipſis nequaquam diſplicitura.

Etſi verò non ſingula minima hæc inſecta palato humano proſunt, tamen conducunt animalibus brutis, iisque in eſcam conducunt. Etſi concederemus

(ex

Digitized by Google

(ex hypotheſi) aliqua poſt diluvium cœpiſſe, tamen nondum ſequitur, poſt diluvium à Deo novam rationem generationis animalculorum vel etiam duplicem modum introductum eſſe. Quin potius ſermo de animalibus à diluvio congruit cum ſermone de iiſdem habito in primâ creatione. Sicut autem in Ægypto propter peccata Deus ranas, camporum & fluviorum incolas, introducit in palatium regis; ita nemo dubitet, propter peccata Deum producere plura hæc aut alia, & modò ſæviora vel minus ſæva inſecta, plures vermes corrumpentes frumenta, &c. Sicut igitur omnes plantæ ex ſimilimo plantarum ſemine enaſcuntur juxta ordinationem primæ creationis: ita ſine dubio certior & Scripturæ magis conſentanea eſt hæc inſectorum productio, quam citra affectuum impedimenta omnibus doctis cenſendam committimus.

De mutatione fæminarum in mares inter beſtias, 834 verbi cauſa lepores, nullum verbum adjicimus, cum iſta opinio petat jugulum hiſtoriæ ſacræ & primæ inſtitutionis, & nitatur argumentis talibus, quæ à quovis ſatis refutari queunt ipſa, citra aliorum ſubſidium: cujus generis eſt altera opinio, *quaſi homines poſſint mutari in lupos*, nec vel tantillum ipſos juvat hiſtoria apud Danielem de Nebucadnez. c. 4. *Nebucadnezar enim non amiſit ſtaturam & formam humanam corporis, ſed ex hominum conſortio fuit ejectus, & herbam comedit ut bos, capillus ejus ſicut aquilæ, & ungves ſicut avium, donec intellectus tandem ad ipſum rediret.* Sed ſatis de inſectis in genere.

Sicut autem animalia perfecta alia dicuntur aërea, alia aquatica, alia terrea & reptilia, ita quoque *triplicia erunt inſecta.*

 1. Aë-

1. *Aërea ſeu volatilia,* ut apes, crabrones, veſpæ, muſcæ, culices, ſcarabæi, locuſtæ, cicadæ, papiliones, œſtri, ſeu Aſili, ſeu Tabani, Aureliæ, pirautæ, Cantharides, Bupreſta, Cicindelæ, Lampyrides, Scolopendræ, centipedæ.

2. *Alia aquatica,* ut hippocampus, vel hirudo, ſcolopendra marina, tipulæ & pediculi piſcium atque erucæ marinæ.

835 3. *Alia terrea & reptantia,* ut lumbrici, grylli, millepedæ, curculiones, coꝺti ſcorpii, pediculi, pulices, cimices, blattæ, tineæ, teredines, araneæ, bombices, formicæ, acari, cleri, bucarides, coſſi vel ſcolices, erucæ butyri, carpæ, crambones, tineæ, midæ, ricini, reduvii, de quibus ordine.

CAPUT II.

DE APIBUS.

INſigne eſt hoc genus inſecti, quod etiam laudat Eccleſ. c. 11. Et Baſilius Magnus vocat civile animal; quia omnes & ſingulas actiones refert ad unum communem & civilem finem, & unicè amat ſuam civitatem, ad quam convehit, & in tempeſtate properat, &c. quanquam etiam aliqua convehunt in ſylvis & agris, unde eſt ſylveſtre, quod Johannes Baptiſta comedebat. Vix enim dici poteſt, quam multarum virtutum ſimulacra in hoc ipſo nobis proponantur. Bove eſt infinities minus, ſed bove etiam vel infinities quoad animi dotes, prudentiam, ſecuritatem, pietatem, obedientiam, juſtitiam, æquitatem excellentius. Non enim magnitudine opus habent animæ

animæ excellentiores, ſed in ſe ſunt tales, ſicut Deus eſt infinitus non mole ſed majeſtate, quemadmodum loquitur *Auguſtinus*. Etſi auditu non caret, move- 836
tur enim tinnitu æris, ſicut quidam politici oſtenſis nummis, tamen eo non eſt præditum acuto, & ideò inſtrui non poteſt, ſicut in genere docet Ariſtoteles, non eſſe diſciplinabilia illa animalia, quæ carent auditu, quia auditus eſt ſenſus diſciplinæ. Deus hunc defectum in ape multis aliis pulcherrimis donis recompenſavit.

1. *Habent apes rempub. optimè conſtitutam*, cui præſidet unus rex, tanquam ſummus imperator, ſed reliquę omnes regi tanquam ſubditi quidam obediunt. Et quidem rex, ſicut pulcherrimè philoſophatur *Baſilius*, non eſt conſtitutus ſuffragiis, quia ſæpè imperita plebs etiam indigniſſimis defert honores: neque etiam ſorte eligitur, quia ſæpè ſors peſſimum quemque tangit, neque jure hæreditario alicujus ſucceſſionis denominatur, quia qui ſucceſſione creantur, illi plerumque ſunt aut improbi, aut imperiti, luxui dediti, & alunt multos aſſentatores: ſed rex apum à naturâ ſeu Deo principatum obtinet propter egregiam formam, magnitudinem & manſuetudinem, quibus præſtat præ reliquis omnibus apibus. Eſt enim ipſe paulò major, paulò formoſior, & ſimul manſuetior. Regulariter unus tantùm ab illis agnoſcitur 837
rex, unde ſi plures exſurgunt, ad ſeditiones declinandas ab apiario removentur:

οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω.

Porrò de regibus apum duplex eſt opinio, 1. *aliqui dicunt, ſolos reges apum non habere aculeum*, cæteras verò omnes habere ſuos aculeos, ſed tamen illos ſubmittere

mittere in conſpectu imperatorum, ex quadam reverentia. 2. Aliqui *verò dicunt, reges habere aculeos, ſed illis non uti,* neque contra hominem, neque contra reliquas apes. Utracunque ſententia obtinuerit, ſicuti poſterior eſt veroſimilior, propoſita certè eſt omnibus magiſtratibus pulcherrima imago, ut potius præſint & dominentur manſuetudine, quàm vi & gladio. Nullius enim rei pulchrior imago in apibus nobis proponitur, *quam regni & regionis alicujus ſeu politiæ. Præterea tantum eſt ſtudium apum erga ſuum regem,* ut ſi quando aufugerit, ſagaciſſimè ipſum inveſtigent, & in regnum reducant, reminiſcentes prioris moderationis. Quàm multi verò ex hiſtoriarum monumentis nominari poterant, qui ſuos legitimos reges partim ejecerunt, partim verò occiderunt, ſicut 23. conjurati Romæ optimum principem Julium Cæ-
838 ſarem interfecerunt. *Rex apum intus ſæpiſſimè circumit,* & omnia diligenter inſpicit, hortatur ad labores, & ſuâ præſentiâ opus fideliter adjuvat, jubetque alias aquari, alias fingere mella, extruere, expolire, & ſuggerere favos, alias proficiſci ad paſtiones, interdum jubet fieri mutationem operarum, & viciſſitudinem munerum: quæ ſunt provectâ ætate, ad illud ſunt delectæ, ut domi circa regem ſe contineant. *Rex etiam habet immunitatem à labore, & quieſcit. Eodem modo pii principes* ſciant ſibi injunctum eſſe hoc officium, ut diligenter inſpiciant ſuos alveolos in Curia & in Eccleſia, & in privatis domibus, ut ſinguli præfecti & Paſtores & reliqui rectè fungantur ſuis muneribus.

2. *Tanta eſt obœdientia apum erga ſuum regem, ut nunquam excurrant, niſi videant præcedere Regem:*

Imò

Imò tanta eſt ipſarum erga Regem benevolentia, ut ſi
fuerit ſenectute oppreſſus, aut aliàs infirmus, alis ſuis
eum ſublevent. *Simili modo pii ſubditi* non tantùm
honorem,verùm etiam alimenta debent ſuisRegibus.
Meritò enim pudere debet illos, qui ſuis magiſtrati-
bus & aliis præſidibus Eccleſiaſticis denegant tributa,
cum hoc irrationale animalculum proprii nutrimen- 839
ti reliquiis regibus ſuis condonet, quemadmodum
pulcherrimè loquitur Baſilius. Verùm ſicut Rex a-
pum contentus eſt reliquiis nutrimenti, non vi aufert
reliquas partes, unde neceſſe eſſet interire apiculas, &
turbari ſocietatem ipſarum: ita quoque Reges & Prin-
cipes tondere debent pecus non deglubere. Omni-
no apes habent eundem veſtium ſuarum externùm
colorem, ſicut fratres unius cœnobii, quos olim Bur-
ſas nominârunt, ab eadem pelle, unde eſt noſtrum i-
dem Germanicum de ſimilibus ſociis, Burß/ Rex ta-
men paulò eſt à Deo factus pulchrior. *Sic prærogativam principibus concedere* in honoratiore veſtitu
debebant ſubditi, ad hanc rem auditoria ſua adhortari
Paſtores, & ipſi cum uxoribus & liberis ſuis bono
præire exemplo.

4. *Admiratione autem digna eſt ipſa operatio apum.* Hinc indè enim circumvolitant, & ex omni-
bus pratis colligunt optimum quodque, nempè ex ro-
re & ex floribus præſtantiſſimos ſuccos. Ariſtot. l. 9.
c. 40. dicit, quod ordine colligant non de omni flo-
re promiſcuè, ſed transeundo de viola ad violam uno
profectu, ne dum alium tangant florem, hominibus
prudentiores, qui in actionibus ſuis ſæpè multa con-
fundunt, qui ex omnibus volunt eſſe aliquid, in toto
ſunt nihil. Illud autem quod colligunt ex rore & 840

floribus, ubi alteretur, quod phyſicis diſcutiendum reliuquimus & medicis, ore ſuo evomunt in cellas, easque uno atque altero die replent. *Id quod eſt ſignum indefeſſi ſtudii & maximæ induſtriæ*; quia non modò non ceſſant, verùm etiam undique colligunt, quæ ſunt optima, idque debet eſſe imago ſtudioſorum, in quibus nulla debet deprehendi ignavia, & ut apes libant optima quæque: ita ipſi ex omnibus lectionibus & libris tantùm ſelectiſſima comparare debent in uſum ſenectutis. Initio autem illud, quod evomunt in cellas, valdè eſt dilutum ſicut aqua, ſed mox incipit ferveſcere, ſicut vinum muſtum & cereviſia recens cocta, ut hac ratione purgetur. Tandem igitur ſucceſſu quodam temporis purgatum & magis excoctum tùm dulceſcit, tùm etiam craſſeſcit, & proprè appellatur mel. Præſtantiſſimum autem fit, præſertim ab adultioribus (quia experientia multùm præſtat) & præſertim tunc, quando ipſis ſuppetit magna copia thymi & aliarum herbarum calidarum & ſiccarum. Quælibet proprium alveum dicitur implere, non occupare alium, etiamſi tempeſtas & æſtas valdè fuerit immitis. Monemur fruſtra ingenioſos creari divinitus, niſi ingenio uti velint.

841 Antequam autem mel gignant, prius fingunt favos, & faciunt ceram. Materia ceræ & gluten, quod fluit ex floribus, & ex arboribus. Vix autem verbis ſatis deſcribi poteſt induſtria apum in confingendis favis. Venuſtiſſimi quidam Reges egregias quasdam aulas extruxerunt, ſed plus eſt ſolertiæ in domibus apum. Primò omnium enim circa apiarium extendunt ceram, quæ pars eſt inſtar tecti, ad quam partem durior: utuntur materia. Sub tecto faciunt cellas

las mirifica arte, & quidem ſexangulares, id quod fa-
cere norunt ſine arte, ſine tegulis, ſine circino, ita ut
exactè fiant ſex latera & ſex anguli.

Non autem angulum angulo conjungunt, ſed la-
teri adaptant angulum, quæ res facit ad firmitatem.
Et regum quidem cellas eminentiori loco ædificant,
faciuntque magis amplas: circa has proximæ ſunt
illarum cellæ, quæ ſenectute afficiuntur, ut ſint tan-
quam conſiliarii aut cuſtodes & ſatellites regum, ſicut
in rebuspubl. ſeniores cives jubentur fungi munere
tranquilliore. Extimum locum occupant illæ, quæ
ſunt adoleſcentiores, & ætate confirmatiores. Par-
tem aliam dicuntur habere ad prolem, aliam ad mel-
la, aliam ad fucos. Primos tres verſus faciunt ina-
nes, ne fit quod furantem innuere queat, imò ut ſit po- 842
tiùs, unde fur deterreatur.

Quamdiu autem vivit Rex, tamdiu examen pace
fruitur, neque ſunt ullæ confuſiones, neque fuci ma-
nifeſtè audent turbulenter irruere in cellas apum: ex-
tincto verò Rege omnia perturbantur, & fuci magis
miſcent ſeſe apibus, & pariunt in ipſarum cellis. *Opti-
mè non tantùm regi politico, ſed & bonæ matriſfami-
lias poſſunt attribui omnes hæ proprietates*, quas Regi
apum huc usque attribuimus, qua ſalva, ſalvæ ſunt
res œconomicæ, pereunte flacceſcunt. Veſperi, cum
appropinquat tempus ſomni, omnes murmurant, do-
nec una aliqua circumvolitat, & bombum bis vel ter
emittit, quaſi daret ſignum ſomni: mox enim omnes
quieſcunt, neque ullum murmur amplius auditur. I-
dem etiam fit manè, cum provolandum eſt ad paſtum.
Iterùm enim una aliqua bombo reliquas excitat, &
extemplo excurrunt ad paſtum. Hinc ergò patet

iſtas capere ſomnum, quia maxima eſt tranquillitas per totam noctem, ſicut etiam per totam hyemem, ubi ſeſe non movent.

4. *Porrò ſolent mundiciei & puritatis eſſe ſtudioſiſſimæ.* Tantùm enim veſcuntur floribus, abſtinent à carnibus omnium animalium, libidinem & delicias
843 oderunt: fictum & fucatum, hoc eſt, unguento delibutum perſeqvuntur. Excrementa etiam in locum peculiarem congerunt, & illas ſordes diebus minus ſerenis exportant. Quin etiam mortuas non patiuntur intra alveos, ſed evehunt. Hæc eſt maxima temperantia & puritas.

5. *Neque minor in ipſis reperitur fortitudo,* quia acriter bella gerunt cum hoſtibus, imprimis cum fucis, degeneribus & aculeo carentibus, ignavis apibus, qui naſcuntur inter apes, & interdiu latent in cellis abditi, ſed nocte cum obſervaverint apes dormire, invadunt opera ipſarum, & vaſtant alveos. Etſi autem noctu quædam ſicut in caſtris excubias agunt, tamen quia plurimæ dormiunt, cum poſſunt, verberant fucum modicè & leviter & alis in exilium expellunt. Verùm pigri & voraces illi non corriguntur, ſed intra favos ſeſe abſcondunt, & ubi profectæ apes fuerint ad paſtum, redeunt ad furtum.

Itaque apiculæ graviorem adhibent pœnam, & aculeis tanquam latronem percutiunt, & ſi ſæpius redierit, tandem planè interficiunt. Non gravius tamen incipiunt punire fucum, niſi plus æquo furetur, quin alioquin tolerant, quod aquam afferre ſoleat, & ſuo
844 calore fœtum apum adjuvare: adeò ut dicant, quo plures ſunt fuci, eo plura fieri examina apum: Et annis proſperis dicuntur quædam domicilia fabricare

apes

apes etiam ipſis, quanquam aliàs fuci ſibimetipſis favos fingunt, nec tamen tàm ſæpè exeunt, quàm apes exeunt, unde fures otioſi appellantur, ſicut etiam tantùm apibus & uvis nocent. Significant igitur hoſtem alieno labore viventem, ut ſunt milites inertes, item ſumptuoſæ mulieres. Neque aliud animal ullum fugiunt apes, ſed ſervant quidem pacem cum omnibus, à quibus non afficiuntur moleſtia. Odium inexpiabile exercent cum aliis, quæ ſunt hoſtes, ut pari, aviculæ, veſpæ, hirundines, ſerpentes, aranei.

Ariſtoteles refert ipſas aliquando eqvum invaſiſſe & interemiſſe. Vide Ariſtotelem de hiſtoria animalium l. 8. c. 40. & Plinium l. 10. c. 18. Hinc Deut. 1. Et Pſ. 118. *Hoſtes Eccleſiæ comparantur irritatis apibus.* Notum enim eſt quantis aculeis, & quo robore animi in hoſtem ferantur. Heinrici Imperatoris dux quidam obſeſſus ab alio duce Lotharingiæ non potuit aliter ſuæ ſaluti conſulere, quàm alvearibus apum projectis in hoſtes, ubi equi ab apibus in furorem fuerunt converſi: Idem fecit dux quidam Regis Luſitaniæ, Anno Chriſti milleſimo, quingenteſimo 845
decimo tertio, apud oppidum Xiarimenſe in Mauritaniâ. Alvearia enim apum innumerabilia, quibus abundant, incenſa è manibus dimiſit, ita ut hoſtes oppugnationem deſerere cogerentur. Et Bonfinius Decade 3. l. 4. ſimile exemplum de Albâ Græcâ commemorat oppugnata ab Amurathe, ubi oppidani præter alia etiam apum examina in Turcas miſerunt.

6. *Præterea non tantùm hoc animalculum eſt Geometricum, & facit ſex angulares figuras, verùm etiam muſicæ ſtudioſum.* Nam quando ſub initium veris ex

favis

favis & cellis evolavit totum examen, tinnitu æris revocatur, quia harmoniâ & numero delectatur.

1. *Sicut igitur* in apibus magna eſt temperantia, ita ut nullis ſordidis cibis adhæreant, nec niſi dulcedine delectentur, & bibant ex clariſſimis fontibus, *ita honeſti cives* vitare debent ſcelera,& omnes pii in Eccleſiâ cavere debent traditiones humanas, & tantùm ſtudere fontibus verbi divini.

2. *Sicut* item apes abſynthium,& alias amaras herbas tanquam venena fugiunt; *ita Eccleſia* hæreſes & impias atque falſas opiniones peſte pejus & angue odiſſe debet.

3. *Sicut* item apes non commorantur in illis locis,
846 quæ olent unguenta, & ut Varro commemorat, graviter puniunt illos, qui uncti accedunt: *ita Eccleſia* impios ritus & fictam ſanctitatem vitabit. Ariſtoteles dicit, alas ſemel evulſas nunquam renaſci, & extingvi apes prorſus, quando aculeus detrahitur. *Simili modo in politiis* neceſſe eſt, interire decus virtutum, quando perit majeſtas legum, quando virtutes non recompenſantur, & vitia non puniuntur. *Sic item in Eccleſiâ* imminebit interitus piorum, ſi ipſis adimatur ala, id eſt, fides in Chriſtum. Miſerrimè etiam ægrotare perhibentur, quando redeunt ex ſilvis, & apportant flores æruginoſos. Sic ſæpenumerò Eccleſia amittit externam ſuam ſalutem & formam, cum dominantur hæretici.

4. Et *ſicut apes* aberrantes revocantur ſono & tinnitu: *ita quoque* Eccleſia ab hæreſibus, & à vitiis verbo Dei revocanda eſt.

5. Et *ſicut apibus* magna eſt pugna cum veſpis & fucis, & cum aliis hoſtibus, qui non modò non adjuvant

vant eas, ſed mel conſumunt; *ita Eccleſia* ſemper juxta ſe habet ſuos hoſtes, neque tantum metuit exteros, quantum proprios fratres & ſocios, ex quibus multi ſunt, qui non docent, ſed tantùm decoqvunt bona Eccleſiæ.

6. *Sicut item apiarius* æſtatis tempore ſæpè inſpi- 847
cit alveos, & ſuffitum facit, ejicit tineas & veſpas, quæ
habent ſimilitudinem apum; *ita Filius Dei* ſæpenu-
mero mirabiliter punit hæreticos & impios, & purgat
ſuam Eccleſiam.

7. *Sicut abundante* alveo apes ſobolem educunt:
ita pii dent operam, ut liberos rectè inſtitutos ad pu-
blicum uſum Reip. & Eccleſiæ emittere queant. Pli-
nius dicit apes multas, quando una defuncta eſt ejici-
enda, prodire in funus; item extincto rege totam ple-
bem lugere ignavo dolore, non convehere cibos, &
triſti tantùm murmure glomerare circa corpus ejus.
Audiant hæc Chriſtiani, quæ apes faciunt ſine præce-
pto, & pudeat ipſos non facere ſimilia, quibus lege
ſancita ſunt ſimilia, inquit quidam ex Patribus. *Sicut*
autem apes Samſonis non generantur ex concubitu,
ſed ex putrefacto leone: *ita* Eccleſia non gignitur
carnali propagatione, ſed verbo & morte Chriſti. Et
Chriſtus eſt ille Leo Samſonis, unde apes prodibant,
id eſt, Chriſtiani, & unde provèniebant mella, i.e.
dogmata Evangelica in ore Leonis mortui dulciſſima.
Mel enim eſt quaſi vinum apum factitium eadem ho-
mini bona præſtans, quæ vinum, & reddens longæ-
vos. Cera eſt litera ſcripta; ſed mel eſt ſenſus inti-
mus ſcripturæ, Pſ. 119. v. 103. Quam dulcia ori meo 848
mella & favus: ubi mel pro lege: favus pro Evan-
gelio accipi poteſt. *Et ſicut* apes manè excitantur

triplici

triplici bombo, ut ad opera ſurgant: *ita* tandem in ultimo die Filius Dei ſuo ſono nos excitabit.

Poſſunt autem *alveoli apum commodiſſimè conferri cum Academiis, & apes cum ſtudioſis.*

1. *Sicut* enim in æſtate apes diligenter laborant, & undique ſibi colligunt neceſſaria vitæ præſidia ad uſum hyemis: *ita juventus* hoc tempore officium rectè facere debet, ex omnibus auctoribus tantum optima ſeligere & colligere.

2. *Sicut* enim apes flaccidos flores prætereunt: *ita ſtudioſi* relinquant tales libros, unde nullus ſuccus ſolidæ eruditionis exprimi poteſt. Cæterum quæritur, cur Deus in ſacrificiis Veteris Teſtamenti noluerit apum ſibi opera offerri. Neque enim unquam mel offerri juſſit, neque ceram, ſed oleum de olivarum amaritudine expreſſum lucebat in tabernaculo Domini. Nimirum veros cultores & adoratores Domini monuit hæc ceremonia, etiam in religione non dulces corporum voluptates, ſed calamitatum ærumnas expectandas in hac vita. Apud Plinium lib. 11. c. 14.
849 oſtenditur, mella quædam eſſe venenata. Omnino etiam voluptates corporis, & illecebras hujus mundi multis exitioſas fuiſſe demonſtrari poterat.

Quæritur item, quid ſibi velit in Moſe toties occurrens phraſis *de terrâ fluente lacte & melle*, & reſpondetur, hac nihil notari aliud, *quam terram divinitus ita irrigandam, ut non niſi pingvia pabula proferat pro armentis lacte complendis & amœniſſimos flores*, unde apes plurimum mellis colligere queant, quanquam primo contuitu terra tota apparitura ſit petroſa vel ſaxea. Neque enim naturâ tàm fertilis & pinguis fuit Judæa, alioquin adhuc hodie talis extaret, ſed à

Deo in uſum tunc incolentium ita irrigabatur, & ſupra naturam fœcundabatur, Deut. 11. v. 19. & ſeq.

Denique ſicut mel nimio uſu hominibus fit amarum: ita viribus ſuis altiora quæcunque ſuſcipiens ingenii jacturam feret. Eò alludit Salomon Proverb. 25. v. 27. ubi ſic legit verſio vetus: *Scrutator majeſtatis opprimetur à gloria,* quod tamen verbo ad verbum in Hebraico codice ita non habetur. Sed ſatis de hoc primo & nobiliſſimo inſecto.

Caput III.

DE VESPA, CRABRONE, CULICE ET SCARABÆO. 850

Cognata apibus ſunt hæc duo inſecta, *Veſpæ & Crabrones.* Et quidem *veſpæ gigni dicuntur ex cadavere equorum*; rectiùs dixeris in cadavere equorum, ſicut ſæpius in hoc tractatu oſtenſum eſt: Et *faciunt favos ad ſimilitudinem apum,* ſed mella fingere ac bonam ceram facere nequeunt, capiunt etiam cibum ex floribus & fructibus, ſed potiſſimum ex carnibus, & quidem ſerpentum & aranearum. Item veſcuntur apibus, muſcis, uvis. *Sunt omnibus quatuor alæ,* gracile in medio corpus ita, ut alvo tenui fiſtulâ aut ligamento corpori annexum videantur. Formant ſibi veſpeta ex cortice & arenoſâ materiâ quædam, quædã ex aliâ, &c. volant ut apes non rectò ſed circulari volatu, quia caudis carent. Sunt tamen quædam aculeatæ Veſpæ, quæ involant in viperas mor-

mortuas, & aculeum veneno imbuunt, ſicut didicerunt homines artem inficiendi ſagittas veneno. *Magna eſt pertinacia horum inſectorum,* qui neminem admittunt ad ſuas domos, ſed acerrimè pugnant pro patriâ, neque ceſſant, niſi penitus extinguantur, irri-
851 tatæ circa caput mirâ animi fortitudine, & miro modo circumſtrepunt, ſuos fœtus ac lares defenſuræ, inquit *Homerus Iliad. μ.* Quod *debet eſſe imago omnium,* ut acerrima certamina ſubeant pro ſuis. Quanti ſint ictus & quàm acerbi, quos infigit veſpa, vel hinc notum eſt, quia nulli ſunt ſine febri. Pudeat ergo multos Chriſtianos, qui non ita feriò pugnant, ſed ſæpè colludunt cum hoſtibus. *Omninò veſpis ſimiles eſſe decebat omnes homines pro defendendâ religione &* libertate patriæ, pro defendendis & liberandis uxoribus, liberis captivis per Turcas. *Sicut enim veſpæ* à pueris irritatæ magis ſæviunt: *Ita provocatos* iſtos decebat ſtrenuè pugnare ſingulos conglomeratim accurrendo tanquam veſpæ faciunt, quæ cum tumultu ex cavernis evolant, ac magnam hoſtibus meditantur moleſtiam. Hanc audaciam veſpis inde contingere putant aliqui, quod putantur naſci ex cadavere generoſi animalis equi. Poſſunt tamen etiam *dici imago talium bilioſorum,* qui nec innocentibus parcunt: vindictæ item plus quàm ſtudioſorum.

Habent veſpæ ſicut apes Regem, qui duplo majore eſt corpore, quàm reliquæ, ſed tamen manſuetus,
852 qui non facilè alicui exhibet moleſtiam. Quis igitur non exſecretur Dionyſium in Sicilia tyrannicè imperantem ſuis, ut nihil dicatur de aliis. *Si apes repræſentant regem,* qui eſt membrum Eccleſiæ Chriſti, *veſpæ & crabrones poſſunt denotare illos principes,* qui ſunt

ſunt extra Eccleſiam. *Sicut* enim hæc inſecta non gignunt mel: *ita Reges extra Eccleſiam* carent fide Chriſti.

CRABRONES veſpis *quoad vivendi legem moresque admodum cognati, multò tamen majores apibus, & veſpis, etiam habent ducem* ut Apes, & aculeos valdè peſtilentes, & commemorant auctores viginti ſeptem ictibus hominem interfici. Cumque aliquę ſint veſpæ, quę carent ſpiculis, ut etiam quædam apes, tamen nulla eſt inter crabrones, quæ careret ſpiculo. *Quandoque tum crabrones, tùm veſpæ nidificant ſub terrâ*, & protrudunt terram, ſicut formicæ, faciuntque ſubterranea foramina. *Mortuis reliquis ſi qui ſuccedunt novi*, illi priora foramina reddunt ampliora, adeò nihil illis eſt ſtudio niſi exſtruere & exornare ſedes ſuas. In illis foraminibus aliquid reperitur ſimile melli, ſed vix ut gutta. *Sic licet* in politiis extra Eccleſiam reperiantur virtutes, aliquo modo ſplendidæ, tamen illæ ſunt ſicut guttæ, ſi comparantur cum melle apum, id eſt, cum ipsâ fide & vitâ Eccleſiæ. *Et ſicut* Crabrones hyeme aut coguntur jejunare aut etiam intermoriuntur, quia in æſtate nullum cibum colligunt & reponunt, cum contrà apes plurimùm reſervaverint: *Ita regna*, quibus non eſt notus Filius Dei, in alterâ vitâ egebunt. Quando ſuos duces amittunt Crabrones, tùm in arboribus ſolent nidificare. Vivunt carne, quam etiam in ſtercoribus quærunt, rapiunt apes, & majores muſcas, quibus præcidunt capita, reliquas partes in nidum deportant: vivunt etiam nucibus, quibusvis pomis & uvis. 853

Poſſunt etiam comparari cum militibus, qui transcurſu ſuo quaſi aculeo inferũt ruſticis magna damna;

item Sophiſtis, qui apud ſimplices relinqvunt in animis ſcrupulos magnos propter ſubtiliſſimas argumentationes.

Denique ſervetur illud Exod. 23. v. 28. *Mittam crabronem ante te, qui expellat Hivæum & Cananæum & Hitthæum à facie tuâ.* Repetitur illud Deut. 6,20. De hujus expoſitione diſcrepant Theologi: *Aliqui* enim interpretantur *de pavoribus immiſſis, aliqui de malis Angelis.* Sed omninò verba ſunt intelligenda, ſicut ſonant. *Deus immiſit in impios Cananæos maxima agmina magnorum Crabronum*, qui aculeis ſuis peſtilentiales morſus inflixerunt, adeoque plurimos in fugam coëgerunt. Legatur enim Joſ. 24. v.
854 12. Hodie quoque nimis multas ſævientes muſcas, papiliones, vermes, erucas, formicas & alias cognatas beſtiolas pro ſingulari Dei irati exercitu interpretabimur. Sicut igitur ranis Ægyptios: ita crabronibus Chananæos expugnavit Dominus. Extant plurimæ aliæ hiſtoriæ ſimiles.

Plin. l. 8. c. 29. recenſet, *aliquas civitates à minutis animalibus deletas, nimirum à cuniculis, à ranis, à talpis, à locuſtis, à muribus, à ſerpentibus, à ſcorpionibus.* Apud Herodotum l. 2. *nocte una agreſtes mures abedunt pharetras, & arcus ſcutorum habenas in exercitu Senacheribi, ut poſtero die omnes milites fugere cogerentur, qui antea ſuperbiſſimè maximeque minitabantur.* Quomodo alio tempore per angelum noctu deletus fuerit ejusdem Sennacheribi exercitus alius, patet 2. Reg. 19. Apud Theodoretum lib. 1. c. 7. & l. 2. c. 10. Niſibenſes, cum obſiderentur à Sapore Perſarum Rege, Jacobus Niſibenſis Epiſcop⁹ precibus à Deo ex turre quadam innumerabilem multitudi-

titudinem crabronum & culicum impetravit, quibus Elephanti & jumenta in furorem acta, & totus exercitus in turpem fugam fuit conjectus. Similia leguntur apud *Oroſium l.3.c. ult. Athenæum l.8.c.4.* 855
& Euſtathium in Iliad. α. Diodorum lib.3.c.3. Plinium l.10.c.65. Quandoque nec ferro peperciſſe mures, ex Heraclide refert *Zvving. inTheat. l.2.vol.3.* Nota eſt etiam commemoratio de Hattone Bonoſo, Archiepiſcopo Moguntino, qui à muribus in medio Rheno divexabatur, & cujus nomen poſt mortem mures ex tapetibus eraſerunt. Sic in Exodo κυνομυία dicta Græcæ interpretationi, hoc eſt, omnis generis muſcæ (cap. 8.) papiliones nimirum, bruchi, formicæ, Erucæ, infeſtant Ægyptios, ſonitu terrent, ſitientes ſangvinem in ora hominum involant, etiam in oculos, intra aures, intra nares, pruritum noxium immittunt. Verba igitur allegata citra allegoriam ſunt accipienda.

MUSCA.

Notiſſimum *eſt hoc inſectum, & multas habet ſpecies, quia quædam ſunt majores muſcæ, quædam minores.* Lingvam habet vel promuſcidem, quâ cruorem ex animalium corporibus extrahit, & quâ guſtare poteſt omnes ſapores, omniaque paſſim libat & vorat, licet ſæpenumero melle, & oleo pingui & incraſſato intercludantur meatus, per quos aërem beneficio alarum inſpirare debebat, licet etiam in cere- 856
viſiario vitro, & in calidâ offâ, pereat, ſicut multis immoderatæ nocuerunt gulæ, & voluptates, & divitiæ. Nihil ipſa eſt aliud niſi pellicula inflata, quæ movetur beneficio caloris, quæ in eâ augetur à Sole; unde ſub hyemis adventum ſeſe abſcondit, & ſemimortua

latet uſque ad adventum veris. 1. *Quod ad mores attinet, valdè eſt importuna, audax, tædioſa, proterva,* militaris ſeu ſtratiotica, inſolens, inquieta, errabunda, *unde militibus*, ut à Luciano, olim Scythis oberrantibus *poſſet comparari:* & ubi à nocte deprehenditur, ibi & domum & lectum facit, & dicitur ubique locorum commorari, modò non ſit quod eam perimat, ſicut de fodinis metallicis ſcribit *Plin. l. 34. c. ult.* item modò non polita, & glabra aut levia, quibus non poteſt inſidere diutius: ad omnia tamen accedit. *Scaliger Exercit. 246. ſect. 4.* refert, *à mago quandam Cattiterinam lamellam ad arcendas muſcas conflatam ſe vidiſſe, ad quam nihilominus pro feneſtris depoſitam extemplo advolarit audax muſca, & ſpectantibus ipſo ſociisque illico alvum ſuam exonerarit.* Tradunt in Ægypto apud Syramides *tàm magnam earum frequentiam* (*Bellovius l. 2. Obſervat. c. 4.*) *ut aër illarum volantium murmure reſonet.* Imprimis
857 ad cadavera magnis agminibꝰ præſertim in bellis advolant, unde apud *Homerum l. 2. & 19. Iliad.* dicuntur conſumere viros bellatores. *Mizaldus* tamen refert, parvas æſtate circa veſperam glomeratim ludentes eſſe indicium futuræ ſerenitatis. Hyeme magnâ copiâ reperiuntur in cellis, in templis poſt tabulas, & in ſimilibus locis. Sex habet pedes, quatuor ſolis incedit, duobus anterioribus etiam pro manu utitur, quibus edulium aliquod ſublime tenet, more valdè humano. *Quædam* ſunt piloſæ, *quædam* carent pilis: *quædam* nigræ, *quædam* cinereæ, & *quædam* libenter verſantur cum hominibus, *quædam* prope aquas, *quædam* in agris, *quædam* infeſtant boves, *quædam* canes, *quædam* equos, & aliqui recenſent plusquam

quam ſexaginta diverſarum muſcarum genera, quod
meritò mirandum eſt, ſicut papilionum plura quidem
genera, quàm centum enumerant & depingunt. Ad-
eò Deus ex tàm minutis voluit magnam ſuam provi-
dentiam à nobis conſiderari.

2. Fœmina *mare aliquanto eſt major (inquit Al-
drovandus) alvo craſſiore & materiâ quadam lentâ
& ductili repleta,* ova, ſi leviter digitis prematur, ex-
tra emittit: Hanc pueri filo nectere dicuntur, ut po-
ſtea libera emiſſa iſtud ſecum volando trahat. Mas
autem ventrem ferè vacuum habet, non diſtentum, ut 858
fœmina, ſed velut rugoſum. Ab hiſce vulgaribus
differunt majores, quæ tum ingrato ſuſurro, tum de-
teſtandâ fœditate corporis ſunt moleſtæ, ſicubi enim
& præcipuè in carnibus incidant, ſtatim emiſſâ alvo
proluvie vermiculos albos in aliquot Italiæ locis,
Scianſcionis dictos, procreant, inquit idem *Aldro-
vandus.* Ex vermiculis autem evadere tandem mu-
ſcas, idem commemorat lib. de inſectis, & *Scaliger*
ipſe vidit in manu muſcam deponere materiam iſto-
rum vermium. Simile his variis Phyſicis genera-
tionibus habemus aliud. Aves fructus arborum vo-
rantes ſinunt labi, & ſemina & nucleos in caver-
nas, unde plantatur ſæpè arbor ſuper ſcopulum vel
rem aliam. *Plutarchus* eam comparat cum hirun-
dine, quæ partim videtur eſſe fera avis, partim man-
ſueta, de qua dixit *Pythagoras hirundinem ſub tecto
ne feras.*

3. *Porrò nullum tàm eſt indocile animal, & tàm
expers omnis diſciplinæ, atque muſca.* Licet enim
quòtidiè vivat inter homines, tamen ad nulla opera
poteſt aſſuefieri, nihil etiam homini prodeſt, non pa-

titur ſe contrectari, ſed diffidit vel præcociſſima ſtatim fugit, non confidit homini.

859 4. *Deinde non minus habet impudentiæ*, quia etiam Regum menſas adit, neque hoc ipſi ſufficit, ſed ſæpe cibis ſeſe ingerit, & licet depellatur, ſubinde tamen redit. *Nullis parcit maximis & ferociſſimis animalibus*, equis, leonibus, ſed ea exagitat, nec metuit mortem, unà cum cibo immerſa in os, tamen moleſtiam creat. Pulſa tamen redit, acutius pungit, Deus etiam propter eam animalibus longas caudas, & aures mobiles, ut manus dedit. *Eſtque imago Paraſitorum, Hæreticorum pertinacium, meretricum, impiarum cogitationum*, hominem vexantium. *Generoſa à quibusdam per laudem dicitur*, quod nihil in tenebris faciat, ſed tùm quieſcat, multis hominibus hac in parte beatior, qui non niſi in noctis tenebris opera tenebrarum faciunt. *Callida tamen ſimul eſt*, quia hoſtem araneam, quæ in omnibus angulis domorum ipſi retia pandit, diligenter obſervat & declinat.

5. *Præter impudentiam etiam immundum eſt hoc inſectum*, quia præſertim per æſtatem emittit ſtercuſcula tanquam puncta, quibus paſſim ſolet defœdare, non tantùm tabulata, verùm etiam picturas. Et cum primis adverſaria eſt muſca librorum Hebræorum, in quibus punctum facili momento mutare poteſt. Eſt-
860 que quoddam genus Muſcarũ, *quod vocatur Oeſtrus*, eſtque *inſignis magnitudinis, & habet aculeum maximum & firmiſſimum, & edit ſonum plenum aſperrimo bombo*, aliasque dicitur Aſylus & Tabanus, diciturq; boves vehementer exagitare. Aliud eſt genus muſcarum, *quod dicitur Myops, quod quidem habet minorem aculeum; ſed aſperiorem format ſonum*, quàm *Oeſtrus*

Oſtrus, & utrumque vehementer infeſtat equos & vaccas, unde natum eſt prov. de rabidis & furioſis: *Oeſtro percitus*. Aliud eſt genus Muſcæ, quod dicitur κυνομυία, Hundes-Mücken/ habetque magnum corpus, & latum ventrem, non tamen celerem volatum. *Hoc ſolet ſeſe inſinuare canum pilis*, præſertim in auribus, quibus mordicus adhæret, & exugit multũ ſangvinis, ut cruentæ fiant aures. Poſtea hoc ipſum genus tenaciſſimè ſolet adhærere membris hominum, & malè olet, quia nutritum eſt ſangvine canum. Tales etiam muſcas immiſit Deus in Ægyptios, ut patet ex Pſ. 78. 45. & 105. 31. Etſi autem videtur nomen habere à canibus & muſcis, quia *ſcilicet eſt muſca, quæ imprimis vexat canes*, tamen etiam hæc poteſt eſſe ratio derivationis, quia non eſt ſimplex muſca, ſed canina, id eſt impudentior muſcâ. Inter omnia aliàs ani- 861
malia non ſunt impudentiora, niſi hæc duo, canis, qui paſſim allatrat omnes, & muſca, quæ nemini parcit, ſed involat omnium hominum facies. Valde igitur appoſitum Græcum vocabulum κυνομυία, & ita appellare poſſumus *impudentes homines, & audaces nebulones*. 1. *Sicut* enim *muſcæ* per omnia loca circumvolitant: *ita tales impudentes* homines ſunt ardeliones & curioſi, qui omnia nova expiſcantur. 2. *Baſilius Magnus: ſicut muſcæ* ſalubre, ſi quod offendunt, prætereunt & ad vulnera properant; *ita invidi* vitia aliorum exagitant, & de virtutibus tacent. 3. *Et ſicut muſcæ* delectantur alienis menſis: *ita tales impudentes* plerumque ſimul ſunt Gnathones. 4. Sed ſicut muſcæ etiam propriis dominis non parcunt, ſed cruorem exſugunt: *ita quoque Gnathones* ſunt ſæpenumerò in proprios Dominos malefici. *Cum igitur quo-*

dam tempore menſam plenam Gnathonum emendicantium haberet Alexander M. ita allocutus eſt adſtantes: Quàm acriter pungunt me muſcæ. In palatio Veneto nulla dicitur deprehendi muſca, ſed in Tholetano in Hiſpaniâ ſemper unica. Amorrhei adorarunt ſolem, quem nominabant Bahal, id eſt, Dominum. Cumq; in ipſius templo etiam nulla muſca appareret, ideò ſo-
862 lem, cujus illud erat templum, tandem nominabat Bahalzebub, id eſt, Dominum muſcarum. Quæritur autem, quî fieri potuerit, quod in plerisque nulla fuit reperta muſca. Sicut Diabolus ex permiſſione divinâ, ex unâ regione per ſuos magos interdum ſolet abigere omnes ſerpentes, ita exiſtimant ſimili modo hoc accidere. Et in quodam oppido Ægypti repertum fuit idolum Crocodili. Quam impudens autem ſit muſca, unus ex Pontificibus Romanis fuit expertus, Alexander quartus, apud Nauclerum. *Cum enim is animi gratiâ cum Cardinalibus* egreſſus fuiſſet intus, & limpidam aquam ore vellet haurire, ecce ſtatim muſca quædam in fauces involavit, ita ut extemplo illâ ſtrangularetur. Imò, ut alicubi *Lutherus* ſcribit, rimatur podices noſtros, & poſtea advolat ad labia noſtra. Scribunt Hebræi toto tempore durantium ſacrificiorum in Judæa, tamen loca circa altare à muſcis vexata non fuiſſe, contrà apud Ethnicorum ſacrificia fuiſſe frequentiſſimas muſcas, id quod forſan ſingularib⁹ remediis procurarunt veteres Hebræi, Phyſicarum rerum ſupra omnem Philoſophorum Ethnicorum infinitam turbam infinities ex Patrum ſanctorum informatione peritiores.
863 6. Quamvis autem animal eſt valde audax, *tamen cum incidit in aquam præter modum fit timidum, neq;*
ſeſe-

ſeſe à ſubmerſione poteſt liberare. Hæc quoque eſt *natura ardelionum*,qui in calamitatibus propè deſperant. *Lambens guttas* menſarum manet ſalva, ſed involans in plena vitra, & in eſcas opimas ſuffocatur: *Ita multi* in paupertate ſalvantur, qui ditiores facti degenerarent, & in æternum perirent.

7. *Muſcæ uſum ſuum habent, quia ſunt cibus volatilium, imò etiam piſcium quorundam.* Fabulantur Hebræi, *Davidem aliquando interrogaſſe Deum, cur tria inutilia condidiſſet, homines ſtultos, muſcas & araneas, & hoc accepiſſe reſponſum.* 1. de ſtultitiâ, qui niſi ſe (more apud ſtultos antea viſo) ſtultum coram rege Achis finxiſſet, periiſſet. 1.Sam. 21. v. 13. 2. *de muſcâ*, eam utilem fuiſſe, quando deſcendit de colle Hachila in caſtra Saulis dormientibus omnibus, & accepit lanceam Saulis 1.Sam. 26. v.12. Cum enim pedibus Abneri dormientis juxta Saulem fuiſſet implicitus, ne poſſet regredi, à muſcâ dicuntur morſa crura Davidis, & quod ſic Abner vincula ſolverit, nec tamen excitatus fuerit. 3. De araneâ quod os ſpeluncæ, in quâ latebat David, cum eum quæreret Saul, telis occluſerit. Sed antiquis bonis Hebræorum libris poſterio- 864
res Judæi multa admiſcuerunt talia fabuloſa.

EPHEMERUS:

Facienda hoc loco eſt mentio Ephemeri. Ephemerum animal muſcæ ſimile, vel Papilioni potius ad Hippanim fluvium juxta Cimmerium Boſphorum, teſte Ariſtotele, ſed quadripenne aliqui faciunt, quod mane naſcitur, veſperi moritur, quod in ſpecie, an in rerum naturâ ſit, certò afferi nequit. Eſſet pulchrum id alioquin exemplum hominis, qui mane eſt infans, meridie vir, veſperi ſenecio imbecillis; item brevita-

tis vitæ noſtræ, quia talis eſt ratio eorum, qui nobiſcum diu quidem vixerunt, emoriuntur, ac ſi eos tantùm ſemel in totâ vitâ vidiſſemus, licet & multos, ut dictum eſt, annos nobiſcum vixerint. *Sicut* Ephemera dicuntur naſci & interire in ſolſtitio: *ita* multi abripiuntur in medio florentis fortunæ. Idem *poſſet librorum eſſe inutilium hoc imago*, qui quidem excuduntur, ſed ætatem & poſteriorum judicia ferre nequeunt.

Interim tamen hoc libenter admittimus & annotamus, quod à multis eruditis Phyſicis annotari videmus, quod nimirum multa vel pleraque minima animalcula, admodum matura & vix heri nata, tamen
865 hodie pariant plurima valde ovula, ea citò excludant, & quod fœtus etiam multorum non valdè ſunt vivaces. Fecit hæc provida cura Dei, ne orbis iſtis nimium infeſtaretur. Quoties tamen Deo placet punire genus humanum, toties facillimè in infinitum, & immenſum inſectis terram, & aquam, & aërem complere poteſt & ſolet, ut experientia multiplex teſtatur.

CULEX.

Culex eſt *genus muſcæ, valdè ſubtile, tenuiſſimis alis, parvo alvo, prælongis cruribus, quod per æſtatem mirabili quadam naturæ affectione poteſt olfacere corpora hominum*, etiam in tenebris & ex longinquo, unde involat in habitationes, & magno deſiderio appetit cruorem humanum. *Citius autem ſentitur, quàm videtur*. Etſi enim habet fiſtulam ſubtiliſſimam, tamen ſimul illa eſt acutiſſima, & duo præſtat officia, 1. ad ſuccum, 2. ad pungendum. Adamante ipſo duro operoſior eſt culex, quia ſecum ipſe fert tubam & equitis vim, dum transfigit ipſe, tuba, eqvus, volucer,

cer, ſangvinem ſugit per tubam, quam oculis aſſequi
nequit, ideoque mirabilius Dei opus, quâm craſſus E-
lephantus. Vide culicem Virgilii, & videtur ab a-
culeo culex dictus. Neſcire dicit quidam apud Ari-
ſtophanem, utrum ex ore vel podice canat. Sicut 866
muſca, ita culex cum quieſcit, non ita ſonitum edit,
propter pennarum motum tùm quieſcentem. *Impri-
mis moleſtum eſt hoc animalculum dormituris*, & ope-
ra quædam ad lichnos exercentibus. Unde libenter
advolat ad lichnos, ſed mox appropinquans aduritur.
Delectatur craſſo aceto, & vino non ſubtili. Sicque
eſt imago Stoicorum, qui tantum amant horridos af-
fectus, aſperitatem & inclementiam. In altum tamen
ut in turres evolare non poteſt, quia obſtat aëris mo-
bilitas.

Unde quidam apud Herodotum *in turribus habi-
tantes dicunt ſe eſſe immunes à culicibus, ſed reliqui in
locis humilioribus habitantes, in Ægypto, noctu dicun-
tur expandere retia piſcatorum, & hac ratione eſſe
tuti contra culices, quod culices naturaliter metuant
retia.* In Scripturâ culex accipitur pro re tenuiſſima,
& opponitur Elephanto tanquam rei maximæ. Sic
Matth. 23. 24. Phariſæi ſtrictiſſimè obſervant man-
data anteceſſorum ſuorum, *de decimis mentharum, &
interim magnis vitiis ſeſe polluebant, pugnantibus cum
decalogo. Hinc Chriſtus dicit, ipſos colare culices, &
glutire Camelos. Colare eſt*, cibum in cribro exami-
nare, ne ſordes admiſceantur, & guſtatum adhibere, ne 867
ſit malus cibus. Ergo colabant culices, hoc eſt, tenu-
iſſima mandata Patrum ſtrictiſſimè urgebant, & divina
contemnebant. Glutire cibum dicuntur canes, qui
integra fruſta deglubunt; non dentibus comminu-

unt,

unt, neque etiam guſtatum adhibent. Maxima igitur eſt emphaſis in vocabulo, glutire Camelos.

Porrò *Culex eſt imago etiam calumniatorum, detrectatorum, & convitiatorum* (*imago & uſurariorum, guloſorum & ſeditioſorum*) qui & ipſi nullâ re valent, niſi aculeo, hoc eſt, fraude & convitiis, adeoque magnos adoriri,& virtute pollentes non verentur.

1. *Adoriuntur verò culices* dormientes: *ita* plerumq; detrectatores aggrediuntur iñocentes, incautos.

2. *Culices* ſolent cumprimis ulcera, & ulceroſos equos lacerare: *ita calumniatores* dant operam, ut cumprimis vitia qualia qualia proximorum exaggerent.

3. *Culices* magno ſtrepitu per aërem feruntur: *Ita* convitiatores magnis utuntur verborum fucis.

4. *Sicuti culices* à lumine aduruntur: *Ita iſti*, ut & alii Hypocritæ tandem à veritatis vi capiuntur.

868 5. *Sicut culices* interim ſugunt ſangvinem: *Ita obtrectatores* dum alios pungunt, ſuæ tamen proſpectum cupiunt utilitati privatæ. Tales erant quidam ſacerdotes Mich. 3. *Niſi dederis eis, ſanctificant prælium ſuper auditores.*

Alii per *culicem etiam interpretantur ſpinas Sophiſtarum*, quas non cernunt imperiti, etſi ſcrupulos ſibi injectos ſentiunt tandem. Porrò quamvis corpore ſit imbecilli, tamen non tantùm hominibus & quadrupedibus, ſed etiam hortis ac arbuſculis plurimum nocet, nec obiter ut muſca hoc facit, ſed ad interiora vi tendit, etiam oculis non parcit: *Ita Sophiſtæ & calumniatores* nemini hominum parcunt & omnium æſtimationes contaminant, fortunas etiam & bona lædunt. *Etſi verò cum leonibus pugnat culex*, & expellit

lit leones ex quibuſdam calidis locis (quando nimirum plures conjunguntur culices) tamen tandem capitur ab aranea: *Ita Sophiſtæ*, calumniatores, & eorum ſimiles tandem levi momento & facili negotio, ad pœnas præter omnium expectationem trahuntur, & publicè confunduntur.

SCARABÆUS.

Scarabæus vel cantharus animalculum notiſſimum vaginas habet. 1. *Propter pennas* valdè tenues de-
fendendas; cum non procul volet, ſed ſemper juxta 869
hominem tangentem manere ſoleat. 2. *Loco promuſcidis*, ut & loco aculei, qui ſibi à natura denegatur, ſicut alia animalia *habent aculeum ad defenſionem & tutelam.* Singulis etiam annis deponit illas exuvias, ſicut cancri faciunt. Cruſtam ergò ſingulis annis abjicit, & novam cutem ſortitur. Dentes habet, quibus edendi munus complet.

Plurima enarrantur genera Scarabæorum, quidam etiam ignito modo lucent, ratione humidi lucidi in alvo, nunc huc, nunc illuc promoti, & huc pertinent Lampyrides ſeu Cincinnedulæ, Johannes-Würmer/ quæ præſertim noctu volant, ita tamen, ut nec ante, nec poſt reſecta pabula volant. *Sunt imago illorum*, qui non niſi tunc fulgent, cùm in tenebris verſantur, hoc eſt inter indoctos, quia inter eruditos eſſent obſcuri futuri. Ex illo humido cum aliis quibuſdam mixto dicunt ſcribi ita poſſe, ut noctu tantùm, non verò interdiu legi queat. *Quidam prorſus virides* dicuntur cantharides, *quidam* cornuti, ut cervus volans dictus, ein Schröter/ *quidam unicornes*, *quidam duorum cornuum*: *alii* vivunt panibus, *alii* frumentis, excrementis jumentorum, herbis, lignis: reperi-

untur

untur inter plantas, fruticeta, arbores, gramina, ut dictum eſt, omnino multorum generum. Unum ge-
870 nus mirificè delectatur ſtercoribus præſertim caprarum, ut & equorum.

Naſcitur in ſtercoribus, vivit in ſtercoribus, educat pullos in ſtercoribus, qui dicitur mittere ſemen (rectiùs ova) in ſtercora, veſcitur ſtercoribus. Et quidem ſtercora caprina convolvit in pilulas, haſq; provolvit in ſuum nidum, id quod facit demiſſo capite, & erectis prioribus pedibus. Et ſi quando contingit, ut collis interponatur, & decidat pillula de colle, nihilominus reiterat opus, idque toties, quoties delabitur ſphærula caprini ſtercoris, neque à ſtudio illo patitur ſe deterreri ullâ ratione.

Eſt imago piorum parentum, qui in educatione ſobolis laborem nullum ſubterfugere debent. Præterea tamen eſſe *poteſt hæc imago illorum*, qui in res vanas & inutiles omnem ſuam induſtriam, & omnem vitam conferunt, ſicut faciunt, qui toti ſunt in bonis temporalibus augendis, item in inveſtigandis rebus ſubtilibus, quæ neque ſcientibus proſunt, neque ignorantibus nocent.

Sicut igitur Scarabæi delectantur ſtercoribus, & extingvuntur odore roſarum, ſi quando conjiciuntur
871 ſuper ipſos: *ita quoque* inutilia placent, ſed optima diſplicent ſordidis. Noctu quandoque repente advolare ſolet hujus inſecti genus quoddam ad homines, & horribili bombo terrere parum attentos. Inſigne eſt genus Scarabæi illud, quod vocant Cantharides, Gold-Kefer / Spaniſche Fliegen / ſunt quaſi Scarabeoli ſimiles Veſpis, quaſi Vermes terreni viridis coloris, præpinguis, quæ Cantharides multæ in-
roſis

roſis ac plantis,& frumentis, & arboribus reperiuntur
erodentes frumenta, ſicut etiam plerumque naſcuntur
in ſegetibus, item in quibuſdam arboribus, in fraxino
& ſimilibus, & hoc genus valdè eſt venenoſum, unde
quandoque adhibetur in illis medicamentis, quæ de-
bent exulcerare. In corpore ipſius reperiuntur quaſi
duo brachia, & duo pedes.

Huc item pertinet bupreſtes, id eſt, genus cantha-
ridum, quod ſolet bobus eſſe valdè moleſtum: ſicut
etiam ſuperiùs dictum eſt de bobus. Pedes habet
octo ſerratos. Devoratum autem mirificè excruciat
boves, ita ut fermè rumpantur, viperas tamen his a-
nimalibus optimè ali, & diu ſervari tradunt.

Hæc omnia inſecta, Crabrones, Veſpæ, Muſcæ,
Culices, Scarabæi, & Cantharides accipiuntur pro le-
vibus quidem hoſtibus, ſed tamen quos non debemus
irritare. Nam & vermi ſua ineſt bilis. *Sicut au-* 872
tem Cantharides non niſi maturis frugibus nocere in-
cipiunt: *ita invidi* quidem, non niſi florentibus rebus
bonorum obeſſe nituntur. Etſi verò de Scarabæo
dicitur, quod omnes ſint maſculi, unde apud Ægypti-
os inſcribebatur figura Scarabæi in annulum militum,
ut ſignificaretur, mares non fœminas debere pugnare
pro patriâ: tamen vix diligentiam in quærendo ad-
hibentibus res ita ſeſe habere videbitur.

Utut autem hæc ita à veteribus ſint credita, *tamen*,
pro more ſuperius demonſtrato, nihilominus inde
quaſi ex certiſſimis licet allegorizare, & *optimè Sca-
rabæus cum forti Imperatore, & duce belli, ſeu cum
quovis forti milite conferetur*,

1. *Quemadmodum enim Scarabæus* quaſi armatis
alis conſtat: *ita decet* iſtos homines decoro ornatu
militari excellere.

2. Et

2. *Et ſicut Scarabæus* bombis ſuis territat hominem: *ita quoque* muſicis bellicis, & forti voce militem adverſario terrorem incutere decet.

3. *Sicut vulgò Scarabæi* dicuntur eſſe tantùm mares; *ita* ab oppugnationibus hoſtium & urbium bellicis mulieres abeſſe decet.

873 Et denique 4. *quemadmodum Scarabæi* in ſtercoribus degunt: *ita decet fortem militem* patienter tolerare commorationem in agris, ſub frondibus, ſub tabernaculis.

CAPUT IV.

DE LOCUSTA, CICADA ET ERUCA.

LOCUSTÆ.

LOCUSTÆ ſunt *notiſſima inſecta, mediam naturam obtinentia inter volatilia & reptilia, & habentia pennas etiam incluſas & fragiles*, nullis aculeis infeſtantia, difficulter volantia, quin potius ſaliunt inſtar pulicum, quàm ut vel ingrederentur, vel etiam volarent, & inter ſedendum alata eſſe non videntur. Nemo autem ſatis deſcribere poteſt ſingularem circa hoc exiguum ita viſum inſectum (ut & circa omnia inſecta, quæ tamen pauci conſiderant,) providentiam divinam. Adeò in toto orbe paſſim *diverſos diverſæ locuſtæ habent colores, diverſiſſimas corporum formas, ingreſſus, ſaltus, volatus. Quædam* tantùm canunt: *quædam* prorſus ſunt mutæ, & quæ canunt, eæ vel interdiu tantùm, vel noctu tantùm canunt: *Quædam* plurimùm nocent; *quædam* non nocent;

cent; quin potius hominibus ad eſum & volucribus etiam proſunt.

Ova pariunt innumera, quæ plurima devorantur 874 ab avibus, ne in infinitum inſecta augeantur. Unde *Plutarchus* refert, à Lemniis fuiſſe honoratas galeritas, quod Attelaborum, (id eſt locuſtarum certarum) reperirent & abſumerent ova. *Ælianus* graculis ſimilem refert habuiſſe eâdem de causâ honorem Theſſalos & Illyrios. Falſum eſt, quaſi omnes Scarabæi ſint mares, omnes locuſtæ fœminæ. Locuſtarum fœminæ omnes ſunt majores maribus, & ut aliàs, ita in his inſectis in coitu fœmina aliquid in marem inſerere, & ita concipere ſcribitur. In Indiâ trium pedum magnitudine reperiri; & cruribus ſuis ſerrarum uſum ſubire perhibentur à *Plinio*. Et cum ibi volant, aves eſſe putantur, & Solem obſcurant. Nocturno tempore torpent, & in æſtu meridiano vigent.

Quæ ſingulariter nocent, eæ ſine dubio creantur per ſingularem divinam potentiam inſatiabili paſtu, inexplebili devorandi naturâ armantur, & idcircò valdè ſæviunt, & unà cum bruchis (quaſi imperfectis locuſtis aliſque deſtitutis) & cum aliis detrimenta maximè inferunt integris ditionibus, dum omnia lambunt, abrodunt, detondent, depaſcunt, vaſtant, corrumpunt, intra ſe in immunditiem & mucum conver- 875 tunt, & viciſſim impuriſſimam materiam ſuper terram, & res ex terra naſcentes ſpuunt & excacant, omnia inficiunt. Sed licet usque ad radices depaſcant, nihil viroris & ſucci relinquendo, licet etiam attelabi parva locuſtarum genimina (quæ abire nequeant, donec creſcant eis alæ) fruticum truncos excindant, ubi ad aliorum pabulorum inopiam eſt deventum, tamen

ad magnam corpora ipſorum quantitatem non excreſcunt, quod meritò miraberis, & ex illo ſingularem Dei iracundiam animadvertes.

Sæpenumerò etiam aut difficulter, aut omninò non poſſunt deleri, unde Ethnici quoque hanc iram Deorum agnoverunt & vocarunt, medicamentis, ope humanâ aut precibus avertere conati ſunt.

Apud *Cœlium Rhodiginum* fit mentio feſti locuſtarum celebrari ſoliti 8. Calend. Decembris. *Plinius l. 10. cap. 27.* tradit incolas montis Caſſani, precibus à Deo adverſus locuſtas impetraſſe adventum generis avium, quas Seleucidas vocarunt. Apud *Diodorum Siculum* idem de Ibi ave refertur: Quin & ſerpentes quoſdam locuſtis necandis prodeſſe referunt. Imò
876 propter fertilitatem hujus inſecti apud *Plinium* loco jam citato, *l. 11. c. 29.* in Syriâ ſcribunt imperio militari coactos homines ad necandas locuſtas prodiiſſe, & in Cyrenaicâ regione legem eſſe ter anno eas debellandi, primùm ova obterendo, deinde fœtum, poſtremò adultas.

Obiter admonemus: forſan illud imitati ſunt Principes aliquot Saxonici ante annos non ita multos, qui adverſus hæc & alia inſecta erucas cumprimis mandata typis excuſa promulgarunt, quibus ſingulos ſubditos coëgerunt, ut certo tempore de erucis præveniendis, colligendis, & interimendis laborem ſuſciperent. Quæ mandata publicata meritò laudari debent multis de cauſis. Nam & creatoris Dei providentia, & ira ex nimiâ multitudine talium inſectorum palpatur, & etiam in aliis ſimilibus curandis, ſubditorum extimulatur vigilantia; ſed ad rem: Livius etiam recenſet de locuſtis, quæ Apuliam devaſtarint,

ad quas

ad quas delendas fuerit deſignatus prætor Cneus Sicinius, & cum imperio in Apuliam miſſus cum magno agmine hominum, & in colligendis iis aliquantum temporis inſumſerit. Scripturæ idcircò hanc pœnam hominibus peccantibus ſæpè minantur & illatam oſtendunt, & per illas beſtias hoſtes deſcribunt, *Exod* 877
10. Lev. 11. Deut. 28. Pſ. 78. & 105. Amos. 4. & 7. Proverb. 3. Jerem. 51. & 57. Nahum. 3. & Plinius eas peſtem Deorum vocare compulſus fuit.

Mira etiam ſcribunt plurimi auctores de illis ipſis turmatim ſeſe congregantibus, & per caſtra ſua procedentibus, quoties Deo lubitum fuerit, & quædam habent capita, ut equi, & ora valdè quadrangula, quædam alas mirabilis formæ. *E Jobo Fincelio*, & aliis libet paucas adſcribere hiſtorias in uſum concionatorum. Anno octingenteſimo ſeptuageſimo quarto in Galliâ fuerunt *locuſtæ, habentes ſex alas, duos dentes, & perdiderunt omnia ſata.* Anno 1527. *vehemens ventus ex Turciâ in Poloniam attulit maxima agmina locuſtarum, quæ plurima præbuerunt damna, coloreque fuerunt aureo & cano, alis conſtantes quaternis.* Annno 1536. *ventus ex Ponto Euxino in Podoliam tanta agmina locuſtarum detulit, ut per viginti milliaria circumcirca omnia devoraverint, & paſcua infecerint, unde ſecuta fuit ingens pecorum peſtis; nec tamen ipſæ abierunt, ſed demum in hyeme præ frigore obierunt.* Anno 1542. *in Italiam involarunt locuſtæ menſibus Auguſto & Septembri, partim canæ, partim nigræ, partim virides, quædam in alis habuerunt literas nobis ignotas: Aldrovandus* addit, tunc 878
juſſu Ducis Mediolanenſium duodecim mille ſaccos, à locuſtis collectis fuiſſe impletos. Eodem anno ex

Sarmatiâ Turcicâ in Auſtriam, Sileſiam, Luſatiam, Miſniam volarunt, quæ habuêre in capitibus coronulas, longos ventres, mali fuerunt odoris. Eodem anno alicubi in Marchiâ jacuerunt profundè ad equi ungulam, Anno 852. ut etiam Aldrovandus præter Fincelium annotat, *viginti millibus paſſuum uno die per aërem inſtructâ acie ferri viſæ fuerunt, & permulta loca vaſtarunt, compoſitis ordinibus, & terra incumbentes caſtra fecêre.* Simile recenſet Cuſpinianus de quibusdam Anno 874.) *Duces autem cum paucis itinere unius diei præcedebant agmen, quaſi loca opportuna caſtris capturi, eadem horâ, quâ antecurſores pridiè venerant, univerſa copia poſtridiè aderant. Ante ortum Solis à loco, cui inſederant, non movebantur, orto Sole demum per cohortes ſuas proficiſcebantur. Illæ tandem poſt preces ad Deum fuſas à vento quidem ſunt ſublata in Belgicum Oceanum, ſed tamen per æſtum maris rejecta, diram excitarunt peſtilentiam.* Ecce igitur inſignem potentiam Dei, quâ poteſt hominem plus punire per tàm parva inſecta, quàm per
879 leones & lupos immiſſos. Centum quadraginta jugera uno die illas ipſas tunc depaſtas fuiſſe addunt alii. *Nuper* (inquit *Hieronymus ſuper caput 2. Joëlis*) *cum locuſtarum agmina venirent,* & aërem, qui inter cœlum & terram eſt, occuparent tanto ordine, ex diſpoſitione jubentis Dei volitarunt, ut inſtar teſſularũ, quæ in pavimentis manu artificis collocatæ ſunt, ſuum locum tenerent, & ne puncto quidem, ut ita dicam, vel ungue transverſo declinarent ad alteram. Ecce iterum iram Dei furentem, ut Scriptura vocare ſolet. Aliquid in paucioribus delendis locuſtis poteſt ſolertia humana, ſed in tantâ multitudine nihil. Anno

1556.

1556. Mediolani erant longitudine ſpithamæ, pedes ſex habebant, & eos inſtar pedum in majoribus muribus, multiplicibusque coloribus & ſciſſuris in toto corpore variabant. Una reliquis quadruplo major capta alebatur à cive, quæ inſtar ſerpentis ſibilavit, quoties nihil cibi ante ſeſe repoſitum vidit. Huic ſimile eſt illud, cujus ſuperius mentionem fecimus inter ſerpentes, quodque non tantùm à *Jacobo Fincelio*, ſed etiam à *Conrado Geſnero* in capite de lacertis diverſis, & à *Philippo Camerario lib. 2. Succiſ. cap. 12. 13.* recenſetur, Anno nimirum 1549. in Ungariâ tritici a- 880
cervus (ut ibi & in Bohemia maximi acervi per hyemem, & aliquot annos relinqvuntur in agris ſub dio) cujusdam nobiliſſimi Scorpionibus (ut Hiſtorici nominant) refertus deprehendebatur. Cum igitur ex eo ad triturandum manipulos auferre ſervi vellent, capita ſemper exerebant iſti. Cum verò comburere totum acervum juſſu Domini vellent, tunc magnus quidam ſupremo loco ſtetit & dixit: *Definite, non ſponte huc venimus, ſed à Deo in veſtram pœnam huc miſſi.* Simili modo ſe res habeat cum locuſtis, de quibus ſæpè cogitare decet illud *Amos 7.* Ecce fictor locuſtæ, nimirum Jehovah, Siehe/ da ſtund Einer/ und machte Heuſchrecken/ im Anfang/ da das Grummet aufgieng. Quoties videmus turmatim per arbores ſylvarum conſcendere erucas ſeu vermes, quod ſæpè accidit, itidem hoc cogitandum eſt, Ich ſah einen/ der machte Raupen/Zweyfalter/ und andere.

Sicut autem ſolus Deus tantam immittit & auget locuſtarum multitudinem: ita quoque ſolus per ſe optimè tales iterum delere poteſt, ſicut Ægypto ita auferebat, ut *NE UNA RELINQUERETUR.* Sicut

igitur Locuſtæ, Veſpæ, Erucæ, Papiliones, Cantharides, varii vermes *Milites Domini Dei Zebaoth*, quib⁹ ipſe ſingulariter præliatur adverſus improbitatem hominum. Anno ducenteſimo trigeſimo ſecundo in agro Bononienſi, omnes vineas locuſtæ ita fuêre depopulatæ, ut ſine vino nuptias celebrarent cives. Apud Cedrenum anno ſexto Argyropoli Rom. Imperat. cum orientales plagas depaſtæ fuiſſent, â vento quidem in Helleſpontum projectæ fuerunt, in littus ejectæ arenam operuerunt, ſed alterno anno revixerunt, & per integrum triennium Thraciam abroſerunt, & tandem apud Pergamum perierunt.

881 Apud *Gregorium Turonenſem* anno nono Gildeberti regis provinciam Carpitaniam ita vaſtarunt, ut non arbor, non vinea, non ſylva, non fructus aliquis, non quicquam aliud viride maneret. Eædem cum quinque annis continuis eo modo eam regionem depopulatæ fuiſſent, ad aliam provinciam, vicinam in Hiſpaniâ ſeſe contulerunt.

Nec illud majus etiam prætermitti debet, quod apud Cranzium Tamerlanes Tartarorum Magnus Imperator Hieroſolymam expugnaturus erat, attamen deſtitit, cum bruchi tàm vehementer exercitum ipſius vexarent. Mortuarum etiam locuſtarum ova novas progignere, annotat *Aldrovandus Italus*.

882 Porrò *locuſta poteſt eſſe viva imago illorum, qui ſolent depaſcere aliena patrimonia.* Ita ſi quis nobilis nimis multos habet ſervos & adulatores, aut matrona multas ſamulas, ſcortator amicas, dicetur habere locuſtas. *Sicut* enim locuſtæ ſæpenumerò maxima copia devolant ſuper agros, præſertim in Helvetia, Hiſpania, Italia, Æpypto, & alibi, & depopulantur ſege-

ſegetes, ita ut interdum maxima ſequatur fames per plurimos annos. Ita multitudo ſervorum, convivarum, ſodalium, & combibonum eſt certiſſima via ad paupertatem, ſicut in uſitatis verſiculis dicitur;

Ædificare domos, multorum paſcere ventres,
Ad paupertatem proximus eſt aditus.

Σώματα πολλὰ τρέφειν, καὶ δώματα πόλλ' ἀνεγείρειν,
ἐς πενίην οἶμος ἐστιν ἑτοιμότατος.

Poteſt etiam *dici imago hæreticorum, Jeſuitarum,* nunc præſertim temporis, mendacium, item hoſtium Turcarum, Apoc. 9. dicuntur egredi ex fumo, quia hoſtes & hæretici recudunt anteceſſorum & hæreſiarcharum damnatas cauſas & opiniones, cerebrum & ſapientiam divinam obſcurantes, & pacem turbantes: Habent ſimilitudinem equorum propter ferociam, habentque ducem angelum abyſſi, id eſt, Satanam. 83
Sicut autem locuſtæ ſaltant, non rectè volant, quia mox ad terram recidunt: *Ita hæretici* argumentis nituntur ſpecioſis, ſed inanibus. *Cum nocere debent* locuſtæ, ibi à ventis afferuntur: *ſic* hæretici extimulantur à Satanâ.

Porrò etiam notandum, ex Levit. II. c. *Locuſta cum ſuis ſpeciebus numeratur inter illos cibos, qui ſunt conceſſi Judæis.* Itaque verſus orientem, & in Lybiâ uſitatus fuit iſte cibus. Etſi vero ſuperiùs in loco de cancris facta eſt mentio illius loci, qui extat apud Matth. 3. de cibo & potu Johannis, tamen explicatio huc fuit differenda. Dicitur igitur J. Baptiſta comediſſe ἀκρίδας, id eſt, locuſtas. Locuſtæ *conſtituuntur ab aliquibus aquatiles, id eſt, cancri quidam aliæ verò terreſtres, id eſt, inſecta,* de quibus nunc agimus. Putant igitur aliqui, Johannem in de-

ſerto, id eſt, in illa parte Judææ, quæ complectebatur aliquot oppida, & dicebatur deſertum, ad ripas Jordanis veſci ſolitum fuiſſe cancris caudatis, qui dicuntur ab aliquibus locuſtæ. Alii verò exiſtimant, Johannem comediſſe hoc genus inſecti volatile. *Ai hanc habent rationem* ſuæ ſententiæ, quod Johannes
884 verſatus fuit *ad ripam Jordanis. Sed* neque ἀκρίδες apud Græcos ſignificat genus cancri, deinde tales cancri non ſunt in ripa Jordanis, ſed in Mari, neque Jordanis influit in Mare. Ideoque non veriſimile eſt, Johannem comediſſe tales cancros, qui etiam lege divinâ Ceremoniali erant prohibiti, cujus Johannes adhuc erat ſtudioſus. *Qui verò ſentiunt, Johannem comediſſe volatilia* inſecta ſeu locuſtas volatiles, ii has rationes afferunt. 1. Quia ἀκρίδες ſignificant volatiles locuſtas. 2. Quia Orientales populi veſcebantur talibus inſectis. 3. Quia Levit. 11. volatiles locuſtæ cum ſuis ſpeciebus permittuntur Judæis unà cum reliquis cibis. Et hæc poſterior ſententia eſt verior.

Inde aliqui allegorias quaſdam varias extruunt. *Sicut locuſtæ* volatiles pugnant cum ſerpentibus: *ita Johannes Baptiſta* contendebat cum ſerpentinis Phariſæis, & ita cibus officio ipſius reſpondebat.

Quæ de veſtitu ejus ſunt dicta, ſuperius quærantur in cap. de Camelis. Quod verò additur, potum Johannis fuiſſe μέλι ἄγριον, mel ſylveſtre, quod Plinius nominat mel ericeum, *illud intelligatur de melle,* quod etiam in campis per apes colligitur, extra favos ab hominibus ipſis paratos.

885 CICADÆ.

CICADÆ ut putantur, *ſpecies quædam gryllorum agre-*

agreſtium, ſunt notiſſima inſecta, nigro plerumque colore, in parte corporis ſuperiori, ſed cinereo vergente ad nigrum inferiori, pectore aſpero, pedibus ſubtilibus, & in fine ſimul aſperis, undè facilè in arbores conſcendere poſſunt. 1. *Etſi ore manifeſtiore carent, tamen aliquid loco oris analogon habent, per quod ſtantes & volantes.* (Imus enim & culices & ſimilia, non niſi volando ſtrepunt) *ex cavo utero canunt*, id quod, ut & in aliis animalibus, gallo, &c. potiſſimum mares faciunt, quia fœminæ ſuo exemplo quaſi Pythagoricâ diſciplinâ imbutæ, verecundis mulieribus taciturnitatem commendant. Idque digiti ſtimulatione explorari poteſt, quia canit Cicada, quando uterus cavus colliditur, & atteritur, ſeu agitatur frequenter.

2. *Etſi verò tantummodò ſtrepunt* cicadæ, ideoq; doctis non placent. *Plus tamen in cantu melodia & ſuavitatis habent, quàm apes, veſpæ, crabrones.* Unde Virgilius:

Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Et Pontanus in Eridano:

Sunt etiam geminæ frondosâ in vite cicadæ,
Ceſſerit his cantu vel Philomela ſuo.

Et omninò Laicis amœniſſimæ ſunt in ruribus oblectationes, ubi etiam ſtridor ille aures demulcere poteſt paſtorum, meſſorum & viatorum. 886

3. *Nec leve eſt, quod ſuo rauco ſtridente cantu nobis, & tempus* areſcentium frumentorum, metendorũ ita *indicat*, ſicut hirundo & papiliones veris.

4. *Præterea nec hoc contemnendum eſt, quod ſtrepitu continuatiore & interiore, paſtoribus & meſſoribus, & diem & horam diei, præ aliis tunc ferventiorem prædicunt*, ne umbram tunc magis pro ſeſe, & pro pecoribus

coribus quærere obliviſcantur. In æſtate enim, cum citius ſolito cantant, illius diei æſtum majorem fore indicant heſterno. Huc pertinet, quod habet Ambroſius Hexaëm. 6. c. 22. *Quam dulcis etiam in exiguo gutture cicadis cantilena, quarum cantibus medio æſtu arbuſta corrumpuntur, eoque magis canoræ meridianis caloribus, quo puriorem aërem id temporis attrahunt ſpiritu, eò cantus reſonant clariores.* Hactenus ille.

5. *Naſci autem non ſolent nec verſari, ut plurimùm in locis, ubi deſunt arbores, nec etiam, ubi ſunt nimis umbroſæ arbores,* unde frigiditas gignitur in aëre; quapropter in opacis nemoribus degere nequeunt, & cantum ſuum urgere.

887 6. *Hebetiore etiam ſunt viſu,* & ideò manu capi poſſunt, & facilè ab hirundinibus capiuntur.

7. *Vulgò ſentiunt, cicadas naſci ex ſputo cuculi, & tamen cuculum ſibi vehementiſſimè metuere à canente* cicada, addunt, ita ut non cantet, dum illæ fritinniunt, ſed rectius nidos fœturæ excavare in terrâ, & ibi ex ſeſe ſuam ſpeciem producere animadvertuntur.

8. *Paſci eas rore,* hinc ajunt poſſe conſtare, 1. quia cum ſubvolant, *humorem quendam emittunt.* 2. *quia nulla excernunt excrementa,* neque etiam ulla reperiuntur in alvis ipſarum. Ut autem ſe hæc habeant, illud verum eſt, quod cum reliqua inſecta omnia ſunt contenta pauciſſimo cibo, cicadæ imprimis plus, quàm pauciſſimo acquieſcant.

9. *Auctores cicadas comparant literatis, & imprimis Poëtis.* 1. *Sicut ergò cicadæ* tenui cibo contentæ vivunt, neque habent tot excrementa: *ita literati operam dare debent,* ne intemperantiâ ſibi mala ali-

la aliqua accerſant. 2. *Sicut autem cicadæ* valdè ſunt loquaces, quando fervet Sol ſub meridiem: *ita* literati amant tranquillitatem. 3. *Et ſicut cicadæ* non ſolæ, ſed gregatim canunt: *ita quoque nihil dulcius eſt*, quàm quando docti colunt mutuas amicitias, & conſenſum. 4. *Et ſicut cicadæ* non poſſunt naſci 888
in illis locis, ubi deſunt arbores, & ubi magnum eſt frigus: *ita literati non florent*, ubi deſunt commodæ occaſiones. 6. *Et ſicut cicada cicadæ* amica eſt: *ita nihil turpius eſt*, quàm cum literatus perſequitur literatum.

10. Rectius etiam conferentur cicadis *rabulæ, ſine fine litigantes. Cum enim cicadæ* menſem unum ſtridant, & alterum: *illi contentiones extendunt* de uno in multos centenarios annos.

11. *Cum Cicadis item non malè comparabuntur Mulieres garruliores, concionatores indoctiores & impudentiores, cantores bibaciores: & ſeipſos admirantes declamatores;* Item iſti, qui *toti ſunt in verborum ſolummodò fuco colligendo*, prodigi & aleatores ſermonum, ut vocantur à Nazianzeno, qui ſicut aleæ periti, multipliciter convertunt teſſeras, modoque hoc eas pacto, modò alio jaciunt: Ita iſti tantùm in Phaleris vocabulorum ſunt negotioſi, ſicut Marcionitæ etiam ſeſqui pedalibus & ſine mente ſonis ac verbis utebantur, apud Euſebium l. 4. c. 11. *Sicut* ergò doctos cicadæ ſuo querulo ſtrepitu magis fugant, quàm alliciunt: ita hi inepti à doctis, & prudentibus non niſi cum ſummo tædio audiuntur. De his citante Aldro- 889
vando ita *Clemens Alexandrinus Stromatum lib. 1.* Ob hanc ortam ſeſe efferentes Sophiſtæ infelices, canoris quibusdam ſuis nugis garrientes, cum in nomi-

num

num delectu, & certâ dictionum compoſitione & connexione, TOTA VITA LABORANT, cicadis apparent loquaciores, eos quibus pruriunt aures, non ſatis ut mihi videtur, viriliter demulcentes & titillantes. *Hactenus ille.* Et verè ſe res ita habet. Dum enim in templis, ſcholâ, curiâ, ſimplex auditor ore aperto, & hiante verba captat magnifica, & ea miratur, interim rerum ipſarum nucleum videre, & intelligere nequit, ſed prætervolare ſinit, nec prætervolaſſe animadvertit. *Decet autem imprimis concionatores ab hoc negotio eſſe alienos,* & operam dare, ut majeſtate verbi Dei potiùs auditoria afficiant, quàm inanibus ejusmodi fucorum prolixitatibus, & περιτίσμασι. Multi enim ſunt, in quorum concionibus, nihil niſi mera ſtreperorum verborum collectanea reperire licet, ſicut in cicadis nihil eſt, niſi vocis importunus raucus & querulus ſtridor.

12. *Senes etiam conferuntur cicadis,* qui experientiam rerum habent, & junioribus varias antiquita-
890 tes, per multos dies recenſere valentes, ſæpè bona cum malis miſcent.

13. *Cicadarum cantilenis etiam comparabuntur multorum inanes diſputationes,* ut de Idæis Platonicis.

14. *Conferuntur etiam calumniatori audaci,* quia ſicut cicadæ tactæ plus canunt: ita detrectatores, etſi refutati, tamen pro impietate magis ferocire audent.

17. *Plutarchus in Sylla* recenſet prioris belli civilis præſagium fuiſſe, quando Senatu hac de re vacante, in æde Bellonæ, omnibus inſpicientibus paſſer intrò volavit, & cicadam diſcerpſit, & partem unam in æde Bellonæ reliquit, alteram abſtulit. Inde conjecerunt

jecerunt, fore ſeditionem inter cicadas, id eſt, agrorū
poſſeſſores, & paſſeres, id eſt, forenſes, ſeu urbanos.
Quoties autem talia evenerunt cum inſectis, avibus,
pecoribus ſub Ethniciſmo, toties à Diabolis omnia
gubernata, & edita fuiſſe, nemo dubitet.

GRYLLUS eſt *notiſſimum inſectum, ſimile locu-
ſtis, quod reperitur in fornacibus & fuco,* ubi pertere-
brat terram, & in pulvere ſeſe abſcondit: *Semper re-
trò ambulat, & integras noctes ſtridendo conſumit,*
moleſtiſſimum hominibus, unde *poteſt dici imago
garrulorum ſeu loquaculorum.* libentiſſimè veſcitur 891
formicis, unde filo ſolent alligare formicam, & hac
ratione ipſum capere. Medici referunt, *gryllum con-
trectatum manu prodeſſe* tumefactis tonſillis, ſi ma-
nus, quâ tangitur gryllus, imponatur tonſillis ſeu a-
mygdalis in faucibus. *Formâ locuſtas æmulantur,
ut etiam mores earundem, & ſaltus externos:* Di-
cuntur *nullum* penitus peculiare *apud Græcos* hucus-
que *inveniſſe nomen.* Γρῦλλος enim ſignificat ſu-
em, unde eſt unus ex ſociis Ulyſſis Gryllus, quem
Circe in ſuem convertit, quique beneficio Ulyſſis in
priſtinam formam reſtitutus non ceſſavit conqueri,
ſecum actum eſſe infeliciter, quod in hominem rever-
ſus eſſet, cum in ſue tàm felicem, & jucundam vitam
egiſſet. Et eſt *imago illorum, qui malunt imperiti
eſſe mercatores,* modò ſint divites, quàm in pauperta-
te ſervire in Scholis. *Aliqui* dicunt gryllum voca-
tum, à ſoni ſui proprietate. *Ariſtoteles* gryllos vo-
cat cicadas *magis vocales.* Suntque grylli *alii* ſyl-
veſtres, *alii* domeſtici, & hi æſtate ac hyeme terram
fodiunt: *Perhibentur initiò carere alis, ſicut vitulus
cornibus.* Etſi verò ſonum omninò edunt ingratum,
tamen

tamen aliquibus, & inter eos doctis ita placent, & ſomnum conciliare putantur, ut ideò domi libenter to-
892 lerentur. In Medicinâ ſuum habent uſum: In occidentali India unà cum locuſtis comeduntur.

Poſſunt eſſe alioquin *imago iſtorum tubicinum*, qui artem muſicam non callent, nec poſſunt edere cantum artificioſum, & benè modulantem, die da zu Felde blaſen/ & tamen à quibusdam magnis, & nobilibus eorum clamores amantur & expetuntur, præ omnibus Orlandicis, & aliis artificioſis cantoribus, & cantilenis.

PAPILIONES.

Papilionum genera à recentioribus diligenter obſervata ſunt, & *enumerantur plura quàm centum*, & iconibus etiam accuratis depinguntur, ut inde mirari habeamus Dei ſingularem providentiam, in tam minimis, in quibus etiam præter providentiam, ſapientiæ divinæ aliquos radios conſiderare meritò debemus. *In æſtu magno aërem & terram & gramina videmus infinitis propemodum vermiculis, & inſectis luxuriare*, quorum plerisque fermè viſum effugientibus nulla etiam data ſunt nomina. Imò in libris noſtris, in veſtium poris, in ſcamnorum & orbium menſalium rimis, ſub nodis ſæpè minimorum minima quædam naſcuntur, & ſe nobis non ſine admiratione offerunt, quæ vix filula, aut particulas vel particellas
893 minimorum animalculorum diceres. Sed ad rem.
Papiliones *habent antennas, plerique alas molles* ſeu farinaceas fragiliſſimasque, & alij volant interdiu, alii noctu, adeò Deus ſapientiſſimus quovis momento ſuæ veſtigia providentiæ homini extare, & anſam ad ple-

pleniorem inquiſitionem creationis, & Creatoris, & viæ ad ſalutem recordari per externa illa diurna nocturnaque voluit. *Alii* uno, *alii* duobus, *alii* pluribus conſtant coloribus: *alii* maculoſis, *alii* non maculoſis, *alii* roſeas lineas habent, *alii* nullas: *Quidam* proboſcides, *quidã* nullas: *aliquorũ* alæ itidẽ, *aliquarum* alias res repræſentant. Mirum eſt, quod ſenectam mutare dicunt hæc minima & attenuatiſſima animalcula. *Itiq; ex depoſitione ſenectæ, inter omnes creaturas cernimus veſtigia exemplaque deponendi veterem Adamum,* idque ſingulis annis, ſicut iſta facere comperimus. *Quidam* amant loca floribus referta, *quidam* ad parietes & tenebricoſa loca verſari gaudent: *quidam* advolant ad lucernas, & ab aliquibus propriè appellantur idcircò Pyrauſtæ, non verò ideò, quaſi in igne nata eſſent quædam inſecta, & ſunt *imagines illorum,* 894 1. *qui ſibimetipſis exitium petulanter, & incautè attrabunt,* dum nimirum voluptatem quærunt in rebus naturæ noxiis. 2. *Qui Dei arcana temerè ſcrutantur,* & ejus indignationem incurrunt: qui enim cœleſtes tales ignes volunt tangere, liqueſcunt. 3. *qui amori inordinato fræna laxant,* & varias incurrunt in igne illo calamitates. Cæterùm hoſce Papiliones in uſum gallinarum Indicarum dictarum, & aliarum avium cedere, & ab iis avidiſſimè expeti, experientia teſtatur. *Vice autem verſa Deo punituro homines,* interdum illorum multitudo in immenſum excreſcit.

ERUCÆ, Raupen.

Sunt Erucæ iſti vermes, *qui apud nos ſæpius* & vel *quotannis depopulantur frondes,* & flores arborum, folia braſſicæ & ſimilium. Notum autem eſt, *quam viliſſi-*

viliſſimum ſit hoc animalculum, & vix dignum nomi-
ne animalculi: ſicut reliqui vermes potius dicuntur à
multis inteſtina & excrementa terræ quàm animalia
quædam. Hinc Chriſtus *Pſal. 22, 7.* viliſſimæ rei ſeſe
comparaturus, inquit: *Ego ſum vermis*, vel ut alii in-
terpretantur: *Ego ſum Scarabæus.* Nam *ſicut* ver-
mis habetur pro viliſſimo excremento, quod etiam
homines manibus contrectare recuſant, & ſi contre-
ctaverint, manus abluunt, & ubicunque vident repen-
895 tes vermes, è conſpectu hominum removent eos. *Ita*
quoque Chriſtus in maximo erat contemtu, cum pen-
deret in cruce.

Porrò Erucæ tot habent genera, quot ſunt genera
plantarum, *& fieri omnes ex rore, & humore calido &*
pingui putantur. At quod folia filis, quæ ducunt, pli-
cent, & in iis ſemen ſuum ſpargant, manifeſta experi-
entia commemorabit, ſicut etiam captos Papiliones,
in manum ova peperiſſe, teſtatur Aldrovandus. E-
rucæ igitur vermium *genera, quædam*, prorſus nigræ,
quædam virides, *aliæ* aliorum colorum, *plerumque* ta-
men maculoſæ. *Aliæ* ſunt glabro, *aliæ* hirſuto cor-
pore, & harum maxima eſt multitudo, unde his ali-
qui tantum tribuerunt nomen erucæ: item *aliæ* ſunt
parvæ, *aliæ* ſunt magnæ, *aliæ* mediocres: *Quædam*
arbores ſcandunt, *quædam* non, ſed per humiliores
tantùm ſtirpes repunt: *Nonnullæ* habent pedes qua-
tuordecim, ſed *pauciores* nullæ: *Nonnullæ* tot pedes,
quod in illis ſunt flexus corporis ſeu annuli corporis.
Quædam item ſunt caudatæ, & quidem ut vel unam
vel duas caudas habeant, *quædam* non habent cau-
dam. *Quædam* devorantur ab avibus, *quædam* o-
mnibus iis, quibus inſident, conſumtis ſponte in-
tereunt

tereunt, fiunt fimus terræ fœcundandæ. *Quædam* 896 faciunt telas adeò duras, ut nec acutiſſimo telo perrumpas: *quædam* ſunt echinatæ, quaſi vermiculoſi echini, *quædam* in orbem convolvuntur vel conglomerantur. Aliqui ſcribunt, *erucas aliarum erucarum ova comedere*, unde ſolent hæ ea diligentius complicare foliis adverſus injurias, adeò quidem, ut nec gutta una aquæ tranſire queat. *Sunt omnes quaſi Geometræ* per campos ſpatiando, rura metientes. Quædam anteriore plures & poſteriore parte pauciores habent pedes, quædam contrario modo. Hirſutiores putantur eſſe noxiæ magis quam glabræ.

Sunt iſti cuncti vermiculi *imagines etiam illorum*, qui ſua & aliorum bona deglubunt, nec poſſunt magnum aliquid. *Sæpè tanta oritur multitudo*, ut præter omnium ſilvarum frondes, & omnium vitium pampinos etiam abſumant omnes fruges. *Videntur oculariter quandoque exercitu inſtructo, agminatim arborem conſcendere*, ubi truncus totus præ multitudine tegitur, & ex unâ arbore proficiſcuntur ordine catenato ad alias. *Cum rodunt, ſonitum quempiam edere manifeſtè deprehenduntur.* Obſervatum eſt *cutem aduri, & puſtulas relinqui*, cum per hominis membrum calefactum ſerpunt: item *vibices exſurgere*, tumeſcere cutem & occalleſcere, & oculos 897 curvari equi, ſi ſuper erucas ſeu volitant, aut ſcabunt ad arborem ſcatentem illis. Conſulunt veteres, *manè arbores concutiendas*, ut torpentes frigore decidant, & necari queant. Sed etſi cura hominum aliquid poteſt ad imminuendam multitudinem harum peſtium, tamen ſi Dei ardet ira, tunc nulla arte deleri

queunt, quin integras depopulantur ſilvas, & omnes hortos, & campos.

Erucæ genus ſunt *BOMBYCES, quædam* minores, *quædam* majores, omnes habent ſeptem annulos, & pedes quatuordecim, quæ folliculos texunt, aut candidos aut virides ex ſua interna ſubſtantia. *Meritò autem nos mirari decet, & cum ſtupore mirari diligentiam, quâ bombyces telam ſuam texunt.* Quandoque biduo Bombyx totum folliculum abſolvere, & tanto texere dicitur artificio, ut ad finem usque filum ſervetur integrum, cum alioquin fragiliſſimum ſit, ac præ tenuitate ſuâ nimiâ viſum hominis acutum fugiat, longum tamen adeò, ut vel maximam urbem cingat. Fila ſunt tenuiſſima, unde fiunt veſtes ſplendidiſſimæ, quæ appellantur ſericæ, quæ olim erant re-
858 gum ornamenta; ſed hodie ex depravatiſſimis moribus ſceleratiſſimi mundi à nemine non uſurpantur, ſuntque veriſſimæ cauſæ, cur in omnibus paſſim regnis fatales mutationes immineant.

Apud *Flavium Vopiſcum* refertur, *libram auri tunc fuiſſe libram ſerici*; Aurelianum Imperatorum *veſtem holoſericam neque ipſum habuiſſe in veſtiario ſuo: neque alteri utendam dediſſe*, & cum ab eo uxor ſua peteret, ut unico pallio blatteo ſerico uteretur, illum reſpondiſſe: *Abſit, ut auro fila penſentur.* Utinam hanc vocem hodiè ruſtici & pauperes expenderent.

Olim aliquando *Seres alebant talia animalcula in ſylvis*, ibique faciebant ipſis cellas, tum æſtivas, tum hybernas. Pedibus igitur, quos habent octo, ſicut & aranea, ſub arboribus reptilia opera bombyces faciebant, avaritia & ſuperbia humana ex ſylvis traduxit poſtea, & hodie illa animalcula & tectis incluſit,

ſit, unde fit, ut nunc paſſim in domibus alantur, multis in locis. Omninò ſunt ſicut tineæ, unde etiam appellantur ſilveſtres tineæ, & meritò admiranda eſt providentia, & bonitas Dei, qui per contemptiſſimum inſectum, & quod vix dignum eſt nomine vix parvuli animalculi, materiam communicat nobis tàm ſplendidam, unde fiunt veſtes precioſiſſimæ ſericæ, ex qualibus ſimilibus veſtibus, tùm ipſum tabernacu- 899
lum, tùm amictus ſummi ſacerdotis, repreſentantis Chriſtum conſtabat.

Non diu vivunt Bombyces, raro ultra tres menſes, & relinqvunt ova, quæ intra triduum poſſunt excludi calore uberum fœmininorum. Poſtquam autem ſunt excluſa, ibi paſcuntur foliis Mori, ita tamen, ne nimium ſatientur: nec enim nimiam ſatietatem, nec nimiam famem ferre poſſunt Bombyces. Similiter ventos, ſtrepitus, fœtorem & aſſiduam contrectationem puerulorum, loca impura, & pabula humida omnibus modis reſpuunt. Senectutem etiam exuunt. *Id quod debet eſſe imago diſcentium.* Nunquam ad veram frugem pervenient illi, qui ſemper verſantur inter ſtrepitus hominum; in locis impuris, in quotidianis helluationibus.

Neceſſe eſt proponere pabula ſicca Bombycibus, & capſulam, in qua reſervantur, qvotidie purgare. Poſtquam igitur ſatis adoleverunt, *maturè veniunt ad exercenda opera. Et nihil ipſis tàm eſt moleſtum, quàm indulgere otio.* Suſpenduntur igitur in conclavibus frondes, quos ubi conſpexerint, ſtatim incipiunt texere fila ſerica ab unâ parte ad alteram, mirabilesque ducunt gyros. *Tanta autem eſt induſtria in hoc animalculo,* ut neque etiam noctibus ceſſet, & comper- 900

tum eſt, aliquas emori præ nimio ſtudio, dum alias voluerunt ſuperare. Vix igitur ullum eſt animalculum, quod ita teſtatam redderet Dei bonitatem, atque hoc contemtiſſimum. *Neque ullum tàm aptè repræſentat pios ſtudioſos atque hoc.* Et 1. *ſicut hoc inſectum* rem format præſtantiſſimam: *ita ſtudioſi* tractant & propagant artes, quæ nõ ſatis poſſunt laudari.

Sed 2. *ſicut Bombyces* ſunt contemtiſſima inſecta: *ita ordo literatorum* ſolet eſſe deſpectiſſimus.

3. Atque *ſicut Bombyx* quandoque videtur mutari in Erucam, & mox revertitur in ſuam formam: *ita neceſſe eſt ſtudioſos* magnas experiri & tolerare mutationes & difficultates.

4. Sed *ſicut* fila hujus animalculi grata ſunt omnibus, & expetuntur magno ſoluto pretio: *ita literatorum ordines* tamen à bonis magnatibus multis honorantur.

5. *Et ſicut* veſtes ſericæ multiplicem abuſum patiuntur, dum ſæpè etiam ab indignis uſurpantur: *ita multi literati* patiuntur, ut alii abutantur ipſorum eruditione & artibus. Ægris aves cohortales paſcunt, aut agros ſtercorant, & valdè fœcundant homines.

901

Caput V.

DE VERMIBUS, LUMBRICIS, CURCULIONE, COCCO, TINEA, TEREDINIBUS, SCORPIO, LIMACE ET MILLEPEDA.

VERMES.

N*otiſſima ſunt hæc animalcula, degentia in luto & ſtercore,*

ſtercore, nullius memoriæ, ſed obliviosa non ingenioſa, attamen veſtigia viſus habentia & tactum & guſtum. Percepto enim ſono deliteſcunt, & ſapores optimè diſcernunt, dulcia expetunt, amara & falſa refugiunt, progrediuntur ita, ſicut moventur, unde in arctum corpuſculi partes colligunt, & poſteriora attrahunt.

2. *Interim tamen Deus in ipſis longè fortiorem plantavit vitam, quàm in aliis animalibus,* & hac fortitudine compenſavit, quod imbecillitati corpuſculi ademerat.

Cum enim abſciſſo capite, reliqua aut ſtatim emoriantur, aut ut inſecta quædam non diu vivant, tamen hi vermes per medium diſſecto corpore utraque parte vivere ſolent.

3. *Ex materiâ putridâ proſeminari dicuntur, rectius autem etiam ita prodire ſtatuentur,* ſicut in hoc tractatu ſæpius monuimus, *ut ſalva maneat benedictio Domini omnibus creaturis multiplicandis,* in ini- 902
tio orbis creati pronunciata, nimirum ex ovis propemodum inſenſibilibus, quæ cum cibis ab hominibus ſine dubio ſæpè attrahuntur, & à calore inteſtinorum in putridâ materiâ vegetantur.

4. *Et naſcuntur vermes in corporibus hominum, quandoque* naturalibus prorſus ſimiles, *quandoque* ut aliâs etiam aliæ res, monſtroſi valdè & naturalib⁹ prorſus diſſimiles in inteſtinis, unde tandem in alia membra ſolent ſerpere præ fame. Sæpè in hominis cerebro immundo deprehenſi fuerunt. *Apud Aldrovandum experimentis docetur, in vermibus ex homine expulſis, quibusdam, vermiculos alios repertos fuiſſe, adeoque quosdam vermes intra hominem generare alios vermes, ſicut ex inſectis generantur inſecta.*

Et tales in gravidis partuique vicinis quandoq; multos fuiſſe deprehenſos, id quod hodiernæ quoque experientiæ comprobatione confirmatur multipliciter. Vermibus obnoxios in Indiâ perhibent eos, qui palmæ Indicæ fructu veſcuntur, forſan immunda. *Baptiſta Porta Neapolitanus in phytognomicis*, arbores & fructus, qui vermiculantur, in corporibus noſtris vermes generare diſſerit. Paulus Ægineta lumbri-
903 cos ait generari circa autumnum & in autumno, idq; ratione fructuum, qui tunc temporis à pueris immaturi appetuntur. Quod autem ranæ, bufones, lacerti & reliqua id generis animalia Longobardis fœminis in utero concreſcant, ad victus rationem referre oportet, quæ tàm pravos ſuccos generat, unde hæc animalcula ortum trahunt: Carior enim Longobardis fœminis corporis ornatus in veſtitu, quàm cultus in victu, inquit *Aldrovandus*. *Miraculoſum* eſt, quod in manu contra mandatum Domini ſervata, generantur vermes. *Miraculoſum* eſt, quod 2. Macc. 9. v. 9. de Antiochi regis corpore vermes ſcaturiunt, quorum fœtore etiam exercitus ipſius gravatur.

Sunt iſti imago conſcientiæ, quæ mala fit in malis factis & poſtea remordet hominem dies & noctes, Eſa. 14. v. 11. *de Nabuchdonoſore dicitur, quod ejus cadaver concidet, detracta ad inferos ſuperbia, ut ſubter illum ſervetur tinea, & operimentum ejus ſint vermes*. Jud. 16. *Dominus dabit ignem & vermes in carne hoſtium*. Eccleſ. 7. *Vindicta carnis impii ignis & vermis*. Job. 24. *Dulcedo ejus vermes*.

Porrò miri affectus oriuntur in vermiculantibus,
904 vomitiones crebræ, cordis morſus, appetitus corruptio, ingens ſingultus, tormina inteſtinorum, ileus, colica,

colica deliquia animi, dolores capitis maximi, ſopores, diſtentiones, comitiales attonitiq; morbi, angina, urentes febres & tandem interitus, miros mirabilium modorum cruciatus patiuntur ægri, interdum ſtare loco neſciunt, ſed ſemper huc illuc temerario quodam impetu, ac inordinato motu ducuntur, ut ita ſtare etiam volentes titubando concidant: in quibusdam deprehenditur dolor punctorius in thoracis parte aliqua, tuſſis ſicca, pullus duros ſpiritus offendens, febris continens corpus quandoque frigidum, quandoque calidum, quidam propter vermes prorſus obmutuiſſe viſi ſunt, ad multos dies deliraſſe etiam. Et quia naſcuntur libentius in impuris corporibus, ideò *bona victus ratio eſt bona præſervatio contra vermes.* Et ne in cadaveribus ſeſe inſinuent, præcaveri poteſt, ſicut apud Herodotum Æthiopes poſt inteſtina exemta ſanguinem ritè educunt, reliquam molem incruſtant & vitro includunt, ut diutiſſimè & ſemper videri queat.

5. *Cæterum LUMBRICI in inteſtinis & excrementis animalium reperti ſunt triplices,* alii nimirum lati, & alii teretes, alii valdè parvi.

Lati ſunt omnium maximi, qui in corporibus ſæpè aliquid gignunt ſimile ſemini cucumeris. Quando igitur homo unà cum excrementis ejicit aliquid ſimile ſemini cucumeris, certum eſt, ipſi ineſſe latos lumbricos. Hoc alii ſemina ſeu ova lumbricorum vocant. Iſti lati lumbrici ſunt quaſi pellis quædam cingens inteſtina, ita ut nihil videatur eſſe aliud, niſi viva pellis, quæ interdum tota ejicitur, interdum per partes, ut modò aliquid exeat, modò rurſus aliquid, & quandoque in longitudine eſſe dicitur triginta 905

ginta pedum. Sed hoc genus lumbricorum eſt rarum.

Teretes lumbrici ſunt vulgati & frequentiſſimi, qui ſæpenumerò proveniunt in juniorum Inteſtini, neque ſunt tanta longitudine. Appellantur auten teretes ſeu rotundi, 1. *quia* ſunt valdè rotundi. 2. *quia* proveniunt in inteſtinis ſuperioribus, quæ ſunt valdè anguſta & contigua ventriculo. Hi autem Teretes lumbrici quandoque unà cum excrementis excernuntur, quandoque per fauces & nares egrediuntur. Facilius autem ex corpore poſſunt dejici medicamentis amaris, id quod tamen in latis lumbricis non ita habet locum.

Parvuli, ſeu ut Medici appellant, *Aſcarides* ſunt iſti lumbrici, qui naſcuntur in podice animalis, id eſt, in
906 craſſiſſimo inteſtino, quod proximum eſt podici Et cum ſpatioſum ſit ſubjectum, idcirco plures ibi poſſunt naſci. Id quod etiam fit, ſed in illis animalibus ſeu jumentis, quæ malè coqvunt cibum.

6. ULTERIUS *naſcuntur vermes in equo, âno, porco, cervo, caprâ, ove, cane, lupo: In avibus ut accipitre, in ſtercoribus columbarum; etiam ſunt deprehenſi in piſcibus, ut mullo; in inſectis, ut araneis & locuſtis; in caſeo, in lacte, in apum cerâ.* Conelius Gemma l. 23. Coſm. refert anno Chriſti 1526 *in Hollandia extitiſſe nefandam luem pecorum, & natos fuiſſe vermes circa epatum regiones. Lemnius* dicit vermiculum eſſe in arietinis, & ovillis pedibus adhæreſcere biſulcis eorum ungulis, & ſi quis iſtos ederit incautius, ſtatim experiri nauſeam & ſtomachi dolorem, ructus & vomitiones.

Piſces multos in ventriculis vermes habere, *Ariſtotels*

ſtoteles docet *hiſt. 6. cap. 16. Docet item in libro de natura parvulis cyprinis innaſci ad branchias vermiculos, & mulierem peſſimè habuiſſe, quæ guſtaverat de cyprino partem circa branchias, & ingeſſerat ſimul album quippiam piſi magnitudine.* Alii de percis itidem annotant, & de omnibus fermè piſcibus & legem olim extitiſſe vetantem vendere piſces malè ſic affectos. Luciis tamen, cyprinis latis & albulis 907
lacuſtribus parci ajunt. Animalibus vermes parientibus loco pabuli ſtramen datur hordeum, furfures, folia ſalicis, lupini, panes, raphani.

7. *In omnibus herbis, fruticibus & arboribus etiam naſcuntur vermes*, & quidem vel in floribus, vel in ſemine, vel in fructu, vel in radice (qui ſunt valde noxii, quia arbor vel areſcit, vel mutationem accipit per omnes ramos & fructus & per ſemina) vel in foliis, vel in caule, vel in trunco, ſingulares in ſingulis. Ajunt deprehenſum vermem in radice quercuum adeo veneficum, ut calcatus ſolùm plantas pedum excoriarit. Generantur vermes in radicibus hordei & avenæ, in cæpa, in ſemine fabæ & milii, etiam in ſpinoſis herbarum fructibus, (in hyeme latent in convenientibus latibulis plantarum) intra arundinum nodos, ubi nulla putredo, & natos in una ſpecie, cum transferuntur in aliam, vivere non poſſe docuit Theophraſtus.

8. *Naſcuntur etiam in terrâ, qui inteſtina terræ dicuntur,* Erdwürmer/ Regenwürmer / quia pluviis cadentibus ſubitò è terra quaſi terebello pertuſa prodire ſolent, Aratro excitari ſolent & plures uno loco 908
reperiuntur, id quod optimè didicerunt corvi, qui aratoris aratrum diligenter & frequenter comitari ſolent.

Vehementer & plurimum vaſtant ſata, quia etiam validas ſegetes radicibus ſubjectis enecant, & referunt eſſe tales, qui nunquam prodeant, ſed ſemper ſub terra maneant. Vermes terreſtres ubi ex terra prodierunt, coire multi viderunt, & ſcribunt, tâm arctè ut non niſi pedum duriſſimo calcatu & frictione abſiſterent. Carolus Sigonius refert de regno Italiæ, *quod anno 970. poſt vermium ſub terrâ latentium peſtilentiam maximam Ravennæ mox frugum omnium inopia laboratum fuerit.*

9. *Apud Plinium cinis vermium terreſtrium fracta oſſa ſolidat, oſſa extrahit, & apud alios varias habet utilitates hoc genus animalium & maximè miras in medicina.* Veſcuntur eis aves, piſces, quadrupeda, cornices, turdi, gallinæ, porci, piſcatores utuntur in captandis piſcibus, unde pauperum hæc eſt opulentia, quam *Auſonius* deſcribit:

Piſcandi traberis ſtudio? Domus omnis abundat,
Damnotini tales ſolita eſt oſtendere gazas,
Nodoſas veſtes animantum Nerinorum.
Et jacula & fundos, & nomina villica lini.
Colaque & inſutos, terrenis vermibus hamos.

Singulari autem arte & medicamine fugandi
909 ſunt & pellendi ex locis imprimis, ubi arbores volumus plantare. Evocant eos ex terra per aquam, in qua cannabis ſemina & folia ſunt incocta, ſi ſuper terram effundatur. Naſcuntur vermes etiam intra rimas ſaxorum & metallorum, in fece aceti, in nive vetuſta.

Vermes gignuntur in frugibus reſectis, præſertim ſi frumenta non reponuntur ſicca, ſed humida, & CUR-

CULIO-

Digitized by Google

CULIONES appellantur. Et mirabile eſt, quod ſæpè in uno modio tritici, ſi negligentius fuerit curatum, naſcuntur aliquot millia vermium. *Huc pertinent* iſti vermes, qui naſcuntur in pomis & pyris, interdum in ipſo meditullio, interdum verò ſtatim ſub cute. Sicut autem in fructibus: ita quoque in arboribus & fruticibus & omnibus herbis, tùm ſtantibus, tùm negligenter repoſitis, peculiaria genera vermium deprehenduntur.

12. *In fruticis cujusdam pomo, cui nomen eſt Coccus, naſcitur beſtiola, ſimilis muſcæ ſeu conopi, quæ, cum fructus ad maturitatem pervenerit, evolat.*

Antequam verò fructus matureſcit, colligitur ab incolis, & ſimul animalculum illud adhibetur ad pingendas lanas. Sanie autem abundat, quæ inficit lanas quodam colore tendente ad rubrum, unde factum eſt poſtea nomen coccini, quod ſæpè exſtat in ſacris li- 910
teris, ut *Eſa. 1. v. 18. Si peccata veſtra fuerint ut coccinum, ſicut nive de albabuntur.* Et *Levit. c. 14. v. 4. Leproſus mundatus jubetur afferre coccum, id quod abſque dubio fuit typus ſangvinis Chriſti. Sicut enim coccus* affertur à leproſo, cum eſt mundatus: *ita certum eſt*, nos mundari à peccato ſolo ſanguine Chriſti. Sic in Geneſi *cum gemini eſſent concepti, & alter proferret pedem, parentes cocco ligarunt pedem, & is primus exivit ex geminis.* Et *Joſuæ cap. 2. v. 18. Rachab meretrix ſuperſtes & ſalva manet, cum ſuſpendiſſet filum cocci. Ita* ſi volumus eſſe primogeniti Dei, & manere ſalvi & incolumes cum Rachab, neceſſe eſt, ut etiam offeramus & oſtendamus coccum, id eſt, ſignemus nos ſanguine Chriſti, ut ſimus participes ſangvinis Chriſti. Et *ſicut coccus* cum aceto adhi-

adhibitus ſanat vulnera: *ita* Chriſtus ſanat pectora noſtra, quæ ſauciata ſunt à lege. *Et ſicut color cocci* in profundum lanæ deſcendit: *ita Chriſtus in paſſione*, quando induebatur veſte purpureâ, ſuſtulit graviſſimos cruciatus, qui penetrarunt in animam usq;.

13. *Porrò eodem modo ipſi medici & Phyſici*, ut Aldrovandus, rectè exiſtimant, *divina ultione fieri, quod quandoque inter repoſita frumenta innumeri*
911 *vermiculi brevi temporis ſpatio generantur*, tum quia Deus frumenta hominum malitiæ non vult committere, tum quia vult punire illum, qui frumenta diutius abſcondit, & non divendit ea, quæ Deus creavit in uſum omnium hominum, non tantùm in uſum uſurarii. Omninò igitur graviter peccant, qui frumenta diutius juſto abſcondunt. Facillimè autem Deus tales vermes, curculiones, cum vult, fœcundos facere poteſt, & ut intra biduum generent, & fœtus ſuos educent intra frumenta, & ut ii poſtea cum frumentis evolent. Sic omninò (Deo imperante) fruges habent multos hoſtes, ut ſunt rubigo, culices, formicæ, limices, cochleæ, locuſtæ, blattæ, erucæ, teredines, vermiculi, & qui funditus granaria depopulatur Curculio.

TINEA.

Etiam res ab hominibus contextæ, & librorum incluſorum adeoque eruditorum opera ſuos experiuntur prædones & hoſtes, quæ unica etiam cauſa perhibetur, cur aliquot libri perierint, aliqui variarum ſint lectionum, de quibus inter doctos diſceptatur in hodiernum usque diem. Vide Strabonem l. 15. Sunt illi imago invidiæ, quæ unitatem turbat, item peccati
912 originalis (Syrac. 42. v. 14.) *quod virtutibus privat homi-*

hominem, à veſtimento tinea, à muliere iniquitas.). Item pannus à tineis corroſus eſt ſignum animæ eroſæ à peccatis, quæ non poteſt ſuſtinere firmitatem ſpiritus.

Tineæ igitur (Motten/ Schaben/) *ſunt notiſſimi vermes in lana, in veſtibus & in libris.* Tunc autem potiſſimum naſcuntur Tineæ, quando lanæ & veſtes ſunt pulverulentæ, & quando includuntur araneæ. Nam araneæ, quicquid ineſt humoris, illud exugunt, & ita exiccant veſtes. Ergo ut ex hactenus propoſitis capitibus conſtat, ubivis locorum generantur vermiculi, in frondibus arborum, in foliis herbarum, in lignis, in arboribus, in veſtibus, in libris. *Nec poſſunt numerari omnes ſpecies* vermium in foliis & arboribus, quia ſunt peculiares in pyro, in malo, in ficu, in meſpilo, item in pino, quæ eſt aliquo modo dulcis, ſed quæ arbores ſunt amaræ & odoratæ, non ita experiuntur vermiculationem, ut buxus, olea, cupreſſus. *Hinc Poëtæ* cupreſſo digna carmina vocant, quæ immortalitate ſunt digna, quia cupreſſus propter amaritudinem, & odorem, ſicut etiam abies, non ita admittit vermiculos. Superius autem dictum eſt, ex providentiâ divinâ picum martium factum eſſe, qui purget arbores à vermiculis. Nam hæc avis ſemper verſatur circa arbores, aſcendit, & deſcendit, 913
& ſuo roſto duro percutit arbores, & ſicut aliàs ex ſono cavorum corporum homo: ita ipſe ſimiliter experitur ineſſe vermes, ut nihil dicatur, quòd ſæpè proprio ſtridore ſeſe prodant vermiculi.

In nive præſertim vetuſtiore etiam conſpiciuntur rubri vermes, ſicut nix vetuſta rubeſcit, ſed in alia nive candidiores & graviores. Quæſtio etiam eſt,

utrum

Digitized by Google

utrum in igne quædam naſcantur animalcula, quia in fornacibus metallicis aliqua reperiuntur. Sed certum eſt noſtrum ignem diaconium non facere ad generationem, ſed potiùs ad deſtructionem. Itaque ſi qua in fornacibus metallicis viſuntur animalcula, illa vel alibi ſunt generata, aut ex loco profundo fornacis proveniunt.

TEREDINES.

Teredines vel σκώληκες (Holtzwürmer) *ſunt illa animalcula admodum parva,* quæ in trabibus generantur, & rodunt dentibus, perforantque robora cum maximo ſono, *Naſcuntur intra trabes* ex aliis ſuis vermiculis, quod auctores manifeſtò docent, licet etiam ex putredine aliquas iſtas fieri putent. Etſi autem ſine intermiſſione trabes rodunt, tamen quando ad finem trabis pervenerunt, ſtatim intermoriuntur.

Et hæc inſecta ſunt imagines illorum hominum, qui
914 omne ſtudium conferunt ad augendam rem familiarem. 1. *Sicut enim Teredines* magno ſtudio rodunt trabem, *ita ipſi* per ſaxa, per ignes, per maria, per terras diſcurrunt. 2. *Sed ſicut teredines,* quando trabem perforarunt, intermoriuntur, *ita tales homines,* poſtquam multa collegerunt, ſubitò ſæpè inter medios ſudores emoriuntur, neque ſentiunt aliquem fructum ſuorum laborum. *Talis ſcolix fuit Alexander M.* qui infinitos ſuſtinuit labores, ut orbem terrarum ſibi ſubjugaret. Sed quid profecit? Poſt illos labores & poſt magna facinora in Babylone ſubitò extingvitur. *Talis ſcolix erat Julius Cæſar* dominaturus orbi terrarum, ſed mox viginti tribus vulneribus enecatur, ſic quilibet nimis avarus eſt talis teredo.

Nazian-

Nazianzenus ex ipsâ Scripturâ Prov. 17. *teredinem comparat curis.* Sicut enim teredines excavant & perdunt arbores: *ita curæ perdunt oſſa & medullam hominis. Ovid. lib. 1. de Ponto:*

Eſtur ut occultâ vitiata teredine navis:
Æquoreos ſcopulos ut cavat unda ſalis:
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus,
Fine quibus nullo conficiantur, habent.

Olim ſpecies quaſdam teredinum in delitiis menſarum fuiſſe, Plin. lib. 17. c. 24. & Ælianus tradunt. 915

SCORPIUS.

Nobis ignotus in hac terra, Europæ Scorpius dicitur eſſe, quoad externam figuram tanquam Cancer, ſeu quaſi vermis habens anguſtiſſimum aut propè nullum caput, ſed caudam flexuoſam vel nodoſam ex ſex aut ſeptem nodis. Ideò autem inter ſerpentes ab aliquibus refertur, quia caudam per terram trahit more ſerpentum, & ſolus inter inſecta venefico ictu caudæ hominem interimit. Ubique terrarum Scorpii non ſunt virulenti. *Aliqui* digiti; *aliqui* majore magnitudine reperiuntur. *Aliqui* alatos reperiri Scorpios aſſerunt, quos venetur avis Ibis & accipiter. Latent ſub lapidibus. Unde Proverbium: *Sub omni lapide Scorpius* dormit, vel potius inſidiatur. Solem enim fugiunt, vivuntque terrâ & muſcis. *Aliqui* etiam in librorum codicibus gigni ſcribuntur, qui adeò celeriter in orbem gyrantur, ut circumagi videantur. Habitant etiam in vetuſtis parietibus: *Sunt venenatiores in terris* valdè torridis quàm in frigidis. *Dicuntur capite adblandire prius*, ut cauda poſtmodum citius & commodius lædant. *Medio etiam die calido*

plus

plus lædunt & cum ſitiunt. Etiam quosdam ſerpen-
916 tes divexare & necare feruntur. Vermiculos ovorum ſpecie pariunt, iis incubant, producunt plerumq; undecim.

Poſſunt eſſe imago dæmonum. 1. *Sicut* enim ſub quovis ſaxo inſidiatur Scorpius: *ita quoque* ſub omni tecto & in omni loco Dæmonem hominibus incautis mala meditari rectè credimus.

2. *Sicuti* Scorpius prius adblanditur, ut melius nocere queat: *Ita* Satanas grata objecta objicit, ut in naſſam homines faciliùs ſuam trahat.

3. *Sicut* percuſſi à Scorpiis afficiuntur variis gravibus affectibus & ſymptomatibus, & periclitantur de vita: *ita* quoque de mentis ſanitate præcipiantur homines per ſuggeſtiones Satanicas.

4. *Sicut* colores Scorpionum ſunt varii: *ita Satanas* hunc tentat irâ, hunc libidine, hunc in juſtitiâ, taleque venenum infundit, quo animam interficiat.

Aſpectu innocui, punctione caudæ mortiferi ſunt Scorpiones, in facie blandi, in cauda lethales. Sic hæretici ore ſunt blandi, dogmatum verò cauda nocent. Poteſt etiam *eſſe typus hypocritarum.* Poteſt
917 etiam *eſſe typus voluptatum corporis* & captioſorum: Proverbium: *excitare Scorpiones.* Cornix Scorpiorum rapturâ dicitur perire, ſicut ſæpè capiuntur, qui alios cepiſſe videntur.

LIMAX.

Limax eſt *nigra plerumque Cochlea & nuda ſeu ſine teſta; hoc eſt, domuncula carens,* & dicitur vermis limi & naſci in limo, ſine domo vadens in ſilvis, Weg-Schnecken.

Parva gregatim folia ſectantur & hortos infeſtant, corni-

cornicula exerunt quatuor è capite, quibus iter prætentant. Noctu potius quam interdiu in paſcua exeunt: degunt non modò in campis & hortis, ſed in cellis vinariis latrinis, cloacis, & aliis ſubterraneis & fuliginoſis ædium locis. Sunt imago tantummodo terrenis inhiantium hominum, qui alia nulla arte valent; aut militum inertium.

MILLEPEDA.

Millepeda ſpecialiter ſic dicta, quæ ſolet appellari vermis cellarum, eſt notiſſimum animalculum, quod magna copia reperitur in parietibus cellarum & fontium, & nomen habet à multitudine pedum. Carere putatur oculis manifeſtioribus, & illorum loco habere duo mollia cornua, quibus inter ingrediendum prætentat iter, id quod alia quoque animalia faciunt: deſtituta viſu adeò manifeſtiore. Interim tamen 918
aliquid ipſis eſt datum loco oculorum pro viſu informando.

CAPUT VI.
DE PEDICULO, PULICE ET CIMICE.

Pediculus, Pulex, Cimex, inſecta notiſſima, non aluntur carne neque promiſcuis quibusvis humoribus, ſed humore carnis vivæ. Generant quidem, ſicut ſupra dictum eſt, ſed tamen non ſuam ſpeciem poſſunt producere, neque etiam aliud animal, ſed lendes, ex quibus nihil naſci putat Ariſtoteles. Verùm recentiores rectè docent, lendes eſſe aut ipſa ova, aut fœtus pediculorum. Sic enim Aldrovandus:

Multi ex recentioribus pediculos ex lendibus generari quoque exiſtimant, ſed contrarium ſcripſit Ariſtoteles. *Sed neſcio quid reſponderit* Ariſtoteles *iis, qui ex unico vel duobus tantum pediculis, quos contactu pauperum pediculorum accepêre, adeò plenas habuere veſtes, ut vix medicaminibus adhibitis ceſſerint. Unde autem illi, niſi ex eorum lendibus, quæ meritò ova pediculorum vulgus appellat, non minus de hiſce, quàm ipſis pediculis occidendis ſolicitum.* Hæc ille.

919 Apud *Gotſchalcum Holem* ſuper Dominicam IV. poſt Paſcha quæſtio movetur de uſu horum animalculorum. *Conqueritur enim diſcipulus quidam, ſe muſcarum tædio affici, & reſpondet Præceptor, his armis domari humanam ſuperbiam. Et quia in Ægypto Moyſes miraculosè convertit omnem pulverem in pediculos, id quod non poterant imitari magi;* Idcircò *ibidem apud Holem additur,* quod *Deus potuiſſet Ægyptiis immittere leones, & Tigrides, ſed tamen immiſit ſaltem minuta animalia propter duas cauſas: 1. ut clarior eſſet cœleſtis potentia. 2. ut clarior eſſet terrena fragilitas.* Sequitur autem mox apud eundem, *ubi diſcipulus conqueritur, ſe infeſtari pulicibus. & reſpondet Præceptor, hoc ideò fieri, ut reliquas cogitationes intermittat, & hoc unum ſæpè cogitet, hominem poſt lapſum, & propter lapſum nihil facere niſi peccatum. & ita propter peccatum nobis contingere, quicquid contingit. Et cum mox adderet diſcipulus, ſe victum eſſe nocturno prælio pulicum,* reſpondet & exclamat Præceptor, *quid igitur ſuperbis cinis & lutum? quid contra Deum calcitras indomitum & ſtolidum jumentum, qui etiam potes à pulice vinci?* Et potuiſſet ille citare de pulicibus & aliis, quæ habet Plan-

Plautus: *Ut muſca, culices, pedesq́; (& pediculi) pulicesque, cimices, odio & malo & moleſtia, bono uſuiq́; eſtis nulli.* 920

Ergo hæc quoque animalcula teſtificantur 1. *de potentia Dei*: 2. *De noſtrâ infirmitate*, & de peccato, ut nihil repetatur de illis, de quibus ſuperius dictum eſt, *quod talia animalcula ſuperfluitates ex aëre & ex corporibus animalium attrahant*, ſicut pediculi valdè proſunt illis, ut putatur, qui laborant ictero, adeò ut ſæpè undique conquirantur, & talibus hominibus imponantur. *Denique* tamen *talia inſecta cedant in alimentum aliquo modo perfectiorum animalium, avium, &c.* Etſi enim non omnia poſſunt comedi ab hominibus: tamen comeduntur ab aliis brutis, quæ bruta proſunt & famulantur hominibus. Sæpè tamen Deus præter communem morem in pœnam hominum reddit pediculos fœcundiores, ut in immenſum augeantur, ſicut in Ægypto ex pulvere miraculosè infinitam copiam producit. 1. Et quod ad pediculos attinet, *ipſi degunt & libentius ſunt in hominibus, & membris humore abundantibus*, ideò infantes & fœminæ cum ſint humidiores, plures habent pediculos. Hinc etiam ex l. 5. hiſt. c. 31. *Ariſtotelis docent auctores, illos, qui in capite habent pediculos, in omnibus melius valere quàm in capite.* 2. *Requirunt ad ſui nutritionem plurimam copiam & alimentum, quod etiam abſumunt.* 921 Quidam pediculi familiares perhibentur, *quidam* feri ſeu ungvinales, qui tamen & barbas & palpebras & axillas occupant, ſicut priores amant illos, qui longos capillos alunt, tanquam commodas ſylvas, & optimos nidos pediculorum: Sicut & Ædyrmachidæ populi interioris Libyæ ab eâ

parte, quâ Ægyptum ſpectat, in hiſtoriis quoad utrumque ſexum comati eſſe, & ideò quoad utrumque ſexum valdè pediculoſi eſſe dicuntur. Addunt aliqui *tertium genus quaſi ſine pedibus*, qui inter pelliculam & cutem ſerpant, & vix ſint ſenſibiles & dicantur parvum ſonum edere, cum inter ungues extracti comprimuntur, & putantur formam globi habere, & tàm parvam, inquit Scaliger, ac ſi eſſet una ex Epicuri atomis, extractumque acu, & ſuper ungue poſitum non niſi tunc moveri, quando Solis calore adjuvatur. Primum tamen genus etiam dicitur amare veſtes laneas,& poſtremum manuum ac pedum digitos potiſſimum infeſtare. Amant item pediculi veſtes ſqualidas, quæ rarò mutantur, rarò purgantur, exhalationibus caleſiunt craſſioribus, item tetris & ſqualidis carceribus, ubi miſeros longè acerbius excruciant, quàm ipſa momentanea mors.

922 *Cæterùm* quot ſunt animalia, tot pediculorum etiam fiunt genera: & avium pediculi exigui admodum *hominibus parcere* dicuntur. *Aſinus ſolus* pediculis carere putatur, oves & capræ redivivos habent, pediculis vacant, canibus ſunt ricini, nec piſces deſtituuntur his hoſtibus: quidam pediculi parviſſimi licet, tamen alati feruntur in Æthiopiâ. *Habent & plantæ* ſuos pediculos. *Cum imminet mors hominis*, omnes pediculi vel circa cor colliguntur, ubi ſciunt plus eſſe caloris reſiduum,vel congregantur in pulvinaribus, ſicque ſunt *imagines illorum amicorum*,qui tantum durant, dum fortuna floret. *Mirabile hoc eſt*, quod illæ pelles ovium, quas lupus occidit, magis ſunt pronæ ad generationem pediculorum, quàm aliæ. *Cauſam aliqui putant eſſe*,quod lentè perempta

& dila-

& dilaniata non ita purgentur à materiâ putrefactioni accommodata, quam poſtea pediculi libentius inquirunt, occupant & amant. Levis etiam fricatio capitis eorum, qui habent caput immundum, augere dicitur pediculos, quia diſponit materiam, quam inhabitare pediculi amant. In corporibus autem mundis iſtud non procedit. Multum igitur adverſus pediculos facit bona diæta, ex quâ non poſſunt tetri & copioſi halitus in veſtes & ſuperficiem corporis egre- 923
di. Multum valet mundas ſervare veſtes, præſertim ex lanâ factas & lectorum ſtramina mutare, in quibus lendes ſine dubio etiam ponunt. Aves pediculis infectatæ ſeſe pulverizant, & ita lavant. *Stulti olim Eremitæ* occidere hæc animalia prohibuerunt, quin capta capitibus impoſuerunt & nutrierunt. Quibus ſimiles aliqui ſuperſtitioſi hodie eſſe feruntur in India. De Rabbi Eliezer refert *Buxdorfius* in Scholâ Judaicâ c. 11. *quod prohibitum eſſe dixerit occidere in Sabbatho pediculum. Alii Rabini iſtud interdictum etiam ad pulices extendunt.* Hoc verè eſt non amplius culicem, ſed pulicem percolare & deglubere Camelos, eſſe in ceremonialibus accuratum, articulos de Meſſiâ penitus negligere.

Cæterùm quando divinâ ultione augentur pediculi, morbus ille nominatur Φθειρίασις, morbus pedicularis (Φθειρίασιν patiens ſcabit caput intus & extra) turpis eſt morbus & extremæ immunditiei index, quia miſerabilis hominis vivi magnum corpus exeditur, à viliſſimis parvulis inſectulis, quæ miraculosè tum ita augentur, ut videantur ſcaturire ex profunditate corporis & vexentur à voracitate externâ tan- 924

tillorum inimicellorum populantium etiam viſcera interiora uſque ad mortem. Imò carnes quaſi in pediculos diſſolvuntur cum moleſtiſſima univerſi corporis lentigine, & non tolerando gravique fœtidoque anhelitu, fruſtra calidiſſimos ſudores ſudante ægro inter illos cruciatus infernales. Quo plus noctu, & interdiu rejicitur vel tollitur, eo duplo vel triplo plus ſemper ſuccedit, & hoc illi nunquam æquari poteſt, nullæ proſunt lavationes vel ternæ per diem, ſed ſcatet corpus, veſtis, gladius & inſtrumentum, & lectus, & menta. Sæpè tum ex ore, naribusque ſuppullulant, & homo ſibi ipſi manus inferre percupit. Fœtor intolerabilis tum non corrigitur, quocunque æger etiam deportatus fuerit. Non in ſuperficie tunc, ſed potiùs in profunditate carnem & viſcera depaſcunt, donec conficiant & interimant, fruſtra cum clamoribus auxilium anhelante ægro. Imò etiam cadavera hoc morbo mortuorum tamen pediculis adhuc ſcaturire non ceſſant contra naturam, ſicut dictum eſt, quod à morituris diffugiant pediculi. Et hic eſt ille digitus Dei, quem etiam Ægyptii ſunt experti, unde æſtimari poteſt, quantum illud malum Ægyptiorum fuerit. Hoc morbo periit etiam Herodes & Sylla dictator.

925 Opera autem danda eſt magiſtratibus, ut quos vinctos tenent & mactationi reſervant maleficos, iis ſaltem ſtramina puriora ſæpiùs præbeantur, ne ex iiſdem cauſis, quod compertum eſt, in graviora animæ mala incidere neceſſum habeant. Sunt enim in hoc genere commiſerationis erga hoſce, quantumvis mala meritos, quidam ex inflatis & præturgidis regum & principum vicariis contra pietatem, & ſupra modum

dum

dum nimis inhumani: quorum inhumanitatem poſtea Deus in ipſis, & in ipſorum poſteritate punire viſus fuit. (Sic Calliſthenes Olynthius in cuſtodiâ vermibus periit.) Alioquin enim duplici pœnâ plecterentur malefici, id quod tamen eſt contra mentem Dei, quod videre licet ex Deut. 25, 1. *Ubi monet, ita cædendum eſſe, qui hoc meritus eſt, fratrem (ecce fratris nomine tamen adhuc habendum eum, qui quamvis corpore dira pati cogitur) ne vileſcat in oculis noſtris.* Et ex analogiâ hujus loci colligi poteſt, etiam orandum eſſe pro captivis tandem necandis. *Pro innocentibus quod maximoperè ſit precandum, patet ex alio textu Heb. 13, 3.*

PULICES.

Inſecta notiſſima ſunt pulices, & quanquam tenuiſſima ſunt, *unde David pulici ſeſe confert,* 1. Sam. 24. 926
15. & 26, 20. nihilque aliud eſſe videntur, niſi pelliculæ alieno furtivo cruore, quod color etiam indicat tumeſcentes, ſicut color ebrioſorum in facie prodit ebibitos humores; tamen æquè non caſu aut à Satanâ, ſed divinitus creantur. In tantâ etiam parvitate corporis aliquid loco manuum, loco oris, loco dentium, loco ventriculi, loco cordis, loco cerebri eos habere neceſſe eſt, id quod ex variis operationibus ipſius confirmatur:

1. *Inſidiatorem enim quàm maturè animadvertit! & quàm celerrimo ſaltu deludit!* quam ad fugiendum eſt expeditus! quàm probè poteſt ſeſe abſcondere! quam difficulter iterum inveniri, & quamvis iterum viſus, quam difficulter capi poteſt.

2. *Deinde quaſi edoctus eſſet artem ſecandi venas à chirurgo vel balneatore carnem perterebat,* & ſuccum

ſangvinum per tubulum vix oculis acerrimè videntis appariturum ſemel inter obſervationes quinquaginta, tamen exugit citra adeò magnam moleſtiam, ſolo ſuctu, levi pruritu, niſi valde ſitiat.

3. *Regna ſua latè extendit, quia in homine per omnia membra ſaliendo circumerrat*, quod Pulex Ovidii ſatis deducit. Non tantum in animantibus vi-
927 vere gaudet, ſed etiam in pulvere per terram, in deſertis & in cubiculis immundis, quærens ſubjectum & nidum commodum, numeroſiſſimè habitare ſolet, donec ad novas exeat excurſiones & invaſiones ac compotationes. Aliter igitur atque pediculus minorem putredinem inhabitare geſtit, & ſordes aridas quærit, ubi ponat lendes ſuas, & per ovationem, ut auctores etiam teſtantur, genus ſuum amplificet, quanquam etiam ex putridis pulices naſci diſputant eruditi, quâ de re quid nobis ex Sacrâ Scripturâ ſentiendum, in hoc tractatu ſæpiùs eſt indigitatum, & eruditorum amicæ conſiderationi & judicio expoſitum.

4. *Excurſurus ſalit potius inſtar locuſtæ, quàm volat:* unde etiam poſteriora crura à Deo habet longiora, ut ambulare queat melius & facilius, deque terrâ tolli, cum aufugiendum eſt. Enixu igitur poſteriorum crurum ſalit, & cum inflexa rurſus connixa extendit, de terrâ neceſſariò attolli deprehenditur. Etſi enim pedes habet ſenos, unà computatis iis, quibus ſaltum perficit, tamen nulli priores habent ſuffraginem, quam intus flecti neceſſe eſt ad gubernaculorum formam: Quemadmodum de hoc parvo animalculo eruditiſſimi philoſophantur, & alii plura ad-
928 jiciunt, quæ nos prætermittimus, ne in Scholâ Theologicâ pulicum greſſus meriti videamur.

5. *Tem-*

Digitized by Google

5. *Temporibus frigidis à venatione ceſſat, ac inſtar ruſticorũ per hyemem in caſulis ſeu latibulis ſuis præſtolatur,* & eget calidis & æſtivis diebus, ſummâ cum alacritate ad opera conſveta ſaliendo convertitur. Quin etiam pro ſuâ calliditate, cum ſatur eſt, non in induſio manere, ſed ad plicas tunicarum & caligarum ſeu fæmoralium properare, ibique ova deponere dicitur: contra ſobolem ex plicis iſtarum veſtium in plicas induſiorum reducere, quando fame & ſiti urgetur.

6. *Homini potius pruritum quàm dolorem infert* (contra videtur canum genus cæſim & punctim appetere, & diſcruciare) unde omnes populi morſum pulicis pro noviſſimo dolore capiunt. Dicuntur etiam à quibusdam certis pulicibus erodi olera, fruges, braſſicæ, von Erdflöhen. Et notum iterum eſt, multis ſæpe annis homines magnas edere qverelas, & maxima ſentire detrimenta, cum divinâ ſæviente ultione hoc quoque genus pulicum, ut vocant, terreſtrium, in immenſum augetur, & cum aliis ſimilibus inſectis minimorum minimis adverſus malitiam humanam armatur divinitùs. Omnia enim abſumunt, & quanquam multa vel omnia vorent, majora tamen 929
animalcula ipſa non fiunt, quin & intereunt & fiunt pars fimi, quo utcunque ſtercorentur terræ.

7. *Vivit igitur & vivere geſtit pulex potu ſangvinis, aquam reſpuit,* unde non tantùm imminentibus pluviis vehementius pungit, ſed & fugatur, imò necatur, ſi etiam tellus purâ ſimplici, frigidâ, inſipidâ aquâ madefiat.

8. *Etſi calore gaudet, tamen omne nimium ipſius natura refugit, nihilque æquè eum dejicit, quàm res fortis odoris,* ruta menta, mentaſtrum, allium, lu-

pulus, fæces vel urina equi, abſinthium, folia perſicorum, calx.

9. *Gaudet etiam libertate, unde caulices aqua maceratos* & ſparſos per domum, item bombycia (vide de vulpe ſuperius) item irroratas frondes ſeu radices ſibi contrarias *ferre & tolerare nequit;* verbi causâ ebuli radices & cauliculos in aquâ maceratos aut decoctionem rutæ.

10. *Et tantam calliditatem, commodeque ſuis proſpicientem dexteritatem, & ſenſus humanos deludentem promptitudinem, aliaque plurima licet cernere in hoc quaſi vix digno, quod aſpiciatur, inſectulo.* Neceſſe eſt autem, quemadmodum antea dictum fuit, ut
930 in pulice, ut & in aliis parvulis hæc omnia miniſterio quorundam organulorum conficiantur, ſiquidem cibum attrahunt, conficiunt, aliquid ex ſeſe viciſſim gignunt. At quis iſta inquirere audebit, invenire poterit, explicare valebit? *Utut ſit, in his contemtis & minimis, Deus longè majora collocaſſe miracula* ab eruditis Philoſophis & Theologis ſcribitur, quàm in majora, ut etiam ex hiſce quotidianis quamvis contemtis diſceremus, divinam potentiam non metiri ex quantitatis mole, ſed reverenter expendere ex virtutis majeſtate. Natura nuſquam magis eſt tota & miranda, quàm in minimis. Hinc illæ crebræ Patrum voces, *quòd magis deceat nos mirari pedes muſcæ quàm pedes Elephanti; dentes tineæ & pulicis, quàm apri, alas cyniphis ſeu culicis, quàm aquilæ, caput locuſtæ, quàm cameli, crura culicis, quàm equi.* Et quod in collatione boum cum apibus, aſinorũ cum formicis, plures liceat videre Dei per naturam inditas dotes api & formicæ, quam bovi & aſino, licet bos & aſinus homini

homini

mini victum comparare ſoleant fermè ſufficientem. Recitat *Scaliger in Exercitationibus ſuis* adverſus Cardanum exemplum, & alii quoque multi citant alia, ſuntque vulgò noſtrati non ignota de pulice catenâ aureâ revincto & ſaliente tamen, ſangvinem ex- 931
petente, & poſt ſaturationem ſeſe in lectulum collocante. His & aliis rationibus & in honorem Dei parvis tàm mirè ludentis Italus, quidam ut ex fide digniſſimis præceptoribus percepi, qui Italicas perluſtrarunt & diu frequentarunt academias, cognitum habeo, *pulicis anatomiam ita accuratè inſtituit & pertractavit, ut etiam minima, quæ acies humana aſſequi potuit, membranula ſeu particellulas perſequatur.* Si ea in promtu haberi potuiſſet, totam huic tractatui inſeruiſſem. Citant etiam inſigne Johannis Fiſcharti, de eodem carmen. Proverbium vetus: *Cupis noſſe mores pulicum; dicebatur rectius in eos, qui prorſus inanibus ſtudebant rebus, unde nihil quicquam cedebat ad gloriam Creatoris, nihil ad utilitatem hominum.* Sed ſatis de illis.

CIMICES Wantzen.

Eſt animal ipſo nomine faſtidiendum & fœdiſſimum, quod in parietibus & lectis, ut plurimum reperitur, acerrima facultate præditum. Naſcitur in *vapore quodam humidiore,* qui foris colligitur in lectis vel aliis, & egreditur ex corporibus animalium. *Earum caro prodeſt contra omnia venena.* Gaudent tamen etiam eſſe Cimices *in libris & in caveis gallinarum.* 932
Non tantùm morſu dilacerant, & ſomnum interturbant, & ſimul ſangvinem hominibus adimunt, ut pediculi & pulices faciunt, ſed *& deterrimo odore torquent,* à quo ſenſus & ſpiritus plus læduntur. *Veſcuntur*

tur etiam ſordidis quibusvis paſſim rebus. Poſſunt conſtitui *opificum ſordidorum imago. Catullus* pauperrimum deſcripturus illud ita effert:

> *Furti cui neque ſervus eſt, neque arca,*
> *Nec cimex, neque araneus, neque ignis.*

CAPUT VII.

DE ARANEA.

O*Cto pedes aranei & in iis nodos tres habent & venenum, non ictu, ut Scorpii, ſed morſu ejaculantur.* Variis autem modis ab auctoribus diverſis diſtingvuntur, quos non recenſebimus. Sufficiat ſcire, quod differant 1. *venatione*, quia *quædam* venantur muſcas, *quædam* parvulas lacertas & erucas intexunt, poſteaque mordent labra, *quædam* piſces, *quædam* ſaltando venantur vermes. 2. *Magnitudine*, quia *quædam* ſunt magnæ, *quædam* parvæ, *quædam* mediocres. 3. *Colore*, *quædam* ſunt cinereæ, *quædam* virides, *quædam* variæ, *quædam* nigræ, &c. *quædam* habent prælongos pedes, *quædam* non, *quæ-*
933 *dam* ſunt villoſæ, *quædam* non. 4. *Operâ*, *quædam* texunt, *quædam* non texunt, & quæ texunt *aut* texunt albam *aut* nigram telam, *quædam* ſubtilem, *quædam* craſſam, *quædam* ſuſpendunt in aëre telam, *quædam* inter duos parietes, *quædam* in angulo, *quædam* juxta ſepes, *quædam* in terrâ, *quædam* inter legumina longè lateque per noctem & diem diſcurrunt, loca neglecta & deſerta adeunt varia & varios eorum angulos, ſicut ex telis ubique locorum in ædibus per eas con-

textis

textis colligere datur, panes,caſeos,& alia perreptant, ſuis ovis maculant, videntur ſæpè manifeſtè aliquid excacare & parere, quia illud in feneſtrarum lignis, in chartis, ſæpè valdè mucidum & punctuloſum cernitur. Unde apparet, quàm facile horum & aliorum vermium & inſectorum dies noctesque omnia perreptantium ovis & ſtercoribus poſſint fœdari eſculenta, cum non ſatis cuſtodiuntur, & cum manibus terimus menſas aut ſcamna non purgata, ſed ab araneis conſpurcata, &c. *quædam* in terræ foraminibus latent.

Sæpenumerò DEUS per hanc beſtiolam punivit & adhuc punit integras gentes. Citò innumeras ex arenâ, citò etiam phyſicè producere poteſt, cum alioquin ſint nimis aranei fœcundi. *Aldrovandus* obſervavit ova aranearum & invenit multa livida, exi- 934
guis maculis aſperſa, diviſa, invicemque ſeparata, mollia & viſcida, quæ ſi caſu aliquo fuerint perdita, aranea (addit ipſe) diligenter inquirit, & ſic additamentis interioribus & roſtro etiam reportat. Vidit idem ex unico ovo multos ac propè innumerabiles fœtus procreari ita exiguos, ut vix oculis percipi poſſent, attamen quamprimum ovo erant excluſi, fila deducebant tenuiſſima. Obſervavit idem ſub captæ araneæ alvo tam magnum ovorum cumulum adeò exiguorum, ut atomis comparare licuiſſet.

Quantam inferre poſſint, divinitus ſævire juſſæ, cladem vitibus, omninò inter noſtros conſtat: Quantum ſuis morſibus, ex *Diodoro Siculo patet l. 4. c 3. ex Strabone l. 16.* ubi ſic ſcribit: *Ultra Libyas & Zephyros eſt regio deſerta, quæ paſcua lata habet ob Scorpionum multitudinem derelicta & aranearum, quæ τετραγνάθιοι appellantur.* Hæc ille, unde æſtimes poten-

Digitized by Google

potentiam Dei, qui per araneas poteſt expellere gentes ex ditionibus ſuis, cum lubet. Cum pungunt aut præſertim quando cum cibo ac potu aſſumuntur, inæqualiter univerſum corpus, calore, frigore, horrore, prurigine afficiunt, inflammant, tumefaciunt, tor-
935 quent, ſed cerebrum maximè tentant, unde ſequi neceſſum eſt nervorum diſtentionem, tremorem, &c. in univerſa cute frigidum ſudorem, & urinæ & ſtercoris reddendi perpetuam libidinem. Morſus tenuis eſt, ut vix conſpici poſſit tumor lividus, quibusdam rubicundus; cum corpus aggravatur, ſeqvuntur vigiliæ & alia magna ſymptomata. Apud Solinum cap. 16. polyhiſt. Phalangia ictum hominem veneno ſuo interemit, id quod potius ad eas, quæ divinitus armantur & ſævire jubentur, referendum videtur. Quæ in terræ foraminibus degunt, ſæpius egreſſæ mordent meſſorem non ocreatum.

Anno 878. in Galliis multos fame, morſibus aranearum & rabie luporum interiiſſe refert Aldrovandus de inſectis. Vult nos piam agere Deus vitam, ne opus ſit nos & jumenta & rura noſtra puniri ab eo per beſtias malas, glires, mures, araneas, ſerpentes, lorices, veſpas, crabrones, ſcarabæos. Sed & alio tempore valdè nocere queunt. Noti fuerunt, qui devoratis araneis mori cogebantur, nec reſtitui poterant. Vult igitur Deus nos eſſe peritos rerum naturæ, vult mundari noſtra omnia, quibus utimur, vult nos circumſpectos eſſe. Utut autem hæc ita
936 ſeſe habent, tamen avibus & gallinis, modo non intemperanter utantur, fiunt ſuavis cibus. *Sunt artificioſæ*, & quia pedes non omnes habent ejusdem longitudinis, ideo quibusdam fila, quæ neverunt, attenu-

ant.

ant, & in longum protrahunt, aliis eadem in telam deducunt ac invicem conjungunt, aliis per ea dem prorepunt, & cum volunt, ex iis ſeſe ſuſpendunt, ut faciunt funambuli, & ſæpè ita in aëre dormiunt. *Naſcitur ars iſta, non diſcitur,* inquit *Seneca,* hoc eſt, *Deus opifex indit & indidit & indet has naturas unicuique inſecto.* Accedit ad artem *diligentia indefeſſa,* quia nullâ non horâ, nullo non die diligentiſſima eſt in ope re in magno ſilentio, & licet à famulis, & ancillis ſubinde opera ejus diſturbentur, tamen à labore nunquam deſiſtit, cum homines, quibus non ſemper ex ſententiâ fluit eventus, ſæpè deficiant animis, alienaque tractare aggrediantur, aut ad malas artes convertantur. *Imitari harum induſtriam imprimis debent puellæ & matronæ in hoc eodem nendi ſtudio.* Niſi quotidianis noſtris ſpectaculis paterent res illæ, pro fabulis haberemus.

Porrò editæ juniores ſtatim etiam fila nere ſcribuntur, multò magis homo ſobolem maturè ad pietatem, ad honeſtas artes, ad honeſtos labores aſſuefacere debet. *Cæterum in hoc animali altius expendi de-* 937
bent veſtigia ſapientiæ Geometricæ, magnæ diligentiæ ſubtilis laboris & providentiæ. Meritò enim admiramur ſubtiliſſima illa fila, quæ ducuntur tam moderato ungve, *& poſſunt comparari cum lineis Mathematicis,* ſiquidem etiam viſum effugiunt.

Deinde quis non admiratur ipſam ſtructuram, in quâ centrum aliquod reperitur & ex centro atque circa centrum ducuntur multi circuli, quos facit ipſa abſque omnibus circinis, ita ut à centro remotiores ſint ampliores, ſed viciniores magis contrahantur. *Mirabile etiam eſt, quod firmiſſimè affigit telas vel arboribus, vel muris*

muris vel ſepibus, ita ut non facilè diſturbentur, vel à ventorum impetu,vel à pulverum pondere,vel ab imbrium violentiâ. Sapienter igitur fila protrahit & ſæpè de alto in filo ſeſe demittit, ut non rumpatur filum. Cum circulus & linea recta concurrunt, ibi telã nectit & quaſi compingit. *Tanta autem omni operi ineſt ſubtilitas*, ut nec puellæ poſſint imitari. Et verò dicebat quidam, *araneas longè eſſe ſapientiores & doctiores illis ſtudioſis*, qui nihil guſtaſſent in artib⁹ Mathematicis. Multi enim reperiuntur, qui ſine circino materiali & ſine regulâ ex proprio Marte, & pro-
938 priâ agitatione manuum ſine magno tremore manuum non poſſunt circulum unum atque alterum pingere, & ex centro lineas aptas protrahere, ſicut tamen perfectè norunt aranei, qui ſemper incipiunt à centro, etiam cum retexunt concatenationem.

Præterea ad hanc mirabilem ſapientiam *& illud accedit, quòd ſeorſim à tela in loco occulto concamerant ſeu præparant ſibi quaſi cellam quandam ſeu cubile ſeu repoſitorium*, in quo deliteſcunt, ne conſpiciantur à muſcis, & in quod important muſcas, quas ceperunt, & reſervant, donec fameſcant. Talia multa homines quantumvis ſubtiliſſimi, tamen non ſatis poſſent præparare ſine idoneâ & ſufficiente materiâ. Araneæ verò hæc omnia faciunt abſque materiâ externâ, quæ ex ſuâ ſubſtantiâ interna ex humoribus & vaporib⁹,quos exſorbent vel ex aëre, vel ex muſcis, vel ex ſimilibus, hæc omnia præſtant.

Fœminas potius telam texere ſcribunt, mares non item. Fœminaq; in utero habet quandam lanigeram fertilitatem. Non igitur indigent aliâ materiâ, ſed ex ſuâ ſubſtantiâ faciunt, quicquid faciunt. *Multa reperiuntur*

periuntur in ſuis nidis araneæ mortuæ, quia totam ſub-
ſtantiam inſumſerunt in opus, & ita ſimul iñori coa-
ctæ ſunt operi. Hinc Pſ. 90, 9. *Vita noſtra aſſimilatur* 939
araneæ, cum dicitur annos noſtros eſſe ſicut araneã,
vel, ut alii vertunt, ſicut fabula.

Vita igitur hominum verè poteſt comparari cum aranea, 1. *Sicut enim aranea* ex ſubſtantia ſua texit telam; ita ut interdum immoriatur in ipſo opere, unde multæ reperiuntur in nidis: *Ita quoque homines* pleriq; omnes in hâc vitâ occupati ſunt in colligendis divitiis,& huic rei inſumunt non tantùm omne tempꝰ, verùm etiam omnes vires corporis, ut videamus multos immodicis ejusmodi laboribus ſibimetipſis mortẽ accerſere. 2. *Et ſicut aranea* magnam adhibet diligentiam, & tameñ operis ipſius nulla eſt utilitas; *ita homines* in hac vita non curant ſpiritualia, ſed alia, quorum nullus eſt uſus,præſertim ad alteram vitam. Ideò Eſa. 59, 5. *Hypocritarum & impiorum opera & acta quantumvis ſplendida, tamen quia ad oſtentationem facta, comparantur inconſtantibus telis aranearum, quæ citò collabuntur, cùm ab aliquo tanguntur & examinantur.*

Et Patres *ſolent argumenta hæreticorum conferre cum telis aranearum,* licet enim videantur eſſe fortia, tamen nihil niſi ſplendorem externum habent. Job. 8, 14. *Domus araneæ fiducia ejus.* Thales ad Solonem di-
cebat, *Leges ſine executione ſimiles eſſe telis aranearũ,*
per quas magnæ aves perrumpunt, ſed muſcæ tenues 940
implicantur, ſicut in quibusdam Rebuspubl. *Dat veniam corvis, vexat cenſura columbas.* Sed ſicut aves perrumpunt quidem telas aranearum, non autem rete aucupis; ita potentes, quibus parcunt homines, non evadunt judicium Domini.

Item, *Hæreſes rectè poſſunt conferri cum araneis, ſicut etiam Diaboli, ex ſe texentes mendacia. Aſtrologorum vanorum nugæ comparantur telis aranearum* à Baſilio & Auguſtino. Item *Sophiſtarum tricæ & inanes diſputationes.* 1. *Sicut ergo parva beſtia* implicatur telis aranearum, ſed fortis perrumpit: *ita iſtis nugis* decipiuntur non tàm benè informati, non moventur cordati. 2. *Sicut aranea* faciunt ſuas telas ex ſe; *ita ex ſe* excogitant inanitates ſuas Aſtrologi & Sophiſtæ. 3. *Sicut* ſæpè in aëre volitant telæ aranearum & moleſtiã ſpaciantibus exhibent: *ita* nulla fundamenta habent ii ipſi, utut eruciare velint eruditos iisdem nugis. 4. *Sicut* licet ſæpius telæ aranearũ ejiciantur, tamen ſubinde novæ fiunt & texuntur: *ita Hæreſes* ſubinde repullulaſcunt, & Diabolus redit ad hominem, unde ſemel fuit ejectus, iterum periculum facturus, num denuò poſſit eum ſeducere.

941 *Et vita noſtra eſt ſicut tela aranei expoſita variis perſecutionibus*, quo videtur reſpexiſſe Ovidius:

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo,
Et ſubito caſu, quæ valuêre, ruunt.

Cum quo ex toto de Muſcâ congruit id, quod Simonidi tribuitur: *Facilior eſt mutatio fortunæ, quàm converſio muſcæ*, quantumvis celeriter volantis. Telam igitur aranearum texunt 1. *qui* divitiis inſtabilibus colligendis vacant. 2. *qui* voluptati corporis curandæ vacant. 3. *qui* veſtitu molli delectantur. *Vanitas vanitatum hæc omnia*, quia non ſunt ſuper fundamentum Chriſtum. *Porrò ſi quid muſcarum incidit in rete aranea, mox tactu, quo exquiſito eſt prædita, hoc illa cognoſcit, & ex cubili procurrit in centrum, ut cognoſcat, ubinam hæreat præda.* Interdum in centro circuli

culi expectat, & venationi operam dat, quia novit ex centro æqualiter abeſſe omnia reliqua loca in circuitu. Prædam igitur circumvolvit, ne poſſit elabi: poſtea vel exſugit, quando fame premitur, vel in repoſitoriū geſtat & reſervat. Sæpè ſuis retibus particularia, & propè inviſibilia fila prætendit, quib9 deludit reria integra prætervolaturas muſcas. Antequam vero novā venationem inſtituat, reſarcit illud, quod eſt ruptum, vel rumpì etiam poterat. Similiter retexit, quando 942 pluvia aliqua imminet, ne totum ſyſtema patiatur damnum. *Cum abit aranea, dicunt imminere ruinam domus*, quod naturali calliditate præſentiat diſſolutionem contignationum. Similiter cum frequentes conſpiciuntur araneæ, exiſtimant peſtem imminere, quod aër ſit valdè corruptus, & ſic multum pabuli ipſis ſuppetat.

Imperator quidam Romanus Varius, aut ut habet Platina in Urbano primo, Heliogabalus, ut magnitudinem urbis jactaret, *operâ ſervorum Romæ collegit in ſacculis decem millium pondo araneorum, unde tamen colligitur ſimul, non tantam tunc fuiſſe ſuperbiam & luxum, ſed magnam ſimplicitatem urbis Romanæ.* Et exoptatiſſimum eſt tempus illud, quando arma, bombardæ, haſtæ, thoraces ænei, & ſimilia telis aranearum replentur, quia tunc certum eſt negligi uſum armorum. *Araneæ ſunt etiam inſidioſæ, ingratæ, infames, nec cum aliis animalibus, nec inter ſe concordiam, nec fœtus erga parentes pietatem colunt.* Apud Plinium lib. 10. cap. 74. *Librat araneus ſe filo in caput ſerpentis porrectæ ſub arboris ſuæ umbra, tantaque vi morſus cerebrum apprehendit, ut ſtridens ſubinde ac vertigine rotata nec filum quidem deſuper pendentis rumpere,* 943

adeò non fugere queat, nec finis ante mortem eſt. Et eſt talis naturalis ἀντιπάθεια inter ſerpentem & araneam, quia aranea ſæpè librat ſeſe ſuper ſerpentem, ut morſu noceat. *Cocunt etiam araneæ, & fœmina trahit marem ad ſeſe per filum,* & pariunt vermiculos tanquam ova, neque pauca, ſed valdè multa. Semper autem parentes interimuntur à fœtu, ſicut etiam accidit ſcorpiis, procul dubio propter hanc cauſam, ne natura repleretur ejusmodi pravis inſectis. Lupos ſolent nominare illas araneas, quæ nihil texunt, ſed potius admodum ſunt intentæ in capiendas & necandas muſcas. Sed ſatis de his.

CAPUT VIII.
DE FORMICA.

HOc eſt illud animalculum, de quo Deus ipſe dicit Proverb. 6. v. 6. *Vade ad formicam, ô piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam, quæ cum non habeat Ducem, nec Præceptorem, nec Principem, parat in æſtate cibum ſibi & congregat in meſſe, quod comedat.* Et Proverb. 30, 25. dicitur *Sapientior eſſe ſapientibus, quia cùm ſit populus infirmus, tamen*
944 *præparat in meſſe cibum ſibi.* Neq; enim formicæ mutuò ſumunt, neque mendicant, ſicut pulcherrimè philoſophatur *Baſilius Magnus in Hexaem.* Sed utuntur viribus & dotibus, quibus à naturâ inſtruuntur & ultrò flagrant ſtudio laborandi, & ſedulò laborant nemine cogente, nec quicquid remittunt de diligentiâ, cum homines adeò ſint depravatis moribus, ut aut nõ laborent, niſi cogantur metu pœnarum, aut de ſedulitate valdè remittant, ut etiã apparet in Alexandro M.

qui

qui tandem helluabatur & degenerabat. Id quod non facit hoc inſectum, *quod tamen non tot inſtruitur armis, & nullius imperio eſt ſubditum,* ſed habet tenues dentes & corpuſculum præter modum tenue, & nihilominus *ſtudet eſſe civile, amat ſocietatem,* odit mures tanquam fures, qui nihil comportant, & vivunt ſaltem ex rapto. *Aliqua tamen à naturâ accepit arma,* quia habet aculeum in parte poſteriore, & dentes, ut irritata egregiè ſe ulciſci ſtudeat, & oculos, quod aliqui negant, ſed malè, & in ſenectâ accipit alas quaſdam; item *habet venenoſam aquam,* quam tamen non effundit, niſi ſuper illos, qui inſidias eis ſtruunt. Mel etiam appetit & illud olfacit ex longinquo. Cumq; ſacræ literæ nos remittant ad formicas, neceſſe eſt, ut diligentiùs eas conſideremus:

Primùm etſi tàm ſunt imbecilles, ut repere potiùs, 945
quàm currere dicas, *tamen arbores quasvis prægrandes, turres, horrea, cellaria, etiam loca quævis editiſſima & humillima,* ſicut & araneæ, omnes angulos ſurſum & deorſum, omnes parietes infra & ſupra, extus & intus, omnes herbas, areas, agros, ſulcos, inſtrumenta ruſtica & muſica, ne uno excepto *perrepunt & percurrunt.* Suntque *imagines bonorum Patrum familias,* qui nullum ignaviæ prætextum faciunt, ſed & ipſi laborant, & ſuos ad laboris ſtudium unicè aſſuefaciunt, ut aſſuefiant à juventute ad reponendos victus in annum, quod multi lurcones & bibones non faciunt.

2. *Sub terrâ exſtruunt ſibi formicæ certa diverticula, quæ habent varios anfractus & multas circumgyrationes.* Id quod ideò faciunt, ne inſidiæ ipſi poſſint ſtrui à ſerpentibus & aliis. Nam illæ habitatiun-

Digitized by Google

culæ aut inventu ſunt difficiles aut omninò inviæ.
Terram quam effodiunt, aggerunt pro foraminibus,
ut ſit tanquam murus, & propugnaculum, & quaſi te-
ctum quoddam, ne aqua ex aëre per pluviam decidens
ipſis noceat. Intrinſecus varia habent ſepimenta,
quæ diſtingvunt ab altera.

3. *Magna in ipſis eſt prudentia alia, dum intelligunt*
946 *tempora colligendi victus.* Nam acervum frumenti
in meſſe comparant in hyemem, quia optimè prævi-
dent, hyeme in vacuis agris fruſtra quæri pabulum.
Usque adeò autem turpe ducunt feriari, ut nullum
tempus labori idoneum perire ſinant.

Tanta enim eſt ſedulitas, ut ne nocte quidem ceſ-
ſent, quando luna eſt plena. Nam quando latet lu-
na, ibi vires ipſarum ſunt tenuiores, nec ſufficiunt iſtis
laboribus. Extra hunc caſum nullas prætendunt ex-
cuſationes inertiæ, & fugæ laborum. Sicq; omninò
longè rectius ſentiunt, quàm plerique homines, qui
præ pigritiâ torpeſcunt, & de quibus rectè dici poteſt:
Pigri ſemper habent ferias. Cum verò luna eſt nova,
tunc quietæ ſeſe continent intra ſua tecta.

4. *Cùm verò appropinquavit dulciſſimum tempus
æſtatis aut meſſis, ibi aut ſingulæ aut binæ aut ternæ ad
legenda grana exeunt.* Mira ibi cernitur tum indu-
ſtria, tum modeſtia, quia aliæ aliis decedunt de via.
Non abſterrentur ardentiſſimo æſtu à labore, non no-
ctu vacuæ ſunt, quod tamen tempus ad quietem eſt
conceſſum, non magnitudine itinerum aut aſperitate
viarum patiuntur ſe fatigari, & ſæpè ex longinquo
frumenta ſunt convehenda, ſæpè per ſaxa & per ſili-
ces, in quibus ſecundum rectam lineam obſervata ci-
947 tra errores veſtigia formicarum apparent, ſæpè grana
majora

majora corporibus formicarum in montes ſunt protrudenda. Omnes tamen difficultates ſuperat non virium magnitudo, non corporis ſtatura & moles: ſed ſola induſtria & diligentia. Veriſſimum igitur eſt, quod dicitur apud Terentium: NIHIL tàm eſt difficile, quod diligentiâ non poſſit inveſtigari. Et quod extat apud Hiſtoricum. *Nihil tàm altum à Natura conſtitutum eſt, quò non poſſit virtus eniti.* Cum igitur ad pabulandum proficiſci volunt, grandiores tanquam duces præcedunt. Cumq; ad ſegetes perventum fuerit, juniores manent in agro, ſed robuſtiores aſcendunt in culmos, abſcindunt ſpicas, dejiciunt eas inferioribus. Inferiores & adoleſcentiores circumſtant & ariſtas diſtrahunt, granaq; incluſa depromunt. Ad excutiendum nullo inſtrumento egent, non ſeris, non cribris ad ventilandum, non ventis ad purgandum. *Juſtitiæ ſimul ſtudent,* quia quæ nihil portant, non ſurripiunt earum quæ portant, onera, à ferentibus vacuæ non petunt, nec vi auferunt, ſed unusquisq; ſibi & publicæ utilitati colligere ſtudet. Homo longè eſt deterior. Quod enim ſæpè alter ſummo cum labore diu collegit, id alter parvo tempore decoquit: Contra formicæ omnes unanimiter laborant. Utuntur ariſtocratiâ ſeu democratiâ, nullus iis eſt rex, o- 948
mnes cives pro opportunitate præeſſe & ſubeſſe norunt, qui ſunt *typi liberarum & felicium civitatum imperialium,* adeò mirabilis eſt diſtributio operarum in hoc parvo animalculo.

5. *Onera igitur, i. e. grana, quæ ſunt longè majora, quàm requirit proportio corpuſculorum, morſu gerunt, & ſi quæ ſunt grandiora, ea protrudunt & nituntur totâ mole corporis.* Siquid exciderit, illud convertũt in ſu-

um prandium, reliqua reponunt. Antequã verò grana abſcondant in cavernis, arrodunt ſemina in illa parte, unde ſolet planta enaſci, id quod ideò faciunt ne rurſus exeant in fruges. *Huc pertinet & illa ſapientia*, quod quando grana ſunt madefacta imbribus, *proferunt ea in apricum, ac exſiccant ad Solem*, ne excreſcant in culmos, id quod fieret & hac ratione fames ipſis inferretur, omnisq; labor & ſedulitas periret. Nunquam autem ſolent ſequi imbres, quando formicæ exponunt ſua grana. Adeò ſapientiſſima Natura, hoc eſt, Deus, etiam tempeſtatis præſagia in hoc inſectulo voluit lucere.

6. *Si qua in itinere ferendis granis gravantur, reliqua gregales ipſis ſuccurrunt, id quod eſt ſingularis a-*
949 *moris ſignum*. Majoris verò amoris & maximæ juſtitiæ hoc eſt indicium, *quod cum ſæpè ex diverſis locis conveniant, tamẽ omnia grana in unum locũ comportent*, in tanto agmine egredienti nulla obſtat intrãs, ingredienti impedimentum affert nullum egrediens: Geſtantes nihil geſtantibus de viâ decedunt, particulas divulſas plurimæ geſtant. Et manifeſtè cernimus obvias inter ſe quaſi colloqui & percontari, donec ſingulæ ſuos populares agnoſcant. Etſi autem omnia comportantur in unum acervum, tamen poſtea dies certos conſtituunt recognoſcendis oneribus. Ibi igitur ſua ſigna cognoſcunt & velut exercitum recenſent & agmina ſeparant, & unicuiq; agmini ſuum tenere ſine injuriâ & ſine fraudibus licet. Facilimum enim eſt à furtis abſtinere, & aliena non appetere his, quibus ſpes eſt propoſita in virtute, in robore & in induſtriis. *Contra verò Decoctores*, qui plus conſumunt, quam ipſorum ſumptus poſſunt tolerare, non abſtinent ab alieno, ſed involant in bona reliquorum. Et

Et profectò vix aliqua tàm ſapienter conſtituta fuit civitas unquam, quæ ad hanc formicarum politiam exactè poſſet conferri. *Maximum hoc eſt venenum in urbibus & frequentiſſimum malum, quod otio* 950
indulgent homines. Hanc autem peſtem procul abeſſe à formicis videmus. Deinde *frequentiſſimum eſt in politiis vivere ex rapto,* aliorumque paſci ſudoribus & ſanguine, mutuò accipere nec ſolvere, luxum exercere aliorum ſumtibus, unde poſtea in civitatibus novæ Leges, nova bella. Àb his autem malis longiſſimè abſunt etiam formicæ. Quanta eſt virtus & quam magnum vectigal parſimonia, quæ non tantùm in præſens ſibi conſulit, ſed etiam proſpicit in futurum! Videmus autem paſſim magnam omnium hominum prodigalitatem, profundentem ſumtus in res ludicras, non neceſſarias, alienas nec utiles. Contrarium apparet ex hac beſtiola, quæ agnoſcit ſuam infirmitatem, quod non poſſit vivere ex nihilo, & quod tamen hyeme nihil ſuppetat, unde maturè colligit, unde vivere poſſit.

7. *Denique & hoc laude dignum eſt, quod præter hominem ſolæ formicæ ex omnibus animalibus mortuas ſuas reverenter curant.* Non quidem relinqvunt eas in ſuis cavernis, propter munditiem, neque tamen eas temerè abjiciunt, ſed efferunt, & honeſtè in vicinia ſepeliunt in folliculis frumentorum. Hoc autem faciunt proximæ, ſicut filii ſepeliunt parentem in loco aliquo honeſto ſeu monumento familiæ. 951

Refert *Ælianus l. 6. c. 49. de Cleante,* qui ipſe *vidit ſuis oculis mortuam in aliena caverna fuiſſe exportatam & delatam ad ſuos populares.* Initio igitur portatores in faucibus alienæ cavernæ ſubſiſtebant,

 reli-

reliqui proſpiciebant & velut contrahentes cum externis ſæpius ultrò citroque commeabant, donec tandẽ lumbricum afferrent, quem peregrinis dabant tanquam redemtionisprecium. Si ergò hoc fit inter beſtiolas, *quantò magis hominibus magna cúra eſſe debet,* ut ſuorũ propinquorum cadavera terræ matri rectè & ſolenniter cōmendentur.

Licet autem inter homines reperire, qui hanc pietatem ſuis propinquis, collegis, civibus non præſtant, omni jure brutis deteriores cenſendos. Dicuntur triplices habere cavernas, *in unâ* vitam degunt & communiter comedunt: *in alterâ* tanquam granario, vel horreo habent alimenta repoſita: *in tertiâ* mortuos ſuos. Dicunt cavernas ipſarum ita eſſe diſtinctas in plateas nimirum, ſicut ſunt urbes, & in illis patere vias & fora. *Ecce quomodo Deus in parva gutta omnium dederit virtutum exempla,* ut Plutarchus loquitur, interim igitur & imitare apis ædificia, formicæ ſtabula, ala, araneæ retia, bombycis ſtamina. Aliqui
952 diſputarunt, utrum ſaltem bruta, & non ſimul ratiocinans eſſet formica. Vid. *Cic. l. 3. de Naturâ.*

Cum igitur tot & tàm magnarum virtutum veſtigia nobis appareant in formicis, *non fruſtra Sacra Scriptura appellavit ſapientiores ſapientibus, & pigros imprimis ad haſce mittere voluit.* Loquitur autem Prov. 6, 6. *de debitoribus & de ſponſoribus. Hos igitur monet, ut ſicut honeſtos decet, ſtent promiſſis, & qui ſponſores ſunt facti, ſine mora ſolvant, quod debent, neq; quærant ſubterfugia. Sicut enim avis* dat operam, ut liberetur ex reti, & Damula omnibus modis conatur ſe liberare ex caſſibus: *ita debitores* ſimili modo agent. Ne quis autem prætenderet, ſibi deeſſe

eſſe facultates ad ſolvendum, dicit Sacra Scriptura, non requieſcendum eſſe, ſed ſine intermiſſione laborandum & inſpiciendam eſſe induſtriam formicæ, quæ non mendicat neque decipit alias beſtias, mutuò ſumendo, ſed omnibus modis ſibi aliquid præparat. Quæ eſt ſententia genuina loci allegati ex Proverbiorum libro: *quanquam interim cuiq; pigro analogicè inculcari poterit.*

Porrò accommodetur illud ipſum *ad diligentiſſimam in veſtigationem eorum, quæ ad uſum ſpiritualis* 953
vitæ pertinent, & ad laborem in illis inſumendum, & ad perſeverantiam in illis. Hæc vita eſt meſſis & æſtas, ibi laborare decet inter tentationes. Extrema dies eſt multis futura hyems rigida, niſi ſepoſuiſti horreum fidei & dilectionis, unde vivere & recompenſationem ſperare liceat. Qui hoc non fecerit, is habebit experiri in hyeme caligines mentis, nubes timoris, ventum & gelu judicii. *Formica* morſu, & ungviculis reſecat ſeminiferum in grano: *ita nos* in vitâ inutiles reſecemus affectus, unde peccata grandia poſſent ſequi. *Formica* grana madefacta exponit Soli: *Sic nos* malam vitam ex verbo Solis juſtitiæ diſcamus exſiccare & emendare. Serenitatem igitur ſeu gratiæ tempus diligenter attendamus & rectè colamus, dum Sol gratiæ Chriſtus adhuc lucet. In altero die cum Eſau multi quærent cum lacrumis pœnitentiam, ſed non reperient gratiam. Metuantur igitur ſuperventuri dies imbrium, & exiccentur fructus vitæ madidi facti. *Poſſent in ſpecie veſpa, crabrones, formicæ ferocium operariorum metallicorum conſtitui imagines.* Quæ de *magnitudine formicarum* Indicarum apud Herodotum referuntur, hîc judicare & examinare ſuperſedemus: Nihil addimus

de

de urſo inſidiante & veſcente formicis. Nihil etiam
954 *de damno*, quod ſæpè inferunt, Deo ita diſponente, agris, hortis, horreis, arboribus, &c. *Meritiſſimo autem Monachis* ocioſis debebat illud Salomonis occini: *Monache vade ad formicam*, hoc eſt, deſere ſtultam & verbo Dei contrariam tuam ſolitariam vitam, cole ſocietatem honeſtam œconomicam, præſis diligenter officio Eccleſiaſtico vel Politico, cui præficieris: *ſicut Hieronymum in Vita Malchi* tædet monaſterii poſt inſpectam politiam formicarum. Sed ſatis de formicis.

CAPUT IX.

DE PAUCIS AQUATILIBUS INSECTIS.

IN aquarum ſuperficiebus ſæpè videre licet per æſtatem muſcas volantes, & inter natandum geminas alas extendentes: *partim natant & partim volant*, natant ventre in cœlum converſo, contrario ſitu volant. *Pedes habent ſenos*, & poſteriores majores ad corpus in aqua impellendum. Cedunt in uſum piſcium.

Sunt etiam *Cantharides aquaticæ* in paludibus, quæ non tantum in ſummo, ſed in fundo aquæ feruntur. Item ſunt varii *Scarabæi aquatici*, in quarumvis aquarum fundis reptantes. Reperitur etiam aliquod animalculum nigrum, pulice paulò majus, quod ſupra aquas, potiſſimum ſtantes velociſſimo motu
955 cietur, rarò quietum, rotundũ, *pulex aquaticus* dicitur. Degunt tales pulices gregatim invicem colludentes.

Sunt

Sunt & *aquaticæ araneæ variæ*, quas aliqui tipulas vocant: Sunt *locuſtæ aquaticæ*, incedentes etiã in rapidiſſimis aquis: *ſunt vermiculi & erucæ ſpeciem habẽtes* in puteis frigidis, ſunt grylli aquatici, ſunt *tineæ aquaticæ:* aliquando etiam bibentes fallunt, qui vermes medicamentis fruſtra tentari, potationibus verò ideò expelli poſſe putantur, quia ut aquatici potu promoventur, in ſicco moveri nequeunt. *Sunt pediculi marini*, qui cum pulicibus conſpirant ad infeſtandos piſces, & tenui cruſtâ integuntur ſeu tabellis loricantur. Sunt *œſtri marini*, ſicut enim œſtri terreſtres armenta exagitant: ita ab œſtris marinis licet parvis per dies caniculares vexantur Thynni & Xiphiæ & Delphini & alii piſces, ut ſæpè in naves exiliant, aut in littora; Adhærent enim ſub pinnis, & exugunt inſtar hirundinum. Sunt *vermes*, qui naſcuntur in tubulis vel ſiphunculis teſtaceis, rotundis, aſperis, candidis, leviſſimis, modò rectis, modò contortis & replicatis inter ſaxa marina & ſuper concharum vetuſtarum teſtas, & ſunt illi ſcolopendræ rubræ ſimiles. Sunt vermes, qui dicuntur *vituli aquatici*, quod à vitulis non ſine noxâ bibantur. Sunt *hirundines*, quas mi- 956
nores vix perceptibiles, adeò ut ſenſum viſus effugiant, ſæpè ſitibundi, non tantùm noctu cum aquis tunc inter tenebras afferri juſſis & guſtatis, ſed etiam interdiu (ut à brutis, ita & ab hominibus) imbibi conſtat, ſicut & in nares puerorum in aquis lavantium audivimus inſinuatas; unde Galenus monuit de hac re cogitandum eſſe illis, qui ſanguinem continuò evomunt, nec tamen habent dolorem capitis præſentem, vel præteritum, neque ictum ſuſtinuerunt. Hirundines ſeu ſanguiſugæ repræſentant caudam muris & deli-

Digitized by Google

delitеſcunt paſſim in aquis. Vetuſtas ipſis eſt uſa pro cucurbitulis. Et mirificam habent vim in extrahendo ſangvine, neque ceſſant niſi vel ſint plenæ, vel etiam ſale aſpergantur. Unde Horatius.
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo.

Teporem amant , unde per auctumnum rurſus conduntur, nec hyeme ullibi apparent. Sugendo trifidum vulnuſculum imprimunt, ita ut radii ab uno centro terni æquè diſtantes procedant. Moventur contractione & dilatatione ſicut vermes, eis inſidiantur cancri fluvialiles, *Prov.30,15. Avari comparantur ſanguiſugis* (quarum novem putant poſſe necare eqvum) & ſangviſuga dicitur habere duas filias, *Af-*
957 *fer, Affer.* Sed *ſicut* ſangviſuga venas cunctas exangues reddere moliens ſuſpenſa crepat & diſrumpitur: *ita* de malè quæſitis avarorum non gaudet tertius hæres.

Sed *lumbrici* marini, lumbricis inter hominum viſcera repertis ſimiles, magnitudine tamen & longitudine ſuperiores, aliqui tamen adeò tenues, licet longi, ut filamenta tantùm eſſe putentur. *Sunt vermes etiam in calidis aquis ita viventes*, ſicut piſces, alii in frigidis aquis, ita ut neutri extra ſedes iſtas degere queant, ut hoc comprobatur ab *Alberto M. de animal. 15.*

Sunt etiam *quæ uvarum & ſtellarum imagines repræſentant*, ita ut radios quædam habeant quinque, ſex, ſeptem, octo, plenæ infinitis proboſcidibus, in medio eſt ſitus oris cum aliquot dentibus; *ſummatim* os eſt quaſi centrum, & inde egrediuntur ſeu pedes ſeu manus quaſi caudæ quinque, ſex, ſeptem, duodecim. *Debemus inde divinam agnoſcere bonitatem,*

quod

quod cum aliis animalibus tàm varias formas tribuerit, tamen os homini ſublime dedit, procerumque & erectum corpus, cœlumque intueri juſſit. *De ſtellis marinis Plinius recenſet,* quòd tam igneum fervorem habeant, *ut omnia in mari contacta adurant, omnem cibum ſtatim peragant, quicquid ſumſerint, id licet illicò ab eis extrahatur, tamen diſcoctum appareat,* 958
quaſi duas coctiones jam modò ſuſtinuiſſet. Vagantur hæ ſtellæ in mari ut polypi, brachia deducendo, nunc antegradiendo, nunc in orbem convolvendo, & ſuctu acetabulorum, echini modo, lapidibus adhærent. Et harum multæ ab hominibus in eſu appetuntur, cætera cedunt piſcibus.

Eſt etiam in mari inſectum *quoddam ſimile erucæ,* unde appellatur *Eruca marina.* Eſt item aliud, quod appellatur *Hippocampus,* quia habet imaginem capitis equini, & eſt exiguum animalculum, quando captum eſt, necatur in roſaceo, & habet mirificam vim contra venenum leporis marini. Lepus enim marinus, ſicut Scolopendra, non parum habet veneni. Sed aquatica inſecta non ſunt tot, quot reperiuntur in reliquis elementis.

SCOLOPENDRA eſt *alia* marina, *alia* terreſtris, *utraq; refert vermem valdè longum & conſtantem multis pedibus,* unde etiam aliàs ſolet appellari Millepeda à multitudine pedum. *Marina* tamen paulò eſt major, quæ ſi devoravit hamum objectum à piſcatore, omnia inteſtina evomit, ut ita liberetur ab hamo. *Meritoque dicitur eſſe imago Chriſtianorum. qui ut liberentur ab inſidiis Diaboli,* voluptatibus mundi debent valedicere. Veſcuntur ſcolopendris marinis quaſi vermibus piſces.

CA-

CAPUT X.

959

CONCLUSIO.

ET hactenus tractata eſt hiſtoria plerorumque animalium tùm *perfectorum*, ut ſunt quadrupedia, volatilia, natantia & ſerpentia; tùm *imperfectiorum* quæ fuerunt inſecta. Quales verò ſinguli Natura, h. e. Deus indiderit proprietates, & quarum virtùtum veſtigia in ſingulis recondere voluerit, ſatis planum factum eſt. Non autem dubium eſſe poteſt, quin propter hominum utilitatem & in noſtram admonitionem hæc omnia fecerit Deus Omnipotens. Cumque his ipſis rebus commodiſſimè amplificari poſſint & exornari omnis generis orationes & ſcripta, idcircò libuit nobis illam hiſtoriam paulò plenius enarrare, & ubique adjicere uſum pertinentem ad ſuaves imagines, quarum voluptate tùm eruditi, tùm plebei capiuntur, quæque cumprimis ſimplicioribus doctrinas aliquas ſacras ita inculcare potuerunt, ut ad aſpectum quemvis animalium in animum ſibi revocare queant.

DEO GLORIA ET GRATIA.

Digitized by Google

INDEX

Obſervet B. L. numeros paginarum hîc non deſignare eos, qui fronti uniuscujusq; paginæ, ſed qui margini adſcripti ſunt, editionique priori in formâ, quam vocant, duodecimâ, Francofurti Anno 1671. impreſſæ reſpondent.

INDEX PRIMUS
Capitum,

PART. I.

CAP. I. De hujus Tractatus argumento, 1. dignitate, 2. & utilitatibus, 4.
CAP. II. De Definitione animalis irrationalis, 8.
CAP. III. De Diviſionibus animalium irrationalium . 29.
CAP. IV. De Elephanto 34.
CAP. V. De Camelo 53.
CAP. VI. De Leone 66.
CAP. VII. De Urſo 85.
CAP. VIII. De Pardo 94.
CAP. IX. De Tigride 106.
CAP. X. De Alce 111.
CAP. XI. De Monocerote & Rhinocerote 114.
CAP. XII. De Eqvo 124.

a CAP.

CAP. XIII. De Bobus 145.
CAP. XIV. De Aſino 154.
CAP. XV. De Cervo 165.
CAP. XVI. De Sue 178.
CAP. XVII. De Vulpe 191.
CAP. XIIX. De Fele 205.
CAP. XIX. De Lepore & Cuniculo 212.
CAP. XX. De Lupo 220.
CAP. XXI. De Canibus 236.
CAP. XXII. De Ovibus 249.
CAP. XXIII. De Caprâ & cognatis 266.
CAP. XXIV. De Simiâ 278.
CAP. XXV. De Gulone, 287. Sciuro, 289. & Muſtelis variis; 291. cognatisque quibusdam 298
CAP. XXVI. De Crocodilo, 307. Lacertâ, Salamandra, Stellione 312
CAP. XXVII. De Chamæleonte, 316. Ranâ, 321. Bufone, 326. Teſtudine, 329
CAP. XXVIII. De Mure 332. Glire 335. & Talpâ 337
CAP. XXIX. De mixtis animalibus quadrupedibus 338

PART. II.
DE AVIBUS.

CAP. I. De Aqvilâ 347
CAP. II. De Struthiocamelo 364
CAP. III. De Phœnice 372
CAP. IV. De *Pelecano* 379
CAP. V. De *Pavone* 384
CAP. VI. De Gruibus 392

CAP. VII. De Cygno 400
CAP. VIII. De Ciconia 408
CAP. IX. De Anſere vel Ganza 420
CAP. X. De Gallo & Gallinâ 433
CAP. XI. De Perdice 449
CAP. XII. De Accipitre 458
CAP. XIII De Vulture, ardeâ, & imprimis Onocrotalo 467
CAP. XIV. De Corvo 477. Cornice 486. Graculo 490. & Monedula 491
CAP. XV. De Columbis 496. Turture 503
CAP. XVI De Cuculo 508. Curruca 510
CAP. XVII. De Pſittaco 514. & *Porphyrione* 520
CAP. XVIII. De *Picâ* 525. & *PicoMartio* 528
CAP. XIX. De Coturnicibus 534
CAP. XX. De Upupâ 545. Mergo 548. & Merope 551
CAP. XXI. De Hirundine 555
CAP. XXII. De Turdô 570. Merulâ 572. Sturnô 573. Ficedulâ 575
CAP. XXIII. De Alauda 579. Fringilla 582. Carducli ibid. & Luteolâ 583
CAP. XXIV. De Caprimulgo 584. Regulo, 586. & Gavia 588
CAP. XXV. De *Paſſere* 589
CAP. XXVI. De Luſcinia 602
CAP. XXVII. de Halcedine, 614.
CAP. XXIIX. de Noctua 622. Veſpertilione 625 & Gryphibus 629

PART. III.

DE PISCIBUS.

CAP. I. De Piſcibus in genere 634

CAP. II. de Cetis in Genere 662
CAP. III. de ſex ſpeciebus Cetorum 675
CAP. IX. de reliquis piſcibus marinis ſeu pelageis non cetaceis 685
CAP. V. de Piſcibus fluviatilibus, & lacuſtribus atque Paluſtribus 718
CAP. VI. de mollibus aqvatilibus, 737
CAP. VII. de Cruſtatis 747
CAP. VIII. de Teſtaceis 754
CAP. IX. de illis, quæ apperlantur ζωόφυτα, quaſi dicas Plantanimalia 763

PART. IV.
DE SERPENTIBUS.

CAP. I. De Serpentibus in genere 767
CAP. II. de Aſpide 784
CAP. III. de Vipera 790
CAP. IV. de Ceraſte 796. Hæmorrhoo 797. Sepe 799. Dipſade 800. Natrice 801. Ampisbæna 802. Scytale 804
CAP. V. de Baſiliſco 805. & Dracone 808
CAP. VI. De Chelydrò & Cenchrene 816

PART. V.
DE INSECTIS.

CAP. I. De Inſectis in genere 81
CAP. II. de Apibus 83
CAP. III. de Veſpâ 850. Crabrone 852. Muſc 855. Ephemero 864. Culice 865. & Scar bæo 8
CAP. IV. de Locuſtâ 874. Cicadâ 885. & E câ 8

CAP. V. de Vermibus 901. Lumbricis 904. Curculionibus 909. Tineâ 911. Teredinibus 913 Scorpio 915. Limace & Millepedâ 917
CAP. VI de Pediculo 918. Pulice 925. & Cimice 931
CAP. VII. de Aranea 932
CAP. VIII. de Formicâ 943
CAP. IX. de Aquatilibus inſectis 954
CAP. X. Concluſio 959

INDEX II.

Dictorum Biblicorum, quæ in hôc libro allegantur & breviter explicantur.

GEn. I, 20. *p. 635*
II, 20. *3*
III, 15. *5.172.799*
VI, 20. 21. *3*
VII, 22. *647*
IX, 2. *7*
4. 5. *16.17*
XIII, 5. *3*
7. *ibid.*
XXX, 37. *3. 265*
XXXII, 25. *265*
XXXVI, 24. *3*
XXXVII, 2. *ibid.*
XLIX, 9. *5.67.77.78*
10. *5*
14. ſeq. *158*
17. *797*
27 *232*
Exod. VI, 1. *p. 536*
X, 9. *3*
12. *877*
XIII, 13. *159*
XVI, 8. 9. *535*
XIX, 4. *353*
11. *256*
XXI, 28. *18*
XXIII, 28. *853*
XXV, 3. *269*
XXVI, 14. *ibid.*
XXIX, 15. *259*
Levit. XI, 4. *58.61*
6. *219*
8. *183*
16. *365.366*
18. *379.402*
29. *294*

Lev. XIV. 4. 910
6. 49. 602
XVI, 10. 15. 274
XVII, 11. 14. 15
XIX, 19. 345
20. ibid.
XX, 15. 16. 18.
Num. XXII, 32. 542
XXIII, 22. 121
XXIV, 8. ibid.
9. 67
Deut. I, 44. 844
VII, 20. 853
VIII, 15. 800. 801
X, 23. 15. 16.
XI, 19. 849
XIV, 7. 219
8. 183
15. 366
17. 379. 402
XVII, 16. 126
XXII. 6. 7. 542. 694
10. 154.
11. 65
XXIII, 18. 241
XXV, 3. 925
4. 151.
XXVIII, 647
XXXII, 11. 353
15. 153
XXXIII, 17. 121
Joſ. II, 18. 910
Joſ. XI, 9. 159
Jud. VII, 5. 242
XIV, 8. 22
18. 66
XV, 4. 198
15. 159
1. Sam. XVI, 11. 3
XVII, 34. ibid.
XXI, 13. 863
XXVI, 12. 863
2. Sam. I, 26. 619
XVI, 8. 87
1. Reg. IV, 26. 125
32. 3
X, 26. 125
29. 121
XVII, 6. 8. 48
2. Reg. I, 8. 6
II, 24.
VI, 25. 16
Jobi VIII, 14. 93
XX, 16. 71
XXX, 29. 368. 371. 8
XXXIX. XL. XLI.
XXXIX, 1.
3. 4
8. ſeqq.
12.
16. ſeqq. 3
23. ſeq.
29. 4
30. 353.

Jobi XXXIX, 33.	358	69.	121
XL, 13.	36. 663	XXC, 14.	189
14.	34	XXCIV, 4.	6.596
16.	36	XC, 9.	939
19.	37	XCI, 13.	808
20.	663	XCII, 11.	121
Pſal. I, 1	346	CI, 7.	77
VIII, 9.	937	CII, 7.	379.380
X, 8. ſeq.	72. 73		474. 622
XVII, 13.	73	8.	594
XVIII, 34.	165.166	CIII, 5.	6.355
XXII, 2.	171	CIV, 17.	474
7.	894	18.	217
13.	153	20.	86
14.	82	25.	685
22.	120	26.	663. 679
XXIII, 1.	252	CV, 31.	860
XXIX, 9.	177	34.	877
XXXII, 8.	140	CXVIII, 12.	844
XXXIV, 11.	75	CXIX, 103.	848
XLII, 2.	170. 175	CXL, 4.	784.788
XLIV, 23.	263	CXLVI, 9.	481
LV, 7.	6. 496.500	CXLVIII, 7.	663
LVIII, 5.	787	Prov. VI, 6.	443
LXIII, 11.	196	X, 7.	446
LXV, 1,	644	XVII, 12.	87
LXVIII, 14.	501	XIX, 12.	78
31.	152	XX, 2.	ibid.
LXXIV, 13,	663.694	XXIII, 5.	354
19.	496	XXV, 27.	849
LXXVIII, 26. 27.	541	XXVIII, 1.	80
45.	860	15.	82
46.	877		

Prov. XXX, *15.*	956	*Jer.* VIII, *7.*	556.651
17.	479	*17.*	788
25. 26.	218.943	XII, *3.*	186
30.	66	XIII, *23.*	96
Eccl. X, *11.*	788	XVII, *11.*	451. 457
XII, *12.*	146	XLIX, *16.*	351
Cantic. I, *15.*	490	*Thren.* IV, *3.*	369.815
II, *9.*	174. 544	*19.*	354
13.	504	V, 18.	197
15.	199.201	*Baruch.* III, *17.*	542
IV, *1.*	504	VI, *2.*	210. 495
V, *2.*	171	*Ezech.* XIII, *4.*	201
11.	477	XVI, *26.*	157
12.	504	XVII, *3. ſeqq.*	361
Nehem. 4, *3.*	200	XXII, *27.*	234
Eſa. I, *3.*	147	*29.*	236
18.	910	XXIII, *20.*	157. 235
23.	235	XXIX, *3.*	664
III, *14.*	*ibid.*	*Dan.* II, *23. 39.*	102
X, *2.*	*ibid.*	IV, *30.*	235
XI, *6.*	*ibid.*	VII, *4.*	81
8.	807	*6.*	100. 101
XIII, *21.*	303	VIII, *3.*	5. 255. / 275
XIV, *11.*	903		
XXVII, *1.*	614	*5.*	5
XXX, *6.*	53	IX, *11.*	72
XXXIV, *11.*	481	*Hoſeæ* XIII, *7.*	95
XL, *31.*	357	*8.*	87
LIX, *5. 6.*	789. 939	*Joël.* I, *4.*	533.
LXV, *25.*	235	II, *10.*	78
LXVI, *3.*	183	*Amos.* III, *4.*	73
Jer. IV, *13.*	354	VII, *1.*	877.880
V, *6.*	96	*Abdiæ v. 4.*	353

Mich.

Mich. I, *3.* 372
15. 357
V, *8.* 79
Nahum. II, *11.* 260
III, *15.* 877
Habac. I, *8.* 95. 96
III, 8. 137
Zeph. III, *3.* 235. 236
Zachar. I, *8. ſeq.* 137. 139
Tob. II, *10.* 5
XI, *13. 14.* *ibid.*
Sirach. IV, *35.* 83
XVIII, *19.* 291
XXXIII, *25.* 155
1. Macc. VI, *34.* 46
37. 36
2. Macc. IX, 9. 903
Matth. III, *4.* 64. 750
16. 6
VII, *6.* 185
15. 6. 231
VIII, *20.* 195
28. 191
X, *16.* 6. 496. 768. 782
XIII, *45.* 759
XV, *26.* 245
XVII, *27.* 637. 640
XIX, *24.* 53
XXIII, *24.* *ib.* 866
37. 6. 442
Matth. XXIV, *14.* 638
28. 6. 358
XXV, *32.* 256
Luc. V, *6. ſeq.* 637
IX, 58. 192. 195
X, 3. 235
XIII, 32. 192
Joh. I, 29. 5
X, 12. 228
XXI, 6. 637. 641
Act. XXV, 24. 375
XXVIII, 5. 781
1. Cor. IX, 10. 151
2. Cor. III, 9. 4[illegible]8
XII, 9. 8[illegible]1
Eph. VI, 14. ſq. 262
Coloſſ. I, 25. 638
2. Tim. II, 4. 532
Hebr. V, 7. 173. 405
VIII, 5. 250
XI, 37. 65. 269
XIII, 3. 9[illegible]5
1. Petr. V, 8. 83
2. Petr. II, 22. 185
Apocal. I, 8. 256
III, 15. 346
V, 5. 78
XVI, 13. 325

IN-

INDEX III.
Rerum Memorabilium.

A.

Accipitris deſcriptio 458. variæ ſpecies 459. earum pretium ibid. viſus acutus 460. celeritas ib. fortitudo & calliditas 461. temperantia 462. eſca ib. 463. miſericordia erga homines 463. imago ib. libido 464. morbus ib. medela ib.
Acetum, veneno aſpidis reſiſtit 786.
Acipenſer piſcis 720.
Acredula deſcriptio 578. imago 579.
Ætites, gemma in aquilæ nido 358.
Agnus ſtatim à partu matrem agnoſcit 253.
Alauda deſcriptio 579. nomen unde ib. imago ibid. proprietates ib. ſeq. duplex-genus 582.
Alburnus piſcis 733.
Alcis deſcriptio 111. nomen 112. germanicum 113. externa figura ib. Ungulæ ib. Agyrtarum fraus in his vendendis 112. 113. vox miſerabilis 113. celeritas ib. proprietates ibid. imago 114.
Aloſa, vel *clupea* aut *triſſa*, piſcis 689. morſu necat attilum ingentem piſcem 730.
Amia (ein Welß) piſcis marinus 719.
Amphisbæna (ſerpentis vulgò bicipitis) deſcriptio 802 nomen apud Græcos 803. pellis denſa & dura ibid. imago ibid.
Anatum deſcriptio 429. nomen unde ib. imago 430. 431.
Anguillarum marinarum deſcriptio 713.
Animalis irrationalis definitio 8. diviſio varia 29. ſqq. corpus 8. anima 15. ſeq. contemplatio quinque complecti-

plectitur 7. 8. Hiſtoria 1. pars Phyſicæ, quæ de brutis agit ib. 2. univerſis literatis conducit ib. ejus dignitas ib. inventor 3. excultores ib. utilitas 3. 4. uſus 34.

Animalia bruta quomodo laudes Domino decantent 6. 7. non virtutes ſed earundem ſimulacra habent 26. 27. multa carent ſanguine 9. quæ plus & minus fellis habeant 10. 11. quædam nullos habent dentes 12. minora magnis ſapientiora ibid. 218. 219. diſtinctas habent voces 13. vivipara, oſſa habent firmiora quam ovipara 14. Carnivora 19. mixta quadrupeda 338. ſeqq. cur veteres illa ad commiſtionem coegerint 343. cujus ſint imagines 345. cur alternatim ſtimulentur venere, mares hyeme fœminæ æſtate 24.

Antipathia inter Elephantem & Draconem 47. Camelum & Eqvum 57. Leonem & gallum, ſimiam, 74. Urſum & Eqvum 90. Rhinocerotem & Elephantem 116. 117. Eqvum, Urſum, Camelum, Elephantem & ſantaractam 136. cervum & ſerpentem 169. 170. 176. lupos & homines 222. lupos & oves 224. ſangvinem hircinum & adamantem 268. ſimiam & leonem 74. 282. muſtelam & ſerpentem 292. viverram & cuniculum 296. melem & vulpem 297. Ichneumonem & Crocodilum 306. chamæleontem & corvum 319. pennas aquilinas & aliarum avium 359. aquilam & Draconem 360. Pelecanum & ſerpentem 382. Ciconias & veſpertiliones 413. Ciconias & ſerpentes 414. platanum & veſpertiliones ib. anſeris & lauri 426. anſeris & lunariæ herbæ ib. inter leonem, Baſiliſcum & gallum 439. ardeas, aquilam, vulpem, alaudam & picum martium 476.

noctuas

noctuas & cornices 489. monedulas & locuſtas 492. carduelem & parum 578. carduelem & aſinum 582. 583. paſſerem & hirundinem 595. Balænam & Orcam Cetos 676. delphinum & murenam 678.

Anſeris deſcriptio 421. diviſio ib. proprietates 422. caliditas ibid. ſtrepitus 423. an aliud ſignificet ib. 424. vigilantia 424. fidelitas ib. verecundia 425. ſtoliditas 425. caro durior 427. Ova ib. genus, quod vulpanſer appellatur 423.

Anthias; piſcis martinus, cur ſacer dictus 722.

Apua piſcis (Stinß) 650. 725.

Apum deſcriptio & proprietates 835. Reſpublica 836. Reges 837. obedientia erga regem 838. operatio 839. ſeq. mundities & puritas 842. fortitudo 843. muſica 845. alveoli 848.

Aquila deſcriptio 348. multæ ſpecies ibid. imago inſignia Romanorum Imperatorum 349. qualitates 349. ſeqq. rapacitas ib. fortitudo 350. calliditas ib. volatus altus 351. nidus 351. vita ſolitaria ib. viſus acutus ib. cujus rei ſit imago 352. ſeqq. celeritas 354. ſenectus 355. ſeq. aſtutia 357. antipathia 359. 360. pennæ an alias avium pennas abſumant 360. Jovis armiger à Poetis dicitur 363.

Aranea deſcriptio 932. varietas ib. operationes mirabiles ibid. 933. morſus noxius 934. ars naſcitur non diſcitur 936. ſtructura 937. marinæ 738.

Ardea deſcriptio 473. imago 474. ſeq. antipathia 476 eſus prohibitus ibid.

Aries piſcis 712.

Aſelli deſcriptio 691. nomen unde ib. 692. jocus de hoc piſce 692.

Aſini proprietates 155. timiditas ibid. cibus ac potus ibid. 156. 157. debilitas ac morbus 156. 157. amor erga fœtum ſuum ibid. fœcunditas 157. coitus ib. ſylveſtres 158. imagines variæ 158. ſeq. caput in caro pretio 160. oſſa 163. im̄unitas à pedicùlis 922.

Aſionis, avis lucifugæ, deſcriptio 622. 623.

Aſpidis deſcriptio 784. tria genera ib. morſus pernitioſiſſimus 785. 786. cicuratio apud Ægyptios 786. aſtutia 78 . amor mutuus ibid. imagines 788. ſeq.

Aſtaci, marini piſcis, deſcriptio 749.

Aſtrologorum ſuperſtitio inthemate genitali inſpiciendo 144.

Attaginis deſcriptio 457.

Attilus piſcis ingens 730.

Aves non habent aures 9. nec dentes ibid. nec naſum ibid. geminum ventriculum 12. carnivoræ habent aduncum roſtrum 14. in Scotia ex arboribus provenientes 549. 550.

Aurata deſcriptio 686.

B.

Balæna deſcriptio 675. quantitas 645. proprietates 675. 676. antipathia 676.

Baſiliſci deſcriptio 804. 805. nomen ib. natura 806. anthipathia ib. imago 807.

Belone piſcis 717.

Bombycis deſcriptio 897. diligentia ibid.

Bovis deſcriptio & ſignificatio Græco-latina 145. utilitas 146. animoſitas ibid. Robur ibid. craſſior ſanguis ibid. libido 147. amor ſocietatis ib. muſicæ ib. laborioſitas 148. imagines variæ 149. ſeqq.

Bubonis deſcriptio 623. imago ibid. 624. rapacitas ibid.

Bucephalus Alexandri M. eqvus 127.
Bufonis deſcriptio & proprietates 326. habitaculum ib. 327. imago 327. venenum & iracundia ib.
Bupreſtis animalculum bobus infeſtum 148.

C.

Callionymus piſcis, quem Tobias junior exenteravit 701.
Cameli deſcriptio 53. caſtratio 54. velocitas ib. multiplex ventriculus 55. coitus ibid. 56. morbus 56. φιλοστοργία mutua 57. antipathia 75. eſus prohibitus 61. longævitas 25.
Cancri deſcriptio 749. libido & Zelotypia 753. caro concoctu difficilis, bene nutrit 754.
Canis deſcriptio 236. natura & proprietates ib. ſeqq. odium erga mendicos 237. fidelitas 236. amor erga dominum ib. & catulos 239. conſtantia 237. vigilantia ibid. prudentia ac ſagacitas ib. obedientia 238. memoria valdè vegeta 239. ſtudium honoris & gloriæ 240. pigritia in ſenectute ib. obſcœnitas 241. immoderatus appetitus ib. libido ib. iracundia ib. invidia 244. morbus ibid. imagines 244. ſeqq.
Canis, piſcis, 717.
Capræ deſcriptio 266. varia nomina ib. 272. morſus arboribus nocivus 266. periculum ex eſu mellis 267. morbus ib. libido ib. antipathia 268. 269. utilitas ib. pellis ib. ferocia 270. ſympathia ib. auditus acutiſſimus ib. fœcunditas ib. 271. ſolertia 271. patientia ib. ſuperbia 272. viſus acutus ib. vox debilis ſed ſonora 273.
Capricornus vide ibex.
Capriſcus, piſcis 696.

Caprimulgi nomen unde 584. imago 585. 586.
Caduelis deſcriptio 582. nomen unde ib. alia nomina ib. antipathia ib. 583. induſtria 583.
Carpionis deſcriptio 733. fœcunditas 734. imago ib.
Caſtor vid. Fiber.
Cenchris accipitris genus valdè libidinoſum 464.
Cenchrenc vel Cenchris ſerpens 817. cur dicatur leo ib. jaculum 818. ejus morſus ib. imago ibid.
Ceraſtis nomen 796. differentia à videra ib. calliditas ib. 797.
Cervi deſcriptio 165. natura ib. ſalacitas ib. ſigna prudentiæ 166. medicamen 169. antipathia ib. variæ imagines 171. ſeq.
Cetorum deſcriptio 662. 665. ſubſtantia carnea ibid. duo nomina apud Hebræos 663. natura 665. quantitas miranda 668. 669. oſſa 671. cauda ib. lingva in delitiis ibid. pingvedo 673. captura ibid. ſeq. ſex ſpecies 675.
Chelydri ſerpentis deſcriptio 816. teter odor ib. 817. veneni malignitas ib.
Chamaleontis deſcriptio 316. multiplex color 317. imago varia ib. ſeq. antipathia 319. cibus poſt victoriam ib.
Cicadæ deſcriptio 885. cantus ib.
Ciconiæ deſcriptio 408. nomen apud Græcos 409. 416. proprietates 409. ſeq. ϛοϱγὴ ib. contrarium de Ciconiis Ilfeldenſibus 410. Caſtitas 411. earum congregatio & avolatus 412. 413. antipathia 413. gratitudo 414. pietas 416. imago ibid.
Cimicis deſcriptio 931.
Clades in Ægypto 7000. Romanorum propter interfectum felem 205.

Clupea

Clupea vid. *Aloſa.*

Columbarum deſcriptio & proprietates 497. comparatio cum ove ib. cibus 498. ſimplicitas 499. amor mutuus & caſtitas 502. habitatio 504. vita 25.

Commiſtio animalium 342.

Concha margaritifera 757. ubi degat ib. quomodo concipiat 758 & elaboret uniones ibid. horum præſtantia unde æſtimetur 759.

Conger vide *Grillus.*

Coracini deſcriptio 688. imago ib. proprietates ib.

Cornicis deſcriptio & proprietates 486. ſeq. concordia ib mutuus amor ib. clementia erga parentes 487. pugna cum aquila 488. audacia & clamoſitas ib. aſtutia ib. Cicuratio ibid. 489. antipathia 489.

Corvi deſcriptio 477 imago ib. proprietates ib. ſeq. clamoſitas 478. immundities ib. furacitas 479. aſtutia ib. ſitis 481. ἀςοργία ib. nimia crocitatio pluviæ præſagium 484 exequiæ 485. corvorum quædam ſpecies 486.

Coturnicis deſcriptio 534. cura erga pullos 536. gravis volatus 537. migratio ib. quatuor duces in diſceſſu 538. ſeq. immunitas à veneno 539. ſalacitas & libido 541. imago 542.

Crabronum deſcriptio 852. nidificatio ibid. generatio 22.

Crocodili deſcriptio 307. imago ib. 308. 57. magnitudo 308. vita longæva ib. voracitas 309. ἀντιπάθεια ibid.

Cuculi deſcriptio 508. imogo ib. ſtultitia ib. ingenium trepidum ib. in excludendis ſuis pullis prava calliditas ibid. 509. fœditas 512.

Cuculus

Cuculus piſcis 699. unde ſic dictus ib.
Culicis de ſcriptio 865. imagines 866. ſeq.
Cuniculorum deſcriptio 217. magna copia ubi ibid.
Cupreſſus vermiculationis expers 912.
Curculionis deſcriptio 909.
Curruca deſcriptio 510. cura in excludendis cuculi ſuppoſitis ovis & educatione pullorum ib. ſeq.
Cygnus vide *Olor*.

D.

Dama quid à rupicapris differat 273
Delphini deſcriptio 677 proprietates 678 antipathia ib. amor 679. 681. imago ibid. manſuetudo 680 motus perpetuus 683. pietas in mortuo 682.
Dipſadis, ſerpentis, deſcriptio 800. nomen unde 801 imago ib.
Draconis deſcriptio 808 magnitudo ib. 809. *Epidaurii* deſcriptio 810. 811. venenum non ita acre 812 cultus apud Ethnicos 813. amor erga puellam ibid. puerum ib. habitatio 814. triplex ordo dentium ib. duæ ſpecies ib. 815. imago ibid.
Draco, piſcis marinus 700. cur ſic dictus 701.

E.

Echeneis piſcis vid. *Remora*.
Echini ſeu *Erinacei* deſcriptio 298 nidificatio ib. cibus 299 partus durior 300 ſpinæ ibid. *marini*, vulgo Seeapffel/ deſcriptio 762.
Elephantis deſcriptio 34. nomen ibid. magnitudo 34. 35. dentes ſunt ebur ib. 42. proceritas 36. robur ib. 37. manſvetudo 37. 39. captura ib. 38. 39. 52. pabulum 40. metus ib. docilitas 40. 42. 47. aſtutia in prodendo ſervi furto 41. amor erga fœminam ibid. puerum ib. 42. clementia ibid. frugalitas 43.

 caſtitas

Digitized by Google

caſtitas ib. partus 25. 43 charitas 43. 44. pietas in ſepeliendis mortuis 44 & adultorum ſive deſeſſorum cura ib. æmulatio quædam religionis 45 & reverentia erga lunam novam ib. cupiditas gloriæ ib. victi pudor ib. fel exiguum 46 longævitas 25. 47 morbus 47 antipathia 47 ſeqq.

Elephantus, piſcis 724.

Ephemerus animal muſcæ ſimile 864

Equi deſcriptio 125 animoſitas ib. & generoſa fortitudo 129. ſepultura olim apud Perſas 126 docilitas cultus ſumtuoſus 126. 127. 128. ſuperbia 130 amor erga muſicam 131 libido ib. 132 conceptus ex vento fabuloſus ib. partus 133 nobilitas ib. potus 133. 134 cibus 134 morbus ib. abortus ib. ſenectus 135. 143 laborioſitas ib. cauda cur præcidatur ib. antipathia 136 fidelitas ib. imago varia ib. ſeq. *generoſi* qualitates 144. 145.

Eremitarum ſuperſtitio in necandis pediculis 923.

Erinaceus vide *Echinus*.

Eruca deſcriptio 894. genera 895 generatio ib. imago 896.

F.

Fabri, piſcis, deſcriptio 695 figmentum ib.

Felis deſcriptio 205 cultus apud Ægyptios ibid. natura & proprietates ibid. ſeqq. antipathia 210 imago ibid. ſeq.

Fibri ſeu *Caſtoris* deſcriptio 301. natura ib. teſticuli remedium contra morbos matricis ib. aſtutia 302

Ficedulæ deſcriptio 575 nomen unde ibid. imago ibid. avas quædam huic ſimiles 576

Fœmina omnis imbecillior in ſuo genere 13.

Formica deſcriptio 943 diverticula 945 prudentia ib. ſeduli-

ſedulitas 946 amor mutuus 949 reverentia erga mortuos 950 conſumunt rubetam 19.
Fringilla deſcriptio 582 nomen unde ib.

G.

Galli deſcriptio 433 ſuperbia ib. natura calidiſſima 434 amor erga ſuos pullos ib. vigilantia 435 nomen apud Græcos 437 cantus 438 ἀνλιπάθεια 439 induſtria 441 cur non fuerit in ſacrificiis 449 adhibiti olim ſunt ad ſupplicia parricidarum 440
Gallinæ pietas 442 imago ib. ſeq.
Gaviæ deſcriptio 588
Gladius piſcis 719
Glaucus piſcis à colore ita dictus 696 immodicè amat fœtum ſuum ib.
Gobio piſcis 724
Graculi nomen 490 nimius amor ib. lingva ad diſcendum ſermonem idonea 491
Grillus ſeu *Conger* piſcis 715
Gruum deſcriptio 392 proprietates ib. 393 ordo inter volandum 393. 398 vigilantia 394 pietas 397 odium ib. pugna cum pygmæis 398
Grus, piſcis marinus 719
Grylli deſcriptio 890 nomen apud Græcos nullum 891 uſus in medicina ib.
Gryphis deſcriptio 629 fabula 630 imago 633
Gulonis deſcriptio 287 crudelitas ib. voracitas ib.

H.

Hæmorrhous ſerpens ex genere viperarum 797 nomen unde ib. imago ib. ſeq.
Halecis fœcunditas 726 antipathia 727
Halcedinis deſcriptio 614 nomen ibid. hiſtoria 615

imago ib. proprietates ib. ſeq. nidificatio 616 ardor mutuus 618
Hippurus piſcis 701 nomen unde ib.
Hircus vide *Capra.*
Hirudinis deſcriptio 955
Hirundinis deſcriptio 555 diſceſſus ib. ſolertia in ſtruendis nidis 557 bellum cum paſſeribus 558 cura in excludendo & fovendo pullo 559 morbus 560 indocilitas ibid. utilitas 563 antipathia 564 ſtercus nocet oculis 565 imagines 568
Hirundo piſcis 700
Hyæna deſcriptio 226 imago ib. ſeq.
Hyſtricis deſcriptio 300

I.

Ibicis ſeu *Capricorni* deſcriptio 273 celeritas 274
Ibidis, avis Ægyptiæ, deſcriptio 418 419 pennæ 419 nidificatio ib. Ægyptios hæc avis uſum clyſteris docuiſſe dicitur 419
Ichneumon, unde ſic dictus 309 lutræ ſpecies 306 ejus antipathia ib. imago Chriſti mortem vincentis 309 Crocodilum enecat 306. 309 ejusque ova inveſtigat 309
Iltiſſus ſpecies muſtelæ 293
Inſectorum deſcriptio 819. corpora ib. ſeq. animæ 824 diviſiones ib. 825. 834 generatio & propagatio 828 ſeq. habitacula 830 *aquatilium* deſcriptio 954 ſpecies ib. 955
Julides ſeu *Junckeri* piſciculi 723 imago ib.

K.

Κακόζηλοι, quibus ſimiles 283
Κυνομυία, Hundsmück 860.

L.

Lacertæ deſcriptio 312 genus in Ægypto nomine ſciuncus vel ſcineus ad excitandam Venerem 312
Lampreta piſcis nobiliſſimus 706 nomen unde ib.
Latax, quale animal 303
Leænæ libido 74. 339. nomina quatuor in S. Scriptura 75. ſeq. ſenectus 75. 76
Leonis deſcriptio 66. proprietates duplices ibid. ſeq. fortitudo ib. 67. caliditas ib. abſtinentia ib. palpebræ breviſſimæ 68. ſomnus ib. jubæ ib. Generoſitas ib. amor in catulos 70 manſuefactio 71. 72. adeps medela contra omnium animalium morſus 73 antipathia multiplex 74 ſeq. partus 25
Leporis deſcriptio 212 natura ac proprietates ib. ſeq. aures cur ſint longæ 213 metus ib. fœcunditas 215 eſus an pulchros faciat ib. cur à Deo prohibitus 217. 219 libido 215. 216 ſexus an transmutetur ib. 217 imago 217 ſeq. dominium in leones 218 talus der Haſenſprung ib.
Leporis marini deſcriptio 738. 746
Limacis deſcriptio 917 imago ib.
Lingua nulla naturalis ſed omnes diſcuntur 278
Locuſtæ deſcriptio 873 ova 874 inſatiabilis devorandi natura 874 ſeq. fictor hujus & cæterorum inſectorum Deus 880 imago 882 eſus Judæis conceſſus 883
Locuſta marina 748 cum Luna creſcit & decreſcit ib.
Loliginis deſcriptio 738
Lumbricorum deſcriptio 903 varietas 904 ſeq.
Lupi deſcriptio 220 natura 226 ſeq. proprietates ibid. robur 220 ferocia 221 fraudulentia ib. ſeq. antipathia 222 imago 223 ſeq.

Lupus, marinus piſcis,702 proprietates habet communes lupo terreſtri ib. ſeq.
Luſciniæ deſcriptio 602 ſomnus 603 cantus ibid. voluptas ex modulatione 604 nomen apud Græcos 605 captura 606 curioſitas ib. caritas apud Romanos ibid. occultatio 606. 607 imago 607. 613. 614.
Luteola deſcriptio 583 nomen ib. ſympathia 584
Lutra deſcriptio 302 ſimilitudo & differentia cum fibro ibid. morſus acerrimus 303 pelles ibid.
Λυκάνθρωποι ſeu homines in lupos transmutati an dentur 235. 834.
Lyncis deſcriptio 226
Lyra piſcis marinus Seehahn 700 imago ibid.

M.

Margarita ſeu Unio vid. Concha margaritifera.
Martes ſeu *Marti* ſpecies Muſtelæ 293 ejus animalculi magnitudo ibid. Proprietates 294
Melanuri piſcis deſcriptio 692 calliditas 693. imago ib. caro durior 694
Melis deſcriptio 296 natura 297 antipathia ib.
Mergi deſcriptio 548 nomen apud Græcos 549 imago ib.
Meropis deſcriptio 551. imago 554 nomina ibid.
Merulæ deſcriptio 572 triplex genus ibid. imago 573.
Millepedæ deſcriptio 917
Milvi deſcriptio 465 morbus 466 eſus prohibitus ib.
Monarchiæ quatuor comparatæ beſtiis Daniel. cap. 7. pag. 5. *Chaldaica* Leoni & Aquilæ ib. *Perſica* Urſo ibid. & Dan. cap. 8. v. 3. Arieti ib. 255. 275 *Græca* Pardo 599 *Romana* beſtiæ multiplici ibid. & capræ ib.

Mone-

Monedulæ deſcriptio 491 proprietates ib. antipathia 492

Monoceros utrum detur 114. 115 num cum Rhinocerote idem ſit ibid. ejusdem deſcriptio 116. 118 amor erga ſexum fœmineum ib. magnitudo 119 cornu ib. quid ſignificet in ſenſu allegorico 121 præſtantiſſimum contra omne venenum remedium 123

Mugilis piſcis deſcriptio 690 nomen ib. imago ib.

Muli generatio 342 aſtutia 344 imago varia 346 ſqq.

Mulli ſeu *barbi* piſcis deſcriptio 697 captura ibid.

Mulier cubans cum crocodilo 340

Murænæ piſcis deſcriptio 715 libido & coitus cum vipera 716 antipathia 746

Muris deſcriptio & proprietates 332 laſcivientis urina contagioſa 333. pretium earum tempore obſeſſionis Caſilini 334 generatio 22. 23

Muſcarum deſcriptio 855 mores 856 indocilitas 858 impudentia 859 immundities ibid. imago 861

Muſtelæ deſcriptio 291 timiditas ibid. antipathia 292 ira ibid. fœtor ibid. velocitas & morſus noxius 293 cicuratio 298

Muſtela piſcis 705 imago calumniatorum 706 lævis ibid.

Mygale ſpecies muſtelæ nobis non bene cognita 294 ejus proprietates aliquot ibid. 295.

N.

Natricis deſcriptio 801 nomen ib. 802 color ib. vis & venenum ib.

Nautilus & *Pompilus* Polypi genus 746

Noctua deſcriptio 622 imago & qualitates 621 ſeqq. Cognatæ aves 622

Nycticoracum deſcriptio 623. imago ib.

O.

Oeſalo vulpis inimicus 195. 196.

Oeſtrus muſcarum genus 860. alio nomine aſylus & tabanus dicitur ibid.

Oloris deſcriptio 400. proprietates ib. ſeq. probita 401. robur in alis ib. eſus cur Judæis prohibitis 402 403. cantus 403 490. imago 405 ſeq.

Onocratuli deſcriptio 473. imago 474 ſeq. eſus prohibitus 476

Orca ſeu Priſtis deſcriptio 676 antipathia ibid.

Oryges qvale animal 273. cujus ſit imago ib.

Otis vid. *Tarda.*

Ovis deſcriptio 249 nomen ibid. de errante verſiculus pulcher 250 item de ſcabioſa 251 ſimplicitas 251 patientia ibid. imbecillitas ibid. morbus ibid. amor erga paſtorem ſuum 252. munditiès 254 utilitas ibid. varia imago 255 ſeq. fides ovinæ & tympana 264.

P.

Pannus ex pilis Aſinorum 269.

Papilionum deſcriptio 893 varia genera 892

Pardi nomen 94 proprietates ibid. ſeq. velocitas 95 varietas in pelle 96 aſtutia ibid. 98 fragrantia & gratus odor ibid. 97 ſomnolentia ibid. gratitudo ibid. antipathia 98. libido ibid. captura 99. imago Alexandri M. 99. ſeqq.

Parricidarum ſupplicium apud Romanos 440 796

Paſſeris deſcriptio 589 nomen ibid. proprietates ibid. ſeq. *Solitarii* in tecto (Pſalm. 102. 8.) deſcripto

594

594 antipathia 595. ſalacitas ibid. Sacrificium in V. Teſtamento pro leproſis 602 quinam fuerint prohibiti 736.

Paſſeres, Plateiſen/ piſces 706.

Paſtinacæ piſcis deſcriptio 708 natura venenata ib. 709

Paſtoris officia erga oves 252

Patrisfamilias imperium in domeſticos 83

Pavonis deſcriptio 384 calliditas ibid. ambitio ibid. 385 libido ibid. 387 invidia ibid malevolentia 386 tria propria 387 caro concoctionis difficillimæ 388 & columbarum mutuus amor ib. imagines variæ 389 ſeq.

Pediculorum generatio 918 uſus 919 alimentum 920 921 pedicularis morbus Φθειρίασις 923. 924.

Pelecani deſcriptio & nomen 379 duo genera 380 comparatio 381 ſeq. antipathia 382.

Percæ nomen 692. 693 amicitia cum lucio 694 caro durior ib.

Perdicis deſcriptio 450 cognatio cum Gallina ibid. immundities ibid. Calliditas 451 contra venatorem 453 manſuefactæ ad feras perdices capiendas 454 malitia 455 captura 456 ſagacitas ib.

Perſecutiones Chriſtianorum 50

Perſecutorum pœna ib.

Phaſiani deſcriptio 458 ſtoliditas ib.

Phocæ. ſpecies cetorum 683 nomen unde 684 immunis dicitur à fulmine 685

Phocena ſpecies cetorum 683

Phœnicis generatio 372 ſingularitas ibid. typus 375 ſeq. exiſtentia diſputatur 377 ſeq.

Phycis piſciculus ſolus ſibi nidum parat 724

Phyſeter ſpecies cetorum 676 nomen unde 677.
Phyſica definitio 1. diviſo 2. complectitur rerum naturas ib
Picæ deſcriptio 525 docilitas ib. reliquæ proprietates ib. ſeq.
Pici martii deſcriptio 528 præcipua proprietas ib. imago 530 ſeq. aſſuefactio 533
Pictor quomodo Germanum depinxerit 284
Pinna marina 762 aſſociat ſe ſquillæ 751. 762 imago ſocietatis mutuæ 762
Piſcium cognatio cum avibus 635 vermibus ibid. 636. varietas 637. 642 fœcunditas 645 eſus homini non tam conducit quam avium 646 quorundam ſpinæ venenoſæ ibid. ſtupiditas 648. 651 victus 649 propagatio 651 ſeq. & conſervatio 653 ſeq. reſpiratio & ſomnus 655 ſeq. auditus, olfactus & guſtus 656 ſeq. morbus 657 aliquorum volatus 658 diviſio 659 ſeq. 686. 729 nonnulli vermiculos multos in ventriculo habent 906
Poetarum fabula de Jovis uxore 523
Polypus 738 quid differat à loligine & ſepia 640 ejus antipathia 743. 746. libido & voracitas ib. caput cujus ſit imago 745.
Porphyrionis deſcriptio 520 proprietates ib ſeq. imago 521
Poſtilla unde nomen . 518
Pſittaci deſcriptio 514 docilitas ib. 525. 526 imago 14 proprietates ib. ſeq.
Puella ex aſina nata 340
Purpura, Conchæ deſcriptio 756 lingua 757

Qua-

Q.

Quadrupeda ruminantia qvadruplicem habent ventriculum 12.

R.

Rajæ deſcriptio 707 imago ib.

Ranarum deſcriptio 321 diviſio ib. ſonus ib. epitheta ibid. generatio 322 copia infeliciorum annoruu præſagium ib. captura 323. utilitas ib. imago 324.

Ranæ rubetæ vide *Bufo.*

Ranæpiſcatricis deſcriptio 712 imago ibid.

Reges Galliæ an ſuo contactu certos morbos posſint curare 781

Reguli deſcriptio 586 fabula ib. nomen ib.

Remoræ piſcis marini deſcriptio 725. mirabilis virtus ib. imago ib. 726.

Rhinoceros num idem ſit cum Unicorni ſeu monocerote 114. 115. ejus deſcriptio 116. antipathia ib. 117.

Ruminalis piſcis 720.

S.

Sacerdotes V.T. notitiam animalium habere cogebantur 4. 5.

Salamandræ deſcriptio 313. 314. frigida natura ib. imago 314.

Salmonis deſcriptio 731. nomen ibid. coitus 732. captura qvo tempore prohibita 733.

Sargi piſcis deſcriptio 698. 699. libido ibid.

Scarabæi deſcriptio 868. 869. varia genera ib. figura in annulis qvid ſignificet 872. non omnes ſunt mares 872. 874.

Scarus piſcis 720. ſolus ruminat ibid. habet den-

tes

tes planos ibid. valdè eſt libidinoſus 721.
Sciuri nomen 289. natura ibid. 290 imago ibid.
Scolopendræ deſcriptio 958.
Scorpio piſcis 701. 915 ejus varietas ib. imago 916.
Scytale ſerpentis nomen qvid ſignificet 804
Senſa animalium communicandi varia ratio 590. 591.
Sepia aranea marina 738. quid differat à loligine 741. eſt aſtúta. ibid.
Seps vel Sepedon, ſerpens 799. rectà incedit ibid. ejus color 800.
Seſeli, herba parturientibus cervis proficua 166.
Silurus piſcis 719
Simiæ nomen 278. cognata animalia ibid. ſimilitudo cum humano corpore 279 imitatio actionum humanarum ibid. captura ibid. 280. φιλαυτία ibid. amor nimius erga fœtum ſuum ibid. imago 281. ſeq. corpus & anima ridicula ib. cibus ibid. 282. antipathia ib. 332. laſcivia 282. 345.
Simia piſcis 712.
Siderites Eiſenkraut/anatum purgamentum 430.
Soleæ, Schollen / piſces 706
Spongia ζωόφυτον 765 Serpentis nomen generale 768 deſcriptio ibid. natura ib. 669. 770. ejusdem iter cum cancro 769 occultatio per qvatuor menſes frigidos 770 Vernatio ſeu exuviæ 771 membra & ſenſus 772. ſeqq. victus 775. captura 776 antipathia ib. 778 prudentia qvomodo nobis commendetur 782. 783.
Squatinæ vel Rhinæ piſcis deſcriptio 708 dura cutis

cutis, ex qua Turcæ pro gladiis vaginas conficiunt ib.

Squilla marina 748 in quo differat à cancro 570

Stella, concha marina 762. 763.

Stellionis deſcriptio 315 natura ib. 316 imago ib.

Struthio Cameli deſcriptio 364. magnitudo ib. 369 fabula 365 pili ib. proprietates 362 ova ib. pulli 368 captura ib. caliditas 368 anferrum digerere poſſit ib. ſtoliditas 369 imago 369 ſeq.

Sturni deſcriptio 573 imago ib. volatus catervatus 574

Suis deſcriptio grammatica 178 partes internæ homini ſimiles ib. pilus 179. caliditas ib. grandines Pfinnen/ ib. peſtes 180 pinguedo ib. volutatio in luto 181 libido & fœcunditas ib. 182. variæ imagines ib. ſeq.

T.

Talpa deſcriptio 337 auditus ib. 338 cœcitas ibid.

Tarda, Græcè Otidis, deſcriptio 430 ineptitudo ib. imago 431.

Teredinum deſcriptio 912. generatio 913.

Terra lacte & melle fluens quid ſignificet 849.

Tetricis, Auerhaans/ varia nomina 457

Teſtudinis deſcriptio 329 tardus inceſſus 330 imago in bonam & malam partem 331 ſeq.

Theriaca præparatio & nomen 795

Thymus piſcis 731 ejus captura ibid.

Tigridis nomen 106 generatio ib. magnitudo 108 fortitudo & velocitas ib. odoratus ib. captura ib. 107. conceptus ex aere fabuloſus 132 imago 108 ſeq.

Tinca piſcis 733.

Torpe-

Torpedinis piſcis deſcriptio & nomen unde 709
Tragus ſeu hircus piſcis 724
Trochilus non eſt illa avicula quam *regulum* dicimus 587 in Crocodili fauces ſibi facit aditum 306. 308. 587. 588.
Tuber ζωόφυτον 764
Turdi deſcriptio 570 tria genera ib. ſeq. magnum olim apud Romanos pretium 571.
Turturis deſcriptio 503 qualitates ib. ſeq.
Typographicæ artis inventio 428 inventor ib.
Tyringas, qualis avis 457.

V.

Veneficarum probatio in aqua an ſit probanda 781
Vermium deſcriptio 901 fortior vita ib. generatio ib. 906. 907 imago 903
Verſus plurimorum pedum 745
Vertibulum ζωόφυτον 763. 764.
Veſparum deſcriptio 850 generatio ib. 143 Pertinacia 850 hujus imago 851 Rex ib.
Veſpertilionis deſcriptio 625 incerta ſpecies ib. imago 626 Germanicè Speckmaus/unde hoc nomen 627 cognatio cum talpa 627.
Viperæ deſcriptio 790. 796. 797. imago 791 generatio 792 coitus cum muræna 793 hujus imago 794 antipathia 795 fabula ib.
Viſcivi Krammetsvogel deſcriptio 570 nomen 571
Viverræ deſcriptio 295 proprietates ib. imago ib. 296 antipathia ib. ferocia 296 captura ib.
Uraginis deſcriptio 457
Vulpanſer vid. *Anſer*
Vulpis deſcriptio 191 homonymia 192 natura & proprietates

prietates ib. ſeq. amicitia cum ſerpente 195 variæ imagines 198 ſeq. fraus in occupanda melium fovea 297
Vulpes piſcis 712
Vulturis deſcriptio & proprietates 467. 563 augurium 468 victus ibid. odoratus inſignis ib. 20. 25. 469 ſagacitas 469 imago 472 473
Umbræ piſcis deſcriptio 695 nomen ib.
Ungvis, concha marina 762
Unicornis vide *Monoceros*
Upupæ deſcriptio 545 imago 548 qualitates 546 ſeq.
Urſi deſcriptio 85 proprietates præcipuæ ib. ſeq. fortitudo ib. debilitas capitis ib. coitus ib. libido 86 amor erga catulos 87. 89. ſævitia ibid. cibus 87. 88 potus 89 iracundia 88 cicuratio ib. morbus 89 captura ib. 90 antipathia 90
Urtica marina ζωόφυτον 763. 764

Z.

Zobelus muſtelæ genus pulcherrimum 293
ζωόφυτα animalia imperfecta 763

INDEX IV. MORALIUM

In quo

Inſigniores præcipuorum animalium qualitates & naturæ in uſum Theologiæ Allegoricæ breviter accommodantur.

A.

Academiæ comparantur Luſciniis 609 alveolis apum 848
Adulatores ſimiles felibus 210 ſeq. ſimilis 283 ſeq.

ſeq. Chamæleonti 318 Pſittacis 514 & Picis 525.
Amicitiæ veræ imago, cervus 177 Scarus piſcis 722
Apoſtata perſecutor ſui ordinis ſimilis vulpi & meli 297. 298. 512
Ardeliorum imago muſcæ 861
Aries ſacrificialis typus meriti Chriſti 259 ſeq.
Aſina ſuper qua Chriſtus ſedit de gentibus explicatur 161 in genere cum Chriſtianis, imprimis pœnitentibus comparatur ib.
Aſini caput cujus ſit imago 160. 161
Avarus aſino 163 bufoni 327 teredini 914 hirudini 956. viverræ 295 ſuibus 188. 189 & gryphi comparatur 633
Auditores verbi divini comparantur piſcibus 639.

B.

B*Eati* in extremo judicio comparantur ovibus 256
Bibulorum imago anſer & anas 431 ſeq. lingva balbutiens 648
Bona terreſtria hominem non reddunt meliorem 141
Boves olim apud Magnates loco ſponſalitii dabantur 150
Bove & aſino ne ares 345.

C.

C*Alliditatis* imago fiber 302 vulpes 297 corvus 479
Calumniatorum imago torpedo piſcis 710 bubones 623. 624. Hyænæ 226 venenum aſpidis 774 culices 867 viperæ 791 cicadæ 890
Capra mulctram excutiendo lac perdens cujus ſit imago 270 Concordiæ inter collegas imago in capris 271.
Centauri depictio & imago 127

Chriſtiani comparantur alci 113. 114. Cervis 175. a-natibus 429. 430 muſtelæ 292 columbis 505 equis in frenandis affectibus 139. 140 Gallinis 446. can-cris & ſerpentibus in exuendo veteri carne 752. 782

Civitatum liberarum Imperialium imago formica 948

Cœcitatis & falſitatis imago talpa 338

Columba ſpecie quare S. Sanctus apparuerit 498. 503 ſuper Chriſto in Baptismate 496. 499 ſimplicitas Chriſtianorum imago 6.

Conjugii imago cervus 177 cornices 495

Conjugalis caſtitatis imago Columbæ 503

Conſcientiæ imago Vermes 903

Conſiliarii imago in Alce 114 in piſciculo quodam 667

Convitiatorum imago Salamandra 314 ſeq.

Corvus quem Noha emiſit imago 477 (1) Legis 492 (2) Impiorum 493 (3) Paſtorum avarorum ibid. ſeq.

D.

DÆmon comparatur pavoni 391 mergo 549 vide *Diabolus & Satanas*.

Dei Præcepta varia de diſcrimine animalium 328 ali-quid continent morale ib.

Diabolus attendit, quibus voluptatibus quisque ſit de-ditus 697 ſimilis lupo 6. 228. ſeq. Vulpi 198 Cro-codilo 310 ſeq. Simiæ 286 Pardo 105 Scorpioni 916 Veſpertilioni 626 Accipitri 459 Serpentibus 798 ſeqq.

Diſcentium imago Bombyces 899

Diſputationum inanium imago cicadarum cantilena 890

Diſputatorum acerrimorum imago 711.

Diſſidii perpetui inter literatores equites imago 402 antipathia Elephanti cum Dracone 48

Divites pavonibus 389 & ſtruthiocamelis ſimiles 370 ſeq.

Doctores Evangelici comparantur Simſoni 200 columbæ Nohæ 508 Porphyrioni 522 *Impii* bobus 152.153 & corvis 477 *Spurii* verò felibus ſimiles 206

Docti ſenes optima proferunt 404 non debent imitari pavones 391 illorum imago luſcinia 603. 608.

Δωροφαγίας ſimulacrum capra 267

Draco, Satanæ 49 Tyrannorum 50 & hæreticorum imago 51

Duces infideles lingulacæ ſimiles 539 ignavi oto avi 539

E.

EBrietas fœcunda peccatorum mater 689. 690

Ebrioſorum imago lepus marinus 739

Eccleſia piorum comparatur Unicornu 121 cervis 175 infanti in ſpecu aſpidum ſedenti & cum Baſiliſcis ludenti 807 Mercatori Margaritas quærenti 759 hirundinibus 568 fringillæ 582 apibus 845 ejus *Conſervatio* Halcedini 615 ſeq. *Dona* 497 ſeq. 504 *Membra* hirundinibus & paſſeribus 567. 596 Nido in quo paſſer & hirundo excluditur 6.

Electorum imago Gideonis exercitus 243

Eloquentiæ & Muſicæ imago torpedo piſcis 710

Elephas noſter monitor ad nocturnum ſtudium 45 honeſtam æmulationem ibid. & converſationem cum doctis 46

F.

FAlſitatis imago talpa 338

Fames ſpiritualis confertur cum Aſini in Samariâ capite 160

Frau-

Fraudulentorum imago in Polypo 744 & mure 334
Fraudum mundanarum imago perdices 455

G.

GArrulorum imago 793
Gentes comparantur aſinæ 159. 161
Gloriabundorum imago 272
Grobiani bobus comparantur 154
Gubernatores politici comparantur leoni 77. 78

H.

HÆredipetæ vulturibus ſimiles 471
Hæreſis araneæ comparatur 939
Hæretici comparantur Draconi 51 vulpibus 201 ſeq. lupis 231 quibusdam avibus 584 viperis 794 eorum argumenta araneis 939
Helluationis deteſtandæ imago ardea 475
Helluones ſimiles anſeribus 431 mergo 548 turdo, merulæ & ſturno 569. 574
Heroes pardis comparantur 104
Hiſtrionum imago Chamæleon 317
Homines amicitiam & beneficia aliis denegantes 488
Hoſtis parvus ſæpe excelſos fatigat animos 51
Hoſtes Evangelii comparantur leoni 73 Monoceroti 120 apris 189 *Chriſti* monoceroti 120 & bobus 13 *Eccleſiæ* apibus irritatis 844 ſæpe coguntur noſtri eſſe promotores 313
Hypocritæ comparantur noctuis 620 Vulpi 192 Mulis 346 Perdicibus 450 Paris 578

I.

IChneumon imago Chriſti mortem vincentis 309
Idola cornicibus comparantur 495. 496
Jeſuitarum imago locuſtæ 882 ranæ 325
Ignavi comparantur aſino 159

Impii comparantur Aſinis ſive Onagris 162. 163 in extremo judicio hircis 274 ranis 324 perdicibus 450 accipitribus 459 upupis 545
Impudentium imago muſcæ 861
Ingenium omne ante Inſtitutionem ferox 141
Ingratitudinis erga altores & promotores imago cuculus 511. 512
Inſipientium & divitum imago Struthius 369 ſeq.
Intemperantiæ imago in gulone 288
Invidorum imago vultur 472 bufo 329 tinea 911
Iracundi imago aper 191
Judæi inter Chriſtianos tolerati ſimiles muribus 335 ſpongiæ 766 illorum converſio hodie nemini curæ cordique eſt 632
Juſti comparantur leoni 80

L.

L*Aboris* & diligentiæ imago in perdice 452
Latronum imago lupus 223. 227 nycticoraces 623
Leges Moſaicæ, præſertim ceremoniales, coturnicibus 544 & corvis 477 comparantur
Liberi liberè loquentes ſimiles attagini 457 piorum imago merops 552
Librorum inutilium imago Ephemerus 864
Literati cicadis ſimiles 887
Loquaculorum imago pica 525 ſturnus 573.

M.

M*Agnates* qui literas non curant Ardeæ & Onocratulo ſimiles 474
Maledicorum imago baſiliſcus 805.
Malorum imago Cancri 752
Mariti imago in vipera 794
Maxillæ aſininæ imago 159

Mendacis imago pica 526
Milites generoſi ſimiles equis 136. 137. pico martio 530 Scarabæo 872 *hodierni* 533. 853 *vulgati* conturnicibus 542 ſeq.
Miniſtrorum Eccleſiæ imago Camelus 58 ſeqq. eqvus 137. 138. boves 151. 152 venatores 204 Galli gallinacei 435.441
Monarchiarum comparationem cum certis animalium vide in Indice Rerum.
Mortis temporalis imago ſerpentum latitatio 771
Mulier debet eſſe οἰκουρὸς 330
Muſica imago torpedo piſcis 710

N.

NEbulonis aſtuti imago ſtellio 316
Neutrales & hypocritæ comparantur animalibus mixtis 345 ſeq. mulis 346 ſtruthio Camelo 371 veſpertilioni 626

O.

OBſcœni & turpes comparantur upupæ 545
Ordinis militaris imago in gruibus 393 *literati* imprimis boni Theologi, Muſici, tum Eccleſiæ in cygno 405 ſeq.
Ovis typus Chriſti 255 ſeq. & Chriſtianorum 260

P.

PAcis inter Deum & homines imago Columba Nohæ 496. 507
Parentes liberos ad ſcholam & artificia maturè ducant 560. 847 illorum æqualis amor & beneficia erga liberos ſub cornicis 487 nimius ſimiæ imagine depingitur 281 item glauci piſcis 696 inæqualis culpatur 559 durorum parentum imago corvus 495 piorum ſcarabæus 870

Paraſiti comparantur muribus 332 ranæ & erucæ 326
Paſtor ovium imago Chriſti 263. 264
Paſtores audaces & jactabundi gaviis ſimiles 588
Patrumfamilias imago formica 945
Parvuli ab Eccleſia matre debent aſſuefieri ad fidem in Chriſtum 353
Pauperculi ditiores facti miſeros deſpiciunt 131 cur vocentur cyncli 577
Pauperum imago locuſta marina 750
Paupertas in domo adulteri 224
Peccatorum hominum imago in ficedula 575 ſuibus 185. 186.
Peccatum baſiliſco 807 & originale tineæ comparatur 912
Pelecanus Chriſti, pulli ejus hominum ſunt imago 381. 383.
Φίλαυτοι pavonibns comparantur 389
Philoſophi & eruditi comparantur monoceroti 119
Phœnix imago Chriſti 374 ſeq. reſurrectionis 375 ſeq.
Pii cervis ſimiles 172 & Ciconiis 416 ovibus 260 columbis 505 alaudæ 579 piſcibus mundis 737
Pœnitentiæ imago ſerpentum vernatio 771
Poëtæ comparantur cygnis 402 cicadis 887
Principes Miniſtrorum Verbi & conſiliariorum converſationem ament 523 *pii* comparantur aquilis 362 carpioni 734 piſciculo cuidam ceti duci 667 fraxino arbori 777 Porphyrioni 521 *impii* leonibus 81 *avari* aquilis 359. 363.
Prophetæ comparantur Philomelis 606 *mali* vulpibus 201

Puellarum induſtriæ imago aranea 936

Pueri plus verbis quàm verberibus emendantur 14[illegible]

R.

RAbulæ forenſes cicadis comparantur 888

Reges comparantur leonibus 78 aquilis 361. 362 *boni* gallis 441 Ciconiæ 418

Regiminis optima forma in gruibus 398 & apibus declaratur 342

Regna cur cornua appellentur 122. 123.

Regnum Chriſti comparatur Unicorni 123

Religionis veræ imago piſciculus quidam 667. margarita 759. 760 Profeſſores comparantur Chriſtophoro M. 695

Ruſticorum & plebejorum imagines quædam animalcula 303 ſeq. Upupa 548 intractabilium erinaceus 298. 300 inter pocula ranæ 321 inhumanitas erga exteros 777.

S.

SAcrificia V. T. imago fuerunt Chriſti 149 ſeqq. quotidiana ex ovibus 249. ſeq. 255 ſeq.

Sangvinis Chriſti imago hircinus 268

Sapientes noctuis 620 ſeq. & melanuro piſci comparantur 693.

Satanas Draconi comparatur 49 pico Martio 534

Seditioſorum imago vultures 473.

Senes quidam comparantur cicadis 889. 890

Serpentis prudentia nobis commendatur 6

Societatis mutuæ imago pinna & ſquilla 762

Soliarii hominis imago merula 573

Sophiſtarum imago culices 868
Spei Symbolum & imago Cornix 490
Sponſus Eccleſiæ comparatur columbæ 504
Stoicorum imago culex 866
Stolidorum & helluonum imago anſeres & anates 431
Studioſorum imago carduelis 583. apis 848 aranea 937 *piorum* bombyx 900 *ſuperficiariorum Theologiæ* Pſittacus 518
Studii indefeſſi imago apes 840
Stupidorum imago piſces 648
Stultorum imago Otus 539
Subditorum imago apes 838
Suilla caro cur interdicta 183
Sycophantarum aulicorum & calumniatorum imago 318. 391.

T.

Timidorum imago lepus 217 ſeq. cervus 165
S. S. *Trinitatis* typus 776
Tubicinum Muſicam ignorantium imago Gryllus 892
Turcica barbaries comparatur Tigridi 108 ſeq.
Tyrannorum imago Draco 50 Chamæleon 319. ſeq. lupus terreſtris 235 & marinus 702 cetus 664 pœna 703.

V.

Vacca ruffa imago Chriſti 149. 151
Veneficarum cum diabolo colludentium imago accipiter 462 draco 815

Verbum

Verbum Dei comparatur cum Manna Iſraelitarum 535 ſeq.
Vermes conſcientiæ malæ imago 903
Virorum in mulieres ſævientium imago viverra 296. 305.
Vita temporaria araneæ comparatur 935. 941
Voluptatum imago ſcorpius 916
Uſurariorum imago Raja 707.

INDEX V.
NOMINUM PROPRIORUM,

A.

ADam animalibus imponit nomina 3.
Adrichomius de turre ſaxea Hieroſolymis 438
Ælianus de Elephanti robore 36. urſâ 70 Pardo 97 vulpium copia 199. felis libidine 207 teſtudine 329 Alexandri M. cane Indico 343 Struthio-Camelo 364 ibidis avis Ægyptiæ inceſſu de adultera 411 4 9 anſere hominem perpetuò comitante 423 gallo 433 ejus pugna quotannis inſtituta 435 gallis mutis 439 accipitris miſericordia 463 vulturum pennis 470 Corvis Lybicis 479 cornice cicurata 844 ſimiis ruffis 282 quodam Porphyrione 524 pico martio 532 Upupa 547 meropis volatu 551 allii ſemine paſſerum vene-

veneno 595 paſſerum timiditate 597. 598. delphino puerum amante 680 aloſa piſce. 689 Polypo 743 teſtudinibus magnis 756 aſpidis morſu 786 ſepe ſerpente 799 baſiliſco 806.
Æſchili, poetæ calvi mors 331. 332.
Æthiopes Elephantis veſcuntur 37 quomodo illos capiant 38
Africa Baſiliſcorum ferax 440 cur inibi tam multa mixta generentur animalia 339
Agrigentini equis ſuis erigunt Pyramides 127
Agrippinæ turdus loquax 570
Ahaſveri clementia erga omnes gentes 259
Alexandri M. ſtudium in hiſtoria animalium 3. imperium exiguum habuit principium 99. progreſſus 100 ſeqq. gratitudo erga Ariſtotelem 3. elephas ſoli dedicatus 47 dicitur apud Dan. hircus 275. 276. ſpatio 17. dierum Alexandriam extruxit 100 item urbem in honorem Bucephali 127 videt magnum draconem 812 comparatur teredini 914 ejus virtutes 103 & vitia ibid. ſeq.
Ambroſius de vulpe 191 cicadæ 886 & galli cantilena 437. 438 aves lucifugas comparat Hæreticis 620 de ciconiis 412
Americanorum ſententia mirabilis de equo 124
Ana mulorum inventor 342
Anglia an lupis careat 227
Antiochi Regis corpus vermibus ſcaturiens 903
Antonius Imperator leones manſuefecit 72
Apelles quomodo Alexandrum M. depinxerit 100 & Venerem 330. 757.

Ariſto-

Ariſtomenis mira liberatio 196. 197.
Ariſtoteles qua occaſione hiſtoriam animalium ſcripſerit 3 ridet Democritum 4. de Elephanti potu 35. robore 36. docilitate & memoria 40 cameli tubere in dorſo 53 parda 97 camelo admiſſario 56 leonibus bene ſaturatis 71 comparat tyrannos leonibus 82 doctores timidiores leporibus ib. vitam humanam Chamæleonti 319 beſtiis Aſiaticis 106 equo cum matre coeunte 132 equi lacrymis 145 vermibus in quibusdam piſcibus de cantu cygni 404. 906. piſcibus ex Euripo Pyrrheo enatantibus 650 & propagatione piſcium 652
Arius Symbolo Niceno ſubſcribens 204
Aſiæ deſcriptio 97
Athenæus de paraſito quodam 326 crabronibus 855
Aventinus de ciconia adultera 411
Auguſtinus de retribuitione Dei 512 ſerpentibus 811, 812 potentiâ Dei 819 muſcis 822. 824. corvo Eliam paſcente 485 corvo Noæ 485
Auguſtus Cæſar tigridem in cavea manſuefactam Romæ oſtendit 108.

B.

B*aptiſta Porta*, de mixtis animalibus 347 vermibus in corpore humano 902
Baſilius de Pardi ferocitate 95 piorum converſatione 177 conceptione Chriſti, quali uſus fuerit exemplo 470 invidia 472 formicis 944

944 coturnicibus venenum veſcentibus 539 hirundinum ſolertia 558 ſimile de falſis fratribus 753 Viperæ cum muræna coitu 793 ejusque imagine 794 apibus 836. 839.

Beelzebub quale nomen 83

Benjamin cur dictus fuerit lupus 233

Bernhardus de efficacia Sanguinis JESU Chriſti 260

Bileam maledicturus cogitur benedicere 313

Bocchus Rex viros Elephantis conculcandos objicit 43. 44

Bonfinius de apibus contra Turcas miſſis 845

Bodinus de Chamæleontis multiplici colore 317.

Bruſchii diſtichon 44000 pedum 745.

C.

CÆſar Cajus Julius equo ſuo erigit in templo ſtatuam marmoream 126 de Alce 112 comparatus Regulo 586

Caligula eqvum ſuum ad cœnam invitat 126. eundem volebat facere conſulem ibid. ſe ipſum fecit ſacerdotem ibid. eqvum verò collegam ibid.

Camerarius veteres refutat 75 de Rhinocerote 117 Eqvuleis circulatorum 128 equi cauda 135 libellus ejus de eqvis 145 de lupo ab hominibus prius viſo 222 Hyæna 227 accipitre 458

Campani Antonii Epigramma de Typographiæ inventore 429

Cara-

Caracalla Antonius leones manſuefecit 72
Cardanus de pulchritudine Pittaci 516
Catulli, deſcriptio hominis pauperrimi 932
Christus comparatur agno 5. 249. 256. ovi 255 ſeq. Gallinæ 6. cervo 171 ſeq. Ichnevmoni 308. 309. 311 ſeq. Hirco emiſſario 274 leoni *καθ' ἐξοχὴν* 79 cadaveri 358
Chryſoſtomus de piorum precibus 230 corvo Eliam paſcente 483 corvo Noachi 485
Chytræus de arte typographica 428
Cicero de Gruibus 395
Commodus Imperator eqvum ſuum ſepultura affecit 127
Crœſus cur dictus fuerit mulus 345 quomodo à Cyro fuerit deluſus 57
Curtius fruſtra Alexandri M. luxuriam excuſat 104
Cyrus miro ſtratagemate Crœſum deludit 57
Cyrillus de corvo Noachi 485

D.

Damaſcenus de puella, quæ puerum hirſutum peperit 341
Dan in Teſtamento Jacobi dicitur coluber 5. comparatur ceraſti 797
Danielis hiſtoria de Dracone 809
Darius quomodo factus rex 132. 133
David pennas columbæ ſibi optat 6. cur 496 500. comparat ſe paſſeri 6. aſioni 622 pulici 925
Democritus ridetur ab Ariſtotele 4.

Druſi

Druſi luſcinia docilis 605.

E.

EPhraim factus quaſi columba 506
Epiphanius de Origene 336
Eraſmus de Elephantis 46 eorumq; antipathia 49 difficultate capiendi fœtus tigridos 111. cornu Rhinocerotis 124 Bucephalo 131 aſinis 163 164 teſtudine 329 nuptiis 509
Euripidis miſerabile fatum 285. 286.

F.

FIncelii Jobi hiſtoria de locuſtis 877
Franciſius alloquitur hirundines 564.

G.

GAlatinus de rebus arcanis Judæorum 64
Galenus in ſimiarum anatomia plus quam hominis verſatur 278
Germanorum κακοζηλία 284
Gerſon Joh. Cancellarius de ſtulta ſuperbia 272
Geſnerus de equo 127 felibus agreſtibus 205. Chordis & tympano ovinis & lupinis 264 ranis rubetis ſeu bufonibus 327 ciconiarum gratitudine 414. 415. Pſittaco in aquam delapſo 520 duabus luſciniis 609 ſeq. lingva cetorum 671 piſcatoriis legibus apud Helvetios 694 Scorpione 701 lupis marinis 705 eorumque morbis ib. Anguillis 715.
Græci cur capris comparentur 275.

Gregorius Prædicatorem comparat gallo 436. 437.
Guicciardinus de pugna equorum 129

H.

Haman Judæos vexat 255
Hannibal Elephantes flumen tranare cogit 44
Hanno Carthaginenſis leones cicurat 72
Hatto Archiepiſcopus Moguntinenſis à muribus conſumtus 855
Hercules Pardo comparatur 104
Herodotus de Crœſo, cur ab oraculo mulus ſit appellatus 344. 345. de quodam, qui paſſeres & alias aviculas ex nidis in templo ſpoliavit 598 viperæ coitu 792 clade Senacherib 7. 334 generatione utilium & inutilium animalium 24. Regum Perſarum libidine 91 capitibus 92 contentione inter Ægyptios & Phryges 277
Heſſi Eobani felicitas in fundendis carminibus 420. 421. diſtichon 2804000 pedum 745
Hieroſolyma an in medio orbis ſita 355
Homerus quomodo ſtruthio camelum appellet 371 ejus verſus de nova ciconia tempore veris 415
Hulſius Levinus de anſeribus Scoticis 427
Huſſius Joh. Martyr comparatur anſeri 407 ſeq. ejus vaticinium de Luthero, quem olorem nominat ib.

I. *Jacobus*

I.

JAcobus Patriarcha Phyſico ſtratagemate diteſcit 3 265 in Teſtamento ſuo animalium quorundam facit mentionem 5.
Johannes Evangeliſta cur Aquilæ comparetur 351 *Baptiſta* veſtitus ex cameli pilis 64 ſeq. 884 cibus 883. 884. potus 884.
Jonathas virtute Davidi parcebat 271
Jonæ carcer fuit cetus 670 ſeq.
Joſeph Eccleſiæ imago 203
Jovis armiger aquila 363
Iſaſchar aſinus fortis dicitur 5. 158 & cur ib.
Judas in Jacobi teſtamento catulus leonis dicitur 5.
Judæ proditoris ingratitudo 511
Juliani Apoſtatæ hiſtoria 50.

L.

LAcon apud Plutarchum de Luſcinia 602
Lactantius de animalium ſenſibus 591 ſeq. carne ſuilla prohibita 63, 184.
Lemnius Levinus de mure in ventre hominis generato 333.
Livius de locuſtis 876
Lucani verſus de Hæmorrhoi morſu 798
Lutheri ſimile de catellis ad menſam ſtantibus 248 judicium de difficultate tranſlationis Biblicæ 631. 632. à Joh. Huſſio dicitur cygnus 407. 408. exagitatur ab ingrato diſcipulo Staphilo 511
Lyra de Phœnice 178.

M.Mantua

M.

MAntuani verſiculi de Alauda 579

Martialis de lepore & turdo 215. 570 cuniculis 217 caprea de rupe pendente 273. Cauſidico 276. 277. currucis 511. ficedula 575.

Matthiolus de ruſtico viperæ morſu mortuo 791

Melanchton Phil. Germaniæ Phœnix 372 de anima 9. unicorni Eccleſiæ imagine 122 comparatur luſciniæ 605

Melander Otto de Pſittacis quibusdam 520. pingui ſue 180

Mezentii eqvus 130

Mutianus de Elephantis quibusdam 41.

N.

NAzianzenus philoſophum comparat Rhinoceroti 119. Julianum Apoſtatam Chamæleonti 320. quomodo Athenas vocarit 609. de ſemine boum cornibus tacto, 147 de boum emptoribus in Evangelio 153. 154. aſini ruditu 157 felis ſponſa 206. timiditate leporis 213 Synodis ineptè diſputantium 424 ſuper Pſalm. 55. v. 5. 500. Proverb. 30. 351. de filio ſororis ſuæ ad ſtudia idoneo 352. cantu cygni 401. 404.

Neander Mich. de ciconiarum quarundam impietate 410 de quadam adultera ciconia 411.

Nebuchodonoſor an fuerit in beſtiam mutatus 235.

Nephthali cervus dicitur emiſſus 5

Nero eqvum ſuum ſenatoriâ ornabat ſtolâ 126.

Nicephorus de Dracone, quem octo paria boum non potuerant movere 808.

Noba animalibus proponit pabula 3.

O.

OLaus M. de urſorum copia in Septentrione 88. de Balænis 670
Olympiadis Alexandri M. matris ſomnium 100
Ona ſeu Ana mulorum inventor 3. 342.
Origenes de Gryphe 631.
Oſorius de Elephantorum irritatorum fervore 46
Ovidius de vulpibus in ſegete emiſſis 199. 200 ruſticis in ranas mutatis 321. curis 914. veſpertilione 625. muſcis 862 vita hominis 941

P.

PAulus eqvo comparatur 139
Pauſanias de vulpecula quadam 196. 197.
Perſæ olim equos ſepeliebant 126
Pharao mala multa ab animalibus perpeſſus 8
Philoſtratus de Elephanti manſuetudine 39
Plato de veſpertilionibus 625
Plautus de muribus 332
Plinius de Elephanti docilitate & memoria 40 manſuefaciendo leone 71 debili urſi capite 85 fibro 302 lutra 303 gallis quatuor diei partes indicantibus 437 hæredipetis 471 ave parva tinnunculo 502 decorvis 485. Philomelæ cantu 607. 613 piſcibus foſſilibus 659. 729. de Proverbio Pythagoræ: Hirundinem ſubtecto ne feras 561 de ſerpentis & fraxini anti pathia 776. quarundam avicularum 583 halcedinis natura 615 ſerpentibus ex ſpina dorſi naſcentibus 780 dracone 808.

Plutarchus de Pica loquacula 526
Pontanus de cicadæ cantu 885
Porphirius de Gallo 435
Pythagoræ ſententia de Cygni anima 404

R.

Remus & *Romulus* à lupa nutriti 224
Rhodiginus Cælius de locuſtarum feſto 875

S.

Sabellicus de puero villoſo 341
Salomon Rex loquitur de animalibus 3. aliqnot millia habet equorum 125
Salomonis Rabbi inepta ſententia de Draconibus 816
Sardanapalus quomodo regnum amiſerit 82
Scaliger de Elephanti dente 35 partu 43 cameli ſaltu 57 urſorum fœtu 86 monocerote 115 de voce ob conſpectum lupum deficiente 222 ardeæ nimia voracitate 475 corvi voce articulata 479 pulchritudine Pſittaci 515. 516. cicurato mergo 549 turdi loquacitate 570
Sergii Galbæ Elephas funambulus 47
Sennacherib ejusque clades muribus ab Herodoto adſcripta 7. 854. ſtatua lapidea 334
Simſonis ænigma 22. 200. 203
Sindrigalis Lithuaniæ Ducis urſus manſuefactus 89
Staphilus ingratus erga Lutherum 511
Stigelii carmen extemporaneum de anſere 420
Surius de S. Franciſco 564

T.

Tartari cur equinum ſangvinem bibant 17

Tertullianus de nocturnis avibus 627. 628
Thales de infante ex eqva nato 440 ejusqve judicium de monſtris ib. 345
Theophylactus Patriarcha Conſtantinopol. quot aluerit eqvos 126 qvodnam propoſuerit ipſis pabulum 127
Tibulli diſtichon de ſerpentum vernatione 772.
Tobias à ſtercore hirundinis cæcus factus 5. 565 quomodo fuerit reſtitutus 5. 565. 566. 701.
Trojanus eqvus 145.

V.

VAlerius M. de dracone Epidaurio 810. 811
Vallesius Franciſcus ſuper 58. v. 5. Pſalm. 788
Varro de columbis emiſſis & reverſus 505
Venus cur in cochlea ſtans depingatur 330. 757
Virgilius erraſſe notatur 4. de Elephanti dentibus 35. qvomodo verſus compoſuerit 86 de Tigridibus 106. eqvo ſpumante 129 eqvo Mezenti 130 alio ſuperbo ib. talpis 337 cornice 489 hirundine 563 carclueli 583 gaviis 589 avibus quibusdam fabuloſis 633 cetis 662 natrice 802 culice 865 cicadæ cantu 885.

X.

XEnophon de veterum tenui victu 91.
Xerxis ingens exercitus 91. 92.

Z.

ZIganorum fraus in vendendis eqvis 715
Zoilana Indiæ Inſula, in qua maximi & dociles reperiuntur Elephantes 42.

INDEX VI.
&
POSTREMUS.
Adagiorum, Symbolorum & Proverbiorum explicatorum.

A.

ÆQualia non faciunt bellum 399
Anſer inter olores 400
Anſerum & gruum concilia 424
Antro uni non fidit mus 332
Aquilæ ſenectus 355
Ars non habet aſorem niſi ignorantem 46
Aſinus ad lyram 490.

B.

BEne vixit, bene qui latuit 143. 304. 577.
Bibente uno anſere bibit & alter 426
Bove & aſino ne ares 345
Bove, cancro & teſtudine leporem nemo venabitur 213

C.

CAmelus ad ſaltationem 57
Camelus ſcabioſus portat plurimorum aſinorum onera 54
Canis bibens ex Nilo 241 308
Capra nondum peperit & hædus ludit in tectis 272
Calumnia conturbat cor ſapientis 717
Concilia anſerum & gruum 424
Cor cervi 165
Coturnicis naturam induere 542

R.

Rarior Phœnice 372

S.

Sæpe ſub ſordido palliolo latet ſapientia 531
Sanior piſce 657
Sanior piſce 953
Serpens niſi ſerpentem devoraverit, non ſit Draco 810
Si vultur es, cadaver expecta 471
Simia manet ſimia, etſi aurea geſtet inſignia 282
Somnus luſcinia 603
Stolidus tot habet ſenſus, quot pilos bufo 329
Sus Minervam 490.

T.

Turdus ſibi malum cacat 571.

V.

Vaſa vacua plus tinniunt 272
Venter pinguis non gignit ſubtiles ſpiritus 180
Vir bonus tam rarus inventu, quam piſcis ſub aratro 729
Urſi naſum ne tentes 90
Vultur ſies cadaver expecta 471

W.

Wer den Fuchs fangen will/ der muß keinen Schöps hinter das Garn ſtellen/ 204. 205.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R.

Rarior Phœnice 372

S.

SÆpe ſub ſordido palliolo latet ſapientia 532
Sanior piſce 657
Sanior piſce 953
Serpens niſi ſerpentem devoraverit, non fit Draco 810
Si vultur es, cadaver expecta 471
Simia manet ſimia, etſi aurea geſtet inſignia 282
Somnus luſcinia 603
Stolidus tot habet ſenſus, quot pilos bufo 329
Sus Minervam 490.

T.

TUrdus ſibi malum cacat 571.

V.

VAſa vacua plus tinniunt 272
Venter pinguis non gignit ſubtiles ſpiritus 180
Vir bonus tam rarus inventu, quam piſcis ſub aratro 729
Urſi naſum ne tentes 90
Vultur ſies cadaver expecta 471

W.

Wer den Fuchs fangen will/ der muß keinen Schöps hinter das Garn ſtellen/204. 205.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google